10.65

JUL. RICH
Buch- u. Kunsthandlung

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS.

COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS.

AUCTORE

AUGUSTINO LEHMKUHL,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

EDITIO TERTIA AB AUCTORE RECOGNITA.

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.



FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCI.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI ET MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

29842

Cum opus, cui titulus est „**Compendium theologiae moralis**“, a P. *Augustino Lehmkuhl*, nostrae Societatis sacerdote, compositum aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Wynandsrade 6. Martii 1886.

Joannes Bapt. Lohmann,
Praepositus Provinciae Germaniae S. J.

Eandem pro tertia editione facultatem concedimus.

Ditton-Hall 21. Aprilis 1891.

Jacobus Rathgeb,
Praepositus Provinciae Germaniae S. J.

Salvo jure proprietatis et translationis.

Entered according to Act of Congress, in the year 1886, by *Joseph Gummersbach* of the firm of **B. Herder**, St. Louis, Mo., in the Office of the Librarian of Congress at Washington, D. C.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

Praefatio ad editionem primam.

Vix duo anni elapsi sunt, quum theologiam moralem duobus voluminibus comprehensam primo publici juris facerem. Quae, quamquam multorum desiderio videtur satisfecisse atque jam tertio recudi debuit, nihilominus, quum primum lucem aspexit, complurium movit desiderium, ut, quae uberiore calamo exposita erant, brevi *compendio* contraherentur, quo aptiora evaderent ad usum scholarum. Quem laborem in me sumendum esse duxi atque ita, Deo dante, nunc absolvi, ut lectori illud compendium possim offerre.

In toto hoc compendio concinnando id prae oculis habui, ut et quam breviter et quam integre fieri posse putabam, theologiae moralis doctrinam traderem secundum eam normam, quam in majore opere secutus sum. In qua methodo servanda id fortasse accidit, ut nonnulla brevius dicerentur neque argumentis satis fulcirentur. Verum impossibile erat cum brevitate omnia funditus explicare. Neque id mihi proposui, ut non multa aliunde complenda relinquerem. Quo facilius autem longioris expositionis et probationis defectus suppleretur, lectorem in singulis fere quaestionibus ad aliud meum opus theologiae moralis remittendum curavi, ut, si lubet et per tempus licet, easdem res enucleatius tractatas possit invenire. In eundem finem ad singulos tractatus selecta quaedam aliorum opera notavi, quae de iisdem quaestionibus uberius agunt.

Novum igitur hoc opus imprimis theologorum candidatis offero, ut habeant, quo elementa theologiae moralis addiscere et in scholari studio juvari possint, tum sacerdotibus confessariis iis, quibus studendi otium vix est, ut videlicet ea, quorum prioribus studiis cognitionem sibi acquisiverunt, facili negotio valeant recolere et in mentem revocare, Deum precaturus, ut et lectori et scriptori per gratiam suam concedat, ut non solum alios viam rectam, qua declinent a malo et faciant bonum, possint docere, sed in ea etiam ipsi indeclinabiliter persistant atque in dies progrediantur.

Scribebam Exaeten, prope Roermond in Hollandia die 1. Martii 1886.

Augustinus Lehmkuhl S. J.

Praefatio ad editionem tertiam.

In hac nova editione nihil notandum occurrit, nisi quod omnem curam impenderim, ut praeter leviores defectus, qui in prioribus editionibus oculos effugerant, emendandos ea mutarem vel adderem, quae novis decretis et responsis Romanis mutata vel illustrata sunt.

Scribebam die 17. Aprilis 1891. **Auctor.**

Index synopticus
compendii theologiae moralis.

Prolegomena.

Pag.

§ 1. Quid sit theologia moralis, et quam necessaria ejus tractatio . . 1
§ 2. Methodus et divisio tractationis 2

Theologia moralis generalis.
Liber unicus.

Tractatus I.

De Actibus humanis eorumque moralitate.

Caput I. Notio et divisio actuum humanorum 5
Caput II. De Actibus humanis secundum interna principia.
Art. I. De voluntario ejusque conditione.
§ 1. Voluntarii generalis explicatio et divisio 6
§ 2. De interna voluntarii affectione, seu de libero . . . 8
§ 3. De voluntario indirecto et in causa speciatim considerato 10
Art. II. De voluntarii obstaculis.
§ 1. De ignorantia, ut voluntarii et liberi impedimentum est . 12
§ 2. De concupiscentia 14
§ 3. De metu et violentia 16
Caput III. De moralitate actuum humanorum generatim.
§ 1. Notio et conceptus moralitatis 17
§ 2. De fontibus moralitatis 18
§ 3. De indifferentia actuum humanorum 20

Tractatus II.

De Regula actuum humanorum.

Sectio I.

De Regula proxima seu de conscientia.

Caput I. Notio et divisio conscientiae 22
Caput II. De conscientiae qualitatibus et vitiis.
Art. I. De conscientia recta et erronea 23
Art. II. De conscientia certa et dubia 24
Art. III. De conscientia scrupulosa 26

Pag.
§ 1. Ejus notio 26
§ 2. De origine scrupulorum 27
§ 3. De signis hominis scrupulosi 28
§ 4. De remediis scrupulorum 29
Art. IV. De conscientia laxa 31

Sectio II.

De Regula actuum humanorum remota seu de Lege.

Caput I. De notione et essentia legis 32
Caput II. De necessaria legis certitudine ejusque ad conscientiam relatione, atque de variis theologiae moralis systematis . . 32
Art. I. Expositio diversorum systematum 33
Art. II. Probabilismus exponitur et probatur.
§ 1. Notiones praeviae et status quaestionis 34
§ 2. Argumenta, quibus probabilismi veritas probatur . . 37
Art. III. Praecipuae difficultates solvuntur 38
Art. IV. De regulis subsidiariis, quae usum probabilismi magis determinant 39
Art. V. Quaedam de practico usu probabilismi monita . . . 42
Caput III. De elementis legis singillatim consideratis.
Art. I. De auctore legis ejusque legislatione 44
Art. II. De legis objecto 45
Art. III. De legis subjecto.
§ 1. De legis subjecto generalia principia 46
§ 2. Singularia quaedam de legis subjecto 47
Art. IV. De effectu legis seu obligatione.
§ 1. De legis obligatione in se ejusque interpretatione . . 48
§ 2. De legis obligatione implenda 49
Caput IV. De legis ejusque obligationis cessatione.
Art. I. De excusatione a lege 50
Art. II. De dispensatione.
§ 1. Facultas et causa dispensandi 51
§ 2. Dispensationis interpretatio et cessatio 52
Art. III. De legis abrogatione et derogatione.
§ 1. De abrogatione, quae ab ipso Superiore oritur . . 53
§ 2. De abrogatione quae a populo incipit, seu de desuetudine 54
Art. IV. De cessatione legis propter finem cessantem . . . 56
Appendix de privilegio 56

Tractatus III.

De Discordia et Concordia cum regula actuum humanorum, seu de peccati reatu et bonorum operum merito.

Sectio I.

De Peccato.

Caput I. De notione et malitia peccati.
§ 1. Explicatur peccatum ejusque malitia generatim . . 58
§ 2. De distinctione inter peccatum mortale et veniale . . 59

Pag.

Caput II. De distinctione peccatorum quoad species et numerum.
Art. I. Generales regulae.
§ 1. Specificae distinctionis generales regulae 62
§ 2. Numerica distinctio 62
Art. II. De peccatorum internorum specifica distinctione . . . 64

Sectio II.

De Merito actuum humanorum.

Caput I. Doctrinae de merito explicatio 70
Caput II. Practica documenta circa meritum 71

Theologia moralis specialis.

Pars I.

De Virtutibus et Officiis vitae christianae eorumque laesione.

Liber I.

De Virtutibus et Officiis circa Deum et divina bona.

Tractatus I.

De Virtutibus Theologicis.

Caput I. De fide.
§ 1. De fidei notione 75
§ 2. De excellentia et necessitate fidei 76
§ 3. Necessitas fidei quoad objecta credenda 76
§ 4. Necessitas fidei quoad eliciendum fidei actum . . . 77
§ 5. De obligatione fidem externe confitendi 78
§ 6. Obligatio lege ecclesiasticâ inducta professionem fidei publicam emittendi 79
§ 7. De peccatis contra fidem 80
Caput II. De spe.
§ 1. Quid sit spes 81
§ 2. De spei necessitate 82
§ 3. De peccatis contra spem 83
Caput III. De caritate.
§ 1. Notio et objectum caritatis 84
§ 2. De caritatis excellentia et necessitate 86
§ 3. Peccata contra caritatem 87

Tractatus II.

De virtute Religionis.

Caput I. Natura religionis et affectus *intrinsecus* ad eam spectantes . 87
Caput II. De actibus, qui principaliter seu per se religionis *exercitium* spectant.

Pag.

Art. I. De ipso horum actuum exercitio.
§ 1. De adoratione et sacrificio 88
§ 2. De oratione 88
§ 3. De reverentia rebus sacris Deove dicatis exhibenda . 90
Art. II. De actibus per religionem prohibitis seu de peccatis contra religionem 90
§ 1. De peccatis superstitionis 91
§ 2. De peccatis irreligiositatis 93
Punctum I. De blasphemia 93
Punctum II. De tentatione Dei 94
Punctum III. De sacrilegio 94
Punctum IV. De simonia 95
Caput III. De actibus, qui secundarie ad exercitium religionis pertinent.
Art. I. De juramento.
§ 1. De natura juramenti 98
§ 2. De obligatione juramenti promissorii 99
Art. II. De voto.
§ 1. De actu vovendi 101
§ 2. De re, quae promittitur in voto 103
§ 3. De voti obligatione 104
§ 4. De voti seu ejus obligationis cessatione.
Punctum I. De irritatione directa et indirecta . . 106
Punctum II. De dispensatione et commutatione votorum . 107
Caput IV. De exercitio religionis hominis, ut socialis est.
Art. I. De religionis exercitio per statum religiosum.
§ 1. De essentia statûs religiosi 110
§ 2. De vocatione ad statum religiosum, et de obstaculis . 113
§ 3. De obligatione religiosi generatim sumpta . . . 117
§ 4. De obligatione singulorum votorum.
Punctum I. De voto religiosae paupertatis . . . 117
Punctum II. De voto castitatis religiosae . . . 119
Punctum III. De obedientia religiosa 120
Art. II. De sociali religionis exercitio communi ab Ecclesia praecepto.
§ 1. De requie festiva ex praecepto servanda 122
§ 2. De participatione Ss. Missae sacrificii 127

Liber II.

De Virtutibus et Officiis circa homines humanaque bona.

Divisio I.

De extensione theologicae caritatis virtutis ad hominem ut objectum secundarium.

Caput I. De caritate, quam homo sibi ipse debet 130
§ 1. De cura circa corpus vitamque propriam . . . 131
§ 2. De cura hominis circa vitam suam supernaturalem . . 133
§ 3. De cura illorum bonorum, quibus homo ut mediis indiget 133
Caput II. De caritate erga proximum positive exercenda.
Art. I. De interno actu caritatis erga proximum 134

Pag.

Art. II. De externis actibus caritatis erga proximum.
§ 1. De obligatione proximis opem ferendi generatim . . 135
§ 2. De eleemosyna corporali in specie 137
§ 3. De spirituali quasi-eleemosyna seu de correctione fraterna 139
Caput III. De caritate negative servanda, seu de peccatis contrariis.
Art. I. De inimicitia atque de caritate inimicis debita
§ 1. De notione odii et peccatorum similium 140
§ 2. De caritate inimicis debita 142
Art. II. De scandalo et cooperatione
§ 1. De scandalo 144
Punctum I. Principia de scandalo explicantur et illustrantur 145
Punctum II. Peculiares actiones cum directo scandalo connexae discutiuntur 147
§ 2. De cooperatione prsesse sumpta.
Punctum I. Tractantur principia de cooperatione generatim 149
Punctum II. Singulares actiones seu cooperationes discutiuntur 151

Divisio II.

De virtutum moralium notione.

Sectio I.

De virtutibus prudentiae, fortitudinis, temperantiae, atque de annexis.

Caput I. Brevis conspectus virtutum et oppositorum vitiorum . . 154
Caput II. De vitiis seu peccatis capitalibus singillatim . . . 156

Sectio II.

De Justitia et virtutibus annexis.

Caput I. De justitia.
§ 1. Notio 161
§ 2. De subjecto dominii et juris in genere 162
§ 3. De objecto juris in genere 163
§ 4. De obligatione justitiae, ejusque laesae reparatione . . 164
Caput II. De virtutibus justitiae annexis.
§ 1. De virtutibus cum debito morali tantum, speciatim de veracitate 165
§ 2. De virtutibus justitiae annexis cum debito legali, pietate, observantia, obedientia 167

Divisio III.

De singulis objectis, circa quae virtutes morales et officia humanarum rerum exercentur.

Tractatus I.

De officiis et peccatis, quae Bonum Ordinis Socialis spectant.

Caput I. De mutua obligatione in societate domestica.
§ 1. De obligatione parentum 169
§ 2. De obligatione filiorum 171

Pag.

Caput II. De mutua obligatione in societate publica.
Art. I. De relatione inter Principes et subditos.
§ 1. De obligatione Principum et rei publicae rectorum . . 173
§ 2. De obligatione subditorum 174
§ 3. De obligatione populi concurrendi ad gubernandum . 174
Art. II. De publicis justitiae administris, eorumque cum civibus relatione.
§ 1. De judice 175
§ 2. De actore, vel de accusatione et denuntiatione . . 177
§ 3. De reo 179
§ 4. De teste in judicio 180
§ 5. De advocato 181
§ 6. De publicis scribis et notariis 182
§ 7. De apparitore aliisque inferioribus ministris . . . 183
Caput III. De obligatione inferiores inter et Superiores in subjectione accidentali, famuli ad herum, discipuli ad magistrum . . 184

Tractatus II.

De officiis atque peccatis circa Bonum hominis Individuale, vitam et personam.

Caput I. De cruenta defensione 186
Caput II. De cruenta punitione 186
Caput III. De caede hominis innocentis et de abortu 187
Caput IV. De duello 189
Caput V. De bello 189

Tractatus III.

De officiis circa Bonum Conjugale ac de luxuriae peccatis.

Caput I. Generalis luxuriae conceptus ejusque malitia . . . 192
Caput II. Discussio singularum actionum luxuriae imperfectae . . 194
Caput III. De luxuria perfecta seu consummata 197
§ 1. De peccato luxuriae consummatae naturali . . . 198
§ 2. De peccato luxuriae innaturali solitario seu de pollutione 198
§ 3. De sodomia 200
§ 4. De bestialitate 200
Caput IV. De peccatis luxuriae cum alia malitia specifica conjunctis . 201

Tractatus IV.

De Bonis externis seu Fortunae atque humanis erga illa officiis.

Sectio I.

De Jure hominis in bona fortunae.

Caput I. De variis juris speciebus 203
Caput II. De temporalium bonorum dominii subjecto in particulari.
§ 1. De dominio et bonis filiorum familias 204
§ 2. De bonis uxorum 206
§ 3. De dominio clericorum 207
§ 4. De dominio scriptorum 209

Pag.

Caput III. De modo acquirendi dominium et jura.
Art. I. De modo acquirendi originario.
§ 1. Occupatio animalium — venatio et piscatio . . . 210
§ 2. De thesauro ejusque occupatione 211
§ 3. De inventione rerum amissarum 212
§ 4. De juribus ex varia rerum conjunctione orituris . . 213
Art. II. De modo acquirendi legali publico jure inducto, sc. de praescriptione.
§ 1. Communiores notiones 214
§ 2. Singularia quaedam de praescriptione 216

Sectio II.

De Laesione juris alieni in bonis fortunae.

Caput I. De gravitate illius peccati ejusque materiae 218
Caput II. Ablatio rei alienae, quae a furto immunis sit.
§ 1. De necessitate, ob quam bona aliena auferre liceat . . 220
§ 2. De occulta compensatione 221

Sectio III.

De Reparatione juris laesi seu de Restitutione in bonis fortunae.

Caput I. Praeviae notiones 222
Caput II. De radicibus restitutionis principalibus.
Art. I. De priore radice, retentione rei alienae.
§ 1. Generales notiones de rei alienae detentione . . . 223
§ 2. De possessore bonae fidei 224
§ 3. De possessore malae fidei 226
§ 4. De possessore dubiae fidei 227
Art. II. De altera radice restitutionis, actione damnificante.
§ 1. Generalia principia 229
§ 2. Discussio primae conditionis actionis damnificantis, sc. „*formaliter* injusta“ 229
§ 3. Discussio secundae conditionis: „contra justitiam *commutativam*“ 230
§ 4. Discussio tertiae conditionis: „*realiter* injusta“ . . 232
§ 5. Discussio quartae conditionis: „damni *efficax causa*“ . 233
Caput III. De restitutione bonorum fortunae ex actionibus per connexionem cum alio damno seu peccato damnificantibus . 233
§ 1. De tributis eorumque defraudatione 234
§ 2. De militia atque conscriptione ejusque declinatione . 235
§ 3. De restitutione ex homicidio vel vulneratione oriunda . 236
Appendix de medico ejusque obligationibus 237
§ 4. De restitutione propter fornicationem vel stuprum . . 239
§ 5. De restitutione propter adulterium 240
Caput IV. De restitutione propter *cooperationem* cum damno.
§ 1. Jussio et mandatum 241
§ 2. Consilium 242
§ 3. Consensus 243
§ 4. Palpo 244
§ 5. Recursus 244
§ 6. Participatio 245
§ 7. Cooperatio negativa 245

Pag.

Caput V. De variis restitutionis circumstantiis.
§ 1. De quantitate debiti, et de ordine inter debitores . . 246
§ 2. Cuinam restitutio facienda sit 247
§ 3. Quo ordine debita diversa solvenda sint 248
§ 4. De modo restitutionis peragendae 249
§ 5. De causis a restitutione sive omnino sive ad tempus excusantibus 250

Sectio IV.

De bonorum externorum juriumque Translatione.

Partitio I.

De Contractibus.

Caput I. De contractibus in genere.
Art. I. Notio et divisio contractuum 254
Art. II. De causis contractuum seu de contractu „in fieri".
§ 1. De objecto seu materia contractuum 255
§ 2. De personis contrahentibus seu de contr. subjecto . . 256
§ 3. De consensu seu causa formali contractuum . . . 257
§ 4. De vitiis consensûs.
Punctum I. De errore et dolo 258
Punctum II. De metu 259
Art. III. De obligatione contractuum seu de contractu „in facto esse".
§ 1. De contractûs obligatione substantiali 260
§ 2. De contractûs accessoriis obligationibus justitiae . . 261
§ 3. De obligatione juramenti contractui additi . . . 263
Caput II. De contractibus gratuitis.
Art. I. De contractibus gratuitis unilateralibus
§ 1. De promissione 264
§ 2. De donatione 265
Art. II. De contractibus gratuitis bilateralibus.
§ 1. De commodato et precario 265
§ 2. De deposito et sequestro 266
§ 3. De mandato et negotiorum gestione 267
Caput III. De contractu mutui, ex se gratuito, per accidens oneroso.
Art. I. De notione contractûs mutui et usurae 268
Art. II. Leges et judicia Ecclesiae circa usuras 269
Art. III. Uberior declaratio justi tituli foenoris et diversae agendi rationis Ecclesiae 271
Caput IV. De reliquis contractibus onerosis.
Art. I. De contractibus onerosis principalibus.
§ 1. De emptione et venditione.
Punctum I. De natura contractûs venditionis . . 273
Punctum II. De re emptioni et venditioni subjecta . 274
Punctum III. De pretio in emptione et venditione . . 276
§ 2. De locatione et conductione 278
Art. II. De contractibus onerosis subsidiariis.
§ 1. De fidejussione 279
§ 2. De pignore 279
§ 3. De hypotheca 280

Pag.

Art. III. De contractibus aleatoriis et lusoriis.
§ 1. De assecuratione 281
§ 2. De relatione mercatoria et chirographorum emptione . 282
§ 3. De loteria 282
§ 4. De sponsione 283
§ 5. De ludo 284

Partitio II.

De Successione Haereditaria.

Caput I. De notione et origine successionis 285
Caput II. De haeredibus eorumque portione.
§ 1. De notione haeredum bonorumque inter eos divisione . 286
§ 2. De aliis haeredum juribus et oneribus 287
Caput III. De testamento.
§ 1. De forma testamenti 288
§ 2. De testamenti dispositionibus et clausulis . . . 289
§ 3. De causis et modis, quibus testamentum efficaciâ privetur 289
§ 4. De testamenti exsecutione 290

Tractatus V.

De officiis et peccatis circa Bonum Famae et Honoris.

Praevia de fama et honore proprio 291
Caput I. De obligatione circa famam atque honorem alienum ejusque laesione.
§ 1. De diffamatione 292
§ 2. De judicio temerario et suspicione 294
§ 3. De contumelia 295
Caput II. De restitutione propter laesam famam vel honorem . . 295
Caput III. De secreto generatim sumpto ejusque laesione . . . 297

Tractatus VI.

De praeceptis Ecclesiae communibus.

Caput I. De diebus festivis sanctificandis 298
Caput II. De annua confessione et Communione 299
Caput III. De lege abstinentiae extra jejunium 301
Caput IV. De jejunio ecclesiastico.
§ 1. Ad quid lex jejunii obliget 302
§ 2. Qui teneantur, qui non teneantur ad servandum jejunium 303

Pars II.

De subsidiis vitae christianae agendae.

Liber I.

De subsidiis adjuvantibus seu de Sacramentis.

Tractatus I.

De Sacramentis generatim.

Pag.

Caput I. De natura et divisione sacramentorum.
§ 1. Quid sit sacramentum 307
§ 2. De numero sacramentorum 308
§ 3. De divisione sacramentorum 308
Caput II. De materia et forma sacramentorum 309
Caput III. De sacramentis iterandis 311
Caput IV. De ministro sacramentorum.
§ 1. De attentione in sacramentis administrandis necessaria . 312
§ 2. De intentione in sacramentis administrandis necessaria . 313
§ 3. De modo et ritu conferendi sacramenta 314
§ 4. De probitate ministri, seu de statu gratiae sacramentorum ministris necessario 314
§ 5. De obligatione sacramenta ministrandi 315
§ 6. De sacramentis denegandis 317
Caput V. De sacramentorum susceptione.
§ 1. De valida sacramentorum susceptione 319
§ 2. De licitae et fructuosae susceptionis debita dispositione interna 320
§ 3. De licitae susceptionis conditione externa seu de ministro digno adeundo 321

Tractatus II.

De Baptismo.

Caput I. De essentia et natura baptismi 321
§ 1. De gratia et effectu sacramenti baptismi 322
§ 2. De materia baptismi.
A. Materia remota 322
B. Materia proxima 323
§ 3. De forma baptismi 324
Caput II. De ministro et modo conferendi baptismi.
§ 1. Munus ministri 325
§ 2. Munus patrinorum 327
Caput III. De subjecto baptismi 328

Pag.

Tractatus III.

De Confirmatione.

Caput I. De essentia et natura confirmationis.
§ 1. De gratia, quam confirmatio confert 330
§ 2. De materia et forma, quae confirmationem ut gratiae efficax signum constituunt 330
Caput II. De ministro confirmationis 331
Caput III. De subjecto confirmationis ejusque suscipiendae obligationis 332

Tractatus IV.

De SS. Eucharistiae Sacramento.

Sectio I.

De SS. Eucharistia, ut est Sacramentum.

Caput I. De re, quam continet SS. Eucharistia.
§ 1. De reali Christi in SS. Eucharistia praesentia . . . 334
§ 2. De effectibus SS. Eucharistiae 335
Caput II. De confectione SS. Eucharistiae.
§ 1. Materiam SS. Eucharistiae qualem esse oporteat . . 336
§ 2. Materia SS. Eucharistiae quomodo debeat esse praesens 337
§ 3. De forma SS. Eucharistiae 338
Caput III. De usu SS. Eucharistiae.
Art. I. De SS. Eucharistiae asservatione et expositione . . 339
Art. II. De distributione SS. Eucharistiae.
§ 1. Quibus competat jus distribuendi 342
§ 2. De obligatione administrandae SS. Eucharistiae . . 342
§ 3. De modo SS. Eucharistiam administrandi . . . 343
Art. III. De susceptione SS. Eucharistiae 345
§ 1. De obligatione sumendae SS. Eucharistiae . . . 346
§ 2. De dispositione animae ad sumendam SS. Eucharistiam . 346
§ 3. De dispositione corporis ad sumendam SS. Eucharistiam requisita 349

Sectio II.

De SS. Eucharistia, ut est Sacrificium.

Caput I. De natura et efficacia Ss. Missae sacrificii.
Art. I. De notione Ss. Missae sacrificii ejusque fructuum . . 351
Art. II. De applicatione Missae.
§ 1. Pro quibus Missa offerri possit 353
§ 2. De valore Missae applicationis sive finito sive infinito . 355
§ 3. Quomodo applicatio Missae a sacerdote facienda sit . 356
Caput II. De obligatione Ss. Missae sacrificium celebrandi.
§ 1. Obligatio celebrandi ratione sacerdotii 357
§ 2. Obligatio celebrandi ratione officii curam animarum annexam habentis 357
§ 3. Obligatio celebrandi ratione contractûs seu stipendii accepti 359
§ 4. Obligatio celebrandi ex obedientia imposita . . . 360

Pag.

Caput III. De praeceptis liturgicis in celebranda Missa servandis.
Art. I. De tempore et loco celebrationis 361
§ 1. Quibus diebus liceat sive non liceat celebrare . . . 362
§ 2. De facultate binandi 363
§ 3. De hora, qua celebrari liceat 364
§ 4. De loco celebrationis 365
§ 5. De altari ejusque consecratione et exsecratione . . 366
Art. II. Sacra utensilia ad Missae celebrationem necessaria . . 366
Art. III. Praescripta ipsum ritum sacrum spectantia.
§ 1. De rubricis generatim 369
§ 2. De qualitate Missae particularia quaedam . . . 370
§ 3. De singulis Missae partibus atque orationibus . . 370
§ 4. Actiones rituales speciatim consideratae 372

Tractatus V.

De Sacramento Poenitentiae.

Sectio I.

De natura Poenitentiae qua virtus et qua Sacramentum est.

Caput I. Notio virtutis poenitentiae 375
Caput II. Institutio sacramenti poenitentiae a Christo facta . . 375
Caput III. De partibus constitutivis sacramenti poenitentiae.
§ 1. Quo sensu materia hujus sacramenti sumatur . . . 377
§ 2. Quam late pateat materia sacramenti poenitentiae . . 378
§ 3. De forma sacramenti poenitentiae 380

Sectio II.

De subjecto sacramenti Poenitentiae seu de poenitentis actibus singillatim consideratis, qui quasi-materiam proximam constituunt.

Caput I. De contritione.
§ 1. De natura et efficacia contritionis 382
§ 2. De dotibus contritionis 383
§ 3. De elemento dolorem consequente seu de proposito . 385
Caput II. De confessione.
Art. I. De confessionis integrae necessitate et ambitu.
§ 1. De necessitate et integritate generatim 386
§ 2. De specifica peccatorum declaratione in confessione necessaria 387
§ 3. De peccatis dubiis 389
§ 4. De peccatis oblivione etc. omissis 390
Art. II. De causis ab integritate confessionis excusantibus . . 391
Art. III. De mediis ad integritatem confessionis procurandam necessariis.
§ 1. De examine conscientiae confessioni praemittendo . . . 394
§ 2. De confessionum repetitione et de confessione generali . 395
Interrogatorium confessionis generalis 397
Caput III. De satisfactione 399

Pag.

Sectio III.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

Caput I. De potestate ministri.
Art. I. De notione potestatis ordinis, jurisdictionis, approbationis 402
Art. II. De jurisdictione ordinaria 403
Art. III. De jurisdictione delegata et approbatione illi conjuncta.
§ 1. De delegatione et approbatione ordinario modo facta . 405
§ 2. De delegatione, quae fit extraordinarie et per accidens . 406
§ 3. De illa jurisdictione delegata, quae lege speciali regitur.
Punctum I. De jurisdictione in regulares eorumque familiares 409
Punctum II. De jurisdictione et approbatione pro confessione monialium 410
Art. IV. De jurisdictionis limitatione seu casuum reservatione.
§ 1. Quid requiratur, ut casus sint reservati 411
§ 2. De casuum reservatorum absolutione 412
Appendix de casuum reservatione apud regulares . . . 415
Caput II. De confessarii potestatis atque muneris essentialis exercitio
§ 1. De causa recognoscenda 416
§ 2. De dispositione poenitentis inquirenda 417
§ 3. De sententia ferenda sive absolutionis sive retentionis peccatorum 419
Caput III. De confessarii obligationibus accessoriis.
Art. I. De debita praeparatione ad munus confessarii.
§ 1. De caritate et patientia 421
§ 2. De scientia et prudentia 421
Art. II. De obligationibus in ipsa confessione occurrentibus.
§ 1. De obligatione monendi et instruendi poenitentes . . 422
§ 2. De obligatione remedium afferendi contra relapsum . 424
Art. III. De obligationibus confessionem subsequentibus.
§ 1. De secreto sacramentali seu sigillo confessionis.
Punctum I. De ipsius sigilli obligatione . . . 425
Punctum II. De objecto sacramentalis sigilli . . . 426
Punctum III. De sigilli subjecto 427
Punctum IV. Quo modo sigillum sacramentale violetur . 429
§ 2. De obligatione corrigendi defectus in confessionibus exceptis commissos 431
Caput IV. Confessarii obligationum ad diversa genera poenitentium applicatio.
Art. I. De difficultate confessarii in deprehendenda necessaria instructione.
§ 1. De confessione puerorum 432
§ 2. De confessione rudium 433
§ 3. De semifatuis 434
§ 4. De surdis et mutis 434
Art. II. De difficultate in dijudicanda sufficienti dispositione morali.
§ 1. De occasione peccandi 435
§ 2. De consuetudine et relapsu 436
§ 3. De quibusdam regulis circa absolutionem recidivorum et occasionariorum 437

Pag.

Art. III. De difficultate confessarii in conservanda et augenda pietate.
§ 1. De tentatis et afflictis 439
§ 2. De poenitentibus piis 441
§ 3. De directione monialium 442
Art. IV. De agendi ratione cum moribundis.
§ 1. Quousque liceat moribundum absolvere 444
§ 2. De modo securius et copiosius juvandi moribundos . 445

Sectio IV. — Appendix.

De remissione poenarum temporalium sacramentum Poenitentiae complente, seu de Indulgentiis.

Caput I. De indulgentiis generatim.
Art. I. Summa capita doctrinae de indulgentiis 447
Art. II. De conditionibus ad lucrandas indulgentias speciatim.
§ 1. De conditione prima seu de statu gratiae . . . 448
§ 2. De conditione altera, i. e. de voluntate eas lucrandi . 448
§ 3. De conditione tertia, i. e. de praescriptis operibus implendis 449
Caput II. De jubilaeo speciatim.
Art. I. Summa doctrinae capita 451
Art. II. De operibus, quae in jubilaeo praescribi consueverunt, singillatim consideratis 452
Art. III. De favoribus indulgentiae jubilaei annexis . . . 453

Tractatus VI.

Sacramentum Extremae Unctionis.

Caput I. De extremae unctionis rationibus internis.
§ 1. De gratiis per U. E. conferendis seu de ejus effectu . 455
§ 2. De materia et forma 456
Caput II. De extremae unctionis causis externis, ministro et subjecto 457

Tractatus VII.

Sacramentum Ordinis.

Caput I. De ordinis rationibus internis.
§ 1. De natura ordinis, eaque sacramentali 459
§ 2. De diversorum ordinum effectibus 459
§ 3. De materia et forma singulorum ordinum . . . 460
Caput II. De ordinis rationibus externis.
§ 1. De ministro ordinationis 463
§ 2. De subjecto ordinationis 464
Caput III. De oneribus et favoribus ordinibus, praecipue sacris, annexis.
Art. I. De obligationibus clericorum communibus.
§ 1. De veste clericali et tonsura 467
§ 2. De prohibitis artibus et officiis 467
§ 3. De prohibitis ludis animique relaxationibus . . . 469
§ 4. De coelibatu ejusque custodia 471

Pag.

§ 5. De divini officii seu breviarii recitatione.
Punctum I. De obligatione ejusque gravitate . . . 472
Punctum II. De modo et circumstantiis recitandi officium divinum 474
Punctum III. De causis a recitatione officii excusantibus 475
Punctum IV. De restitutione fructuum beneficii propter neglectum divinum officium 477
Art. II. De obligationibus clericorum in particulari.
§ 1. De speciali obligatione Episcoporum 477
§ 2. De speciali obligatione parochorum 478
§ 3. De speciali obligatione canonicorum 480
Art. III. De privilegiis clericorum.
§ 1. De privilegiis clericorum communibus 481
§ 2. De privilegiis Episcoporum 481
§ 3. De praecipuis privilegiis regularium 483

Tractatus VIII.

De Matrimonio.

Sectio I.

De iis quae Matrimonium praecedunt.

Caput I. De sponsalibus.
§ 1. De sponsalium natura 486
§ 2. De sponsalium effectu 487
§ 3. De nullitate et dissolutione sponsalium 488
Caput II. De bannis.
§ 1. De obligatione bannorum 489
§ 2. De dispensatione bannorum 490
§ 3. De obligatione impedimenta revelandi 491

Sectio II.

De matrimonialis contractûs natura et qualitate.

Caput I. De matrimonialis contractûs charactere sacramentali.
§ 1. De hujus sacramenti essentia 492
§ 2. De sacris caerimoniis observandis 494
Caput II. De matrimonii essentialibus qualitatibus.
Art. I. De unitate matrimonii 495
Art. II. De matrimonii solutione et indissolubilitate.
§ 1. De matrimonii firmitate, ac de divortio quoad vinculum 496
§ 2. De divortio quoad torum et cohabitationem . . . 497

Sectio III.

De personis contrahentibus, atque impedimentis Matrimonii.

Caput I. De impedimentis impedientibus.
§ 1. Ecclesiae vetitum, atque de matrimoniis mixtis . . 498
§ 2. Tempus clausum 499
§ 3. Sponsalia cum alio 499
§ 4. Votum, seu certa quaedam vota 500
§ 5. De lege civili matrimonio obstante 502

Pag.

Caput II. De impedimentis dirimentibus.
§ 1. Praevie notanda 503
A. Impedimenta juris privati.
§ 2. Impedimenta erroris et servilis conditionis . . . 504
§ 3. Impedimentum vis et metûs 505
§ 4. „ ligaminis 506
§ 5. „ impotentiae 506
B. Impedimenta juris publici.
§ 6. Impedimentum aetatis 508
§ 7. „ voti et ordinis 509
§ 8. „ disparitatis cultûs 510
§ 9. Impedimenta cognationis.
Punctum I. Cognatio naturalis seu consanguinitas . 510
Punctum II. Cognatio spiritualis 513
Punctum III. Cognatio legalis 514
§ 10. Impedimentum affinitatis 514
§ 11. „ publicae honestatis 516
§ 12. „ criminis 516
§ 13. „ raptûs 518
§ 14. „ clandestinitatis, seu: de forma substantiali, qua matrimonium contrahi debet 518
Punctum I. De re, quam lex de clandestinitate praescribat 519
Punctum II. De extensione et limitatione legis clandestinitatem vetantis seu ubinam vigeat 520
Caput III. De impedimentis matrimonii tollendis.
§ 1. De potestate dispensandi 522
§ 2. De causis dispensandi 523
§ 3. De petitione dispensationis 524
§ 4. De concessione dispensationis 526
§ 5. De matrimonio revalidando 528

Sectio IV.

De jure, quod ex Matrimonio conjugibus oritur.

Caput I. Quae licita sunt conjugibus, quaeque illicita.
Art. I. De licitis et illicitis ex parte rei seu ex parte ipsius actionis.
§ 1. De actibus inter conjuges mutuis 529
§ 2. De actibus conjugum sine mutua ad invicem relatione . 531
Art. II. De licitis et illicitis inter conjuges ratione circumstantiarum.
§ 1. Ratione ipsius matrimonii 531
§ 2. Circumstantiae personarum 532
§ 3. Circumstantiae temporis 533
§ 4. De circumstantia loci et sitûs 533
Caput II. De obligatione circa actus conjugales.
§ 1. Obligatio conjugale debitum reddendi 534
§ 2. De obligatione denegandi 536
Appendix de aliis mutuis officiis mariti et uxoris 537

Liber II.

De Poenis ecclesiasticis.

Tractatus I.

De Censuris et poenis similibus.

Sectio I.

Generalis diversarum Censurarum explanatio.

Pag.

Caput I. De censuris in communi.
§ 1. Notio et conditiones censurarum 539
§ 2. Divisio censurarum 540
§ 3. Quis in quos censuras ferre possit, seu de auctore censurarum earumque subjecto 541
§ 4. De cessatione censurarum earumque absolutione . . 542

Caput II. De prima censurarum specie, seu de excommunicatione.
§ 1. Generalis notio 543
§ 2. Effectus immediati excommunicationis singillatim expenduntur 544
§ 3. Effectus excommunicationis mediati 546

Caput III. De secunda censurarum specie, seu de suspensione.
§ 1. Notio et divisio 547
§ 2. Effectus suspensionis 548
§ 3. Suspensionis cessatio 548

Caput IV. De tertia censurarum specie seu de interdicto.
§ 1. Generalis notio et divisio 549
§ 2. Uberior explicatio effectuum interdicti 550
§ 3. De interdicto „ab ingressu ecclesiae“ speciatim . . 550
§ 4. Violatio interdicti, ejusque culpae gravitas . . . 551

Caput V. Appendix. De poenis ecclesiasticis vindicativis, quoad effectus censuris similibus.
§ 1. Depositio 552
§ 2. Degradatio 552
§ 3. Cessatio a divinis 553
§ 4. Sepulturae ecclesiasticae denegatio 553

Sectio II.

De Censuris latae sententiae singillatim consideratis.

Caput I. Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatae . 554
Caput II. Excommunicationes ordinario modo R. Pontifici reservatae 559
Caput III. Excommunicationes latae sententiae Ordinariis reservatae . 562
Caput IV. Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae . 563
Caput V. Suspensiones latae sententiae 565
Caput VI. Interdicta latae sententiae qui incurrant 568

Pag.

Tractatus II.

De Irregularitatibus.

Caput I. De Irregularitatibus generatim 570
Caput II. Irregularitates ex delicto singillatim consideratae.
§ 1. „Fonte reus“ seu sacrilega baptismi iteratio vel susceptio 571
§ 2. „Sacris reus“ seu ordinum illicita susceptio et usurpatio 571
§ 3. „Censurâ reus“ seu: violatio censurae per exercitium ordinis sacri 572
§ 4. „Crimine reus“, seu: crimina, quae ipso jure irregularitatem inducunt 572
§ 5. „Leto reus“, seu: de homicidio et mutilatione . . 573
Caput III. Irregularitates ex defectu singillatim consideratae.
§ 1. Defectus natalium seu ortus illegitimus 574
§ 2. Defectus animi 575
§ 3. Defectus libertatis 576
§ 4. Defectus corporis 576
§ 5. Defectus aetatis 577
§ 6. Defectus sacramenti, seu bigamia 577
§ 7. Defectus lenitatis 578
§ 8. Defectus famae, seu infamia 578

Index rerum alphabeticus 581

Prolegomena.

§ 1.

Quid sit theologia moralis, et quam necessaria eius tractatio.

Theologia moralis *de moribus* seu *moralitate* tractat, atque de iis 1
tractat *theologice*. — Moralitas autem dicitur de hominum actibus, e quibus vitae rectitudo pendet, seu — quum haec pendeat a fine ultimo — de actibus hominum, quatenus ordinem dicunt ad finem ultimum cum eoque proportionem aut e contrario disproportionem habent.

Hanc autem moralitatem disciplina nostra tractat *theologice*, nimirum secundum principia per Dei revelationem seu fidem hominibus communicata vel confirmata.

Cum ethica igitur convenit ex magna parte in objecto, de quo agit, differt tamen ipso quidem objecto non parum, at multo magis principio seu medio cognitionis.

Cum theologia dogmatica moralis theologia eatenus cohaeret, quod *ex eodem revelationis fonte* utraque et principalem doctrinam et certiorem cognitionem haurit. In objecto autem ita discrepat, ut theologia dogmatica veritates potius *speculativas* et altissimas tractet, aut si practicas, eas ipsas modo speculativo et remote practico, atque in perficiendo intellectu sistat; theologia vero moralis veritates *practicas*, seu quae agenda sunt, pertractat, ac rationem perficit, ut proxime est directrix voluntatis et exsecutionis.

Summa necessitas hujus disciplinae maxime in iis spectatur, quibus 2
cura animarum demandata est. Nam eorum imprimis est accurate singularum actionum humanarum necessitudinem cum ultimo fine inquisivisse, quo alios dirigere, monere, promovere possint. Atque eo melius in hac scientia versati esse debent, quo periculosius in directione animarum erratur, sive ad nimium rigorem, sive ad nimiam benignitatem deflexeris, et quo expeditius plerumque responsum dari debet, eo quod totum negotium in confessionis tribunali fere absolvitur, ita ut retractari, obstante sigillo, vix possit, neque sit, qui errantem possit corrigere.

Contra autem nulla alia scientia subsidium tam immediatum et aptum est ad colligendos fructus divinae gloriae et animarum salutis, quam scientia theologiae moralis, quo confessarii aliique in curam animarum incumbentes tamquam necessario instrumento utuntur ad munus suum rite obeundum: neque hi ulla in re Deo tam intime

cooperantur, quam quum gratiae divinae recipiendae, conservandae, augendae perite disponunt mortalium animos ipsaque munera coelestia recte dispensant.

§ 2.

Methodus et divisio tractationis.

3 Theologia moralis, quoniam principaliter in formandos atque instituendos confessarios dirigitur, ita scientifice et speculative tractanda est, ut non desinat esse practica. Quod maxime de compendio valet. Ad brevem igitur argumentationem rationes dandas restringemus, practica et singularia consectaria indicabimus, pro majore eruditione lectorem remissuri ad nostram *„Theologiam moralem“* aliosque libros fusius rem tractantes.

4 Divisionis summa ex ipsa definitione theologiae moralis supra data habetur. Haec enim tria suppeditat, quibus nostrae disciplinae materia absolvitur: *finem hominis, actus humanos, horum actuum ad finem relationem:* quorum duo priora sunt objecta quaedam praeambula, posterius praecipuum ac proprium objectum.

Finis qui sit, sive naturali conditione creaturarum, sive Dei gratia homini praestitutus, necesse prorsus est, ut ante omnia attendatur. Sufficit tamen hoc ex dogmatica theologia sumpsisse: Deum naturalem creaturae rationalis exigentiam, qua dirigatur ad beatam aliquam Dei cognitionem et possessionem, infinite supergressum esse, quum ab initio constitueret supernaturalem homini finem in intuitiva ipsius Dei visione, quam nulla creatura jure suo sibi exigere potest; eundem Deum rursus hominem, imo totum hominum genus in protoparente misere lapsum, misericordia immensa per proprium Filium suum in humana natura assumpta redemisse atque in supernaturalem ordinem abundantius restituisse. Quare de hoc amplius tractare supersedemus.

Alterum elementum, quod considerari debet, sunt *actus humani.* Quidquid autem de iis in se spectatis, de eorum natura atque causa efficiente considerandum occurrit, etsi fuse in ethica, et ex parte in dogmatica theologia docetur, ubi de virtutibus infusis agitur, tamen, quoniam relationis actuum humanorum ad finem ultimum recta cognitio non habetur, nisi menti alte impressa est ipsorum actuum et physice et psychologice consideratorum notitia: supervacaneum non est, ea, quae ethica et dogmatica exponit, breviter hîc tamquam in uno conspectu poni, idque eo magis, quia in hac nostra tractatione complura notanda occurrent, quae summi ad vitam moresque momenti sint, at in dogmate praetermitti fere soleant.

Quae quando breviter expedita fuerint, ad *praecipuum* disciplinae nostrae *objectum, relationem* dico *actuum ad ultimum finem,* transeundum erit, idque tum generatim, tum singulatim diligenter exponendum. Primum autem consideranti occurrent generales notiones hujus relationis, seu *notio moralitatis,* nimirum tum convenientiae, tum discrepantiae, cum ultimo fine, tum etiam indifferentiae. Qua notione habita, *regula*

sive norma spectanda est, unde pendeat et unde cognoscatur moralis illa harmonia aut disharmonia cum ultimo fine, aliis verbis, unde sit et unde cognoscatur, cur et quomodo et quaenam sint moraliter bona, quaenam moraliter mala: quod praestabit regula duplex, *subjectiva* una, altera *objectiva*, vel una proxima, remota altera, scilicet *conscientia* et *lex*.

Cum duplicis illius regulae notione intime cohaeret generalium principiorum circa hujus regulae observantiam et laesionem, sc. *virtutum et peccatorum, generalis* cognitio et tractatio.

Reliqua eaque longe maxima et ad usum vitae potissima pars in inquirendis *singulis legibus*, singulis *virtutibus* et *peccatis* consistit, et in considerandis *adjumentis*, quae Deo dante homini praesto sunt ad praecepta legis moralis implenda. Hanc nimirum *theologia moralis specialis* sibi tractationem assumit; priora omnia pars generalis complectitur.

Igitur parte *generali* agendum est:

1. de *actibus humanis* et *moralitatis natura* et *conditionibus;*
2. de *regulis actuum humanorum,* sc. de *conscientia* et de *legibus;*
3. de *virtutum* et *peccatorum generibus*.

Theologia moralis generalis.

Liber unicus.

Tractatus I.

De Actibus humanis eorumque moralitate.

Cf. S. Thom. I. II. q. 6—21; Suarez *in I. II.* tract. 2; Billuart, *Summa St. Thom. 4 de actib. hum.* diss. 1—4; ex recentibus Bouquillon, *theol. fundamentalis* lib. I; G. I. Walsh, *tract. de actib. hum.* (Dublinii 1880).

Caput I.

Notio et divisio actuum humanorum.

1. *Actus humani* ii sunt, *qui ab homine, ut homo est, procedunt;* i. e. quatenus est dominus suorum actuum. Talis est per rationem et voluntatem. „Illae ergo actiones proprie *humanae* dicuntur, quae *ex voluntate deliberata* procedunt", ait S. Thomas I. II. q. 1 a. 1. 5

2. Alii vero actus dicuntur *„hominis quidem, sed non humani"* (*ibid.*), ut a) actus hominis somniantis, delirantis, ebrii — qui fiunt ab homine deliberati actûs tunc incapaci; similiter etiam actus hominis non impotis quidem deliberatae actionis, sed per accidens ab usu suae potestatis hîc et nunc impediti, ut b) plene distracti; vel actus quilibet indeliberati, qui etiam actus seu motus primo-primi vocantur, sive in sensitiva facultate, sive in voluntatis nisu naturali advertentiam rationis praeveniente, sive in necessaria objecti intellectualis perceptione et cognitione consistunt: attamen illi actus primo-primi, quando post rationis advertentiam libere sustinentur vel continuantur, humani esse incipiunt.

3. Plenioris notitiae causa expedit varias *actuum humanorum divi-* 6 *siones* subnectere.

A. Secundum se, et ratione proximi principii distinguuntur:

1) Actus *interni* et *externi:* priores sunt, qui internis facultatibus consummantur et plane intra hominis animum manent; posteriores, qui usque ad exercitium externae alicujus facultatis progrediuntur adeoque percipi per se ab aliis possunt.

2) Actus *eliciti* et *imperati* dicuntur, prout actus ad facultatem vel motiva diversa referuntur aut *immediate* aut *mediate.*

Sic actus fidei elicitur a ratione, imperatur a voluntate; actus caritatis elicitur a voluntate, movente consideratione divinae perfectionis ut motivo immediato, imperari *potest* ab alio motivo, e. g. timoris. — Actus autem externi, quatenus externi sunt, imo omnes actus, qui non sunt voluntatis, a voluntate sive pleno, sive imperfecto modo imperari debent, *ut humani esse possint.* Imperfectum imperium voco quemlibet voluntatis consensum.

3) Actus *naturales* et *supernaturales* distinguuntur, prout solae naturales vires et naturales facultates sunt, quibus actus formentur, aut facultates naturales sub influxu divinae gratiae creaturae nullatenus debitae.

B. Secundum relationem suam ad finem ultimum distinguuntur:

4) Actus *boni, mali, indifferentes*, prout cum ordine recti seu rationalis naturae concordant, discrepant, aut neutro modo se habent.

5) Actus *liciti* et *illiciti* fere idem indicant, ac n. 4), scilicet mali sunt illiciti, liciti boni et indifferentes; sic vocantur, prout a supremo legislatore aut *permittuntur* aut *prohibentur.*

6) Similiter secundum voluntatem supremi legislatoris distinguuntur actus *praecepti* et *liberi:* liberi autem possunt esse *tantum permissi* aut *consulti.*

C. Ratione effectus distinguuntur:

7) Actus *meritorii* et *demeritorii,* prout illos praemium aut poena manet. Supernaturale meritum distinguitur *condignum* et *tantum congruum.*

8) Actus *validi* et *invalidi* dicuntur secundum effectum juridicum et moralem, prout aut omnia adsunt, quae ad consequendum aliquem effectum requiruntur, aut, necessario aliquo elemento deficiente, actus effectu destituitur.

Caput II.

De Actibus humanis secundum interna principia.

7 Dictum est supra, actus dici humanos ex *ratione* et *voluntate.* Potissimum igitur momentum, quod considerationi nostrae subjicitur, est *voluntatis* exercitium: cognitio eatenus considerari debet, quatenus praerequiritur atque, ea deficiente vel decrescente, etiam voluntatis actus deficit aut mutatur.

Duplici articulo agemus 1. de voluntario ejusque conditione, 2. de voluntarii obstaculis.

Articulus I.

De voluntario ejusque conditione.

§ 1.

Voluntarii generalis explicatio et divisio.

1. *Voluntarium* dicitur id, *quod a (deliberata) voluntate effective aliquo modo pendet:* distinguitur a *volito,* quod vocant id, quod utcunque voluntatis *objectum* est.

Hinc voluntarium semper est aliquo modo volitum; sed non vice versa. Quodcunque desiderio, approbatione, complacentia voluntas amplectitur, volitum est; voluntarium soli voluntatis proprii actus vel eorum effectus.

2. Voluntarii distinctio multiplex magnam attentionem meretur: 8

1) Voluntarium *formaliter tale*, et *denominative tale*. — Formaliter voluntarii sunt soli voluntatis actus; alii actus, qui ab iis oriuntur vel causantur, sunt denominative voluntarii, v. g. actus fidei, esus, scriptio, mors alteri inflicta.

2) Voluntarium distinguitur *perfectum* et *imperfectum*, prout homo agit cum plena cognitione plenaque consensione, aut sine plena cognitione vel consensu. Non vero ex eo dicitur aliquid imperfecte voluntarium, quod aliquis cum quadam repugnantia agat, si modo libere actum eligat. Hoc enim infert distinctionem inter:

3) Voluntarium *simpliciter* et *secundum quid;* quamquam haec potius *involuntarii* distinctio est. — Nimirum involuntarium *simpliciter* dicitur, quod voluntas neque ullo modo causavit neque desiderat, sed potius aversatur et impedire conatur. Involuntarium *secundum quid* illud dicitur, quod velleitate vel conditionata voluntate homo aversatur, attamen absoluta voluntate et efficaci amplectitur: ita ut involuntarium secundum quid simul sit simpliciter voluntarium idque perfectum.

Exempli causa: qui in naufragio merces projicit, ut vitam servet; illi projectio mercium est involuntaria secundum quid — vellet enim eas servari — sed voluntaria simpliciter et perfecto consensu, quia eam eligit plena deliberatione ut medium vitae servandae. — Simile quid observa in homine peccante.

4) Voluntarium distinguitur *in se* et *in causa tantum;* similiter voluntarium *directum* et *indirectum;* voluntarium *positivum* et *negativum:* quas distinctiones simul propono, quia una cum altera cohaeret.

Nimirum si voluntas aliquod objectum appetit atque illud agendo causat, habetur voluntarium *in se;* si vero illud non appetitur, at aliud appetitur atque agendo causatur, quocum objectum primum tamquam cum causa conjungitur, hoc objectum primum dicitur voluntarium *in causa tantum.* — *Positivum voluntarium* vocatur illud objectum voluntatis illeque effectus, qui ita a me meisque actionibus pendet, ut ex mea positiva actione voluntaria oriatur; contra, quod a me sic solummodo pendet, ut propter voluntariam meam omissionem oriatur, mihi dicitur *negative voluntarium.* — *Directe* et *indirecte* voluntarium cum prioribus distinctionibus fere confunditur, ita ut indirecte voluntarium ab aliis dicatur, quod *negative tantum* voluntarium sit, idque ita, ut ne affectus quidem voluntatis in illud feratur; ab aliis id, quod voluntarium *positive quidem* sit, sed *in causa tantum.*

5) Voluntarium *expressum, tacitum, praesumptum* dicitur de consensu 9 in aliquam rem, qui colligatur ex ipsis meis verbis seu signis *hîc et nunc datis,* ex meo *silentio,* ex *priore* mea dispositione aliunde cognita. Exempli causa sume: a) religiosum, petito et accepto consensu Superioris, librum emere; b) eundem idem facere, praesente Superiore, sed non interrogato, at ita constituto, ut facile contradicere possit; c) idem facit, absente Superiore, quum in itinere ex improviso opportunitatem nactus sit, judicans, Superiorem consensurum esse, si adiri

posset. In primo casu emptio libri *Superiori* voluntaria est *expresse*, in secundo *tacite*, in tertio *praesumptive*.

6) Voluntarium *actuale, virtuale, habituale, interpretativum*. Videlicet quod procedit a voluntate, quae *hîc et nunc* signate habetur seu actu exsistit, dicitur voluntarium actuale, vel *actualiter* voluntarium. — Quod a voluntate oritur, quae deliberato quidem actu nunc non exsistit, at *in praecedentis ejusmodi actûs effectu* aliquo sese manifestat, dicitur *virtualiter* voluntarium. — Quod a deliberata voluntate neque in se exsistente neque in effectu quodammodo continuata, sed *habita neque retractata* dependet, *habitualiter* voluntarium est. — Postremo, quod pendet a voluntate, quae reipsa explicite neque adest neque adfuit, quam tamen adfuturam esse, si homo attenderet vel attendere posset, ex justis rationibus colligitur, seu *quam implicite adfuisse*, recte praesumitur: id illi homini *interpretative* voluntarium dicitur.

Eodem modo distinguitur *intentio* actualis, virtualis, habitualis, interpretativa.

7) Voluntarium dividitur in voluntarium *explicite* et voluntarium *implicite* uno modo relate ad voluntatis *objectum*, prout hoc aut *in se ipso* menti obversatur, aut tantum in *alio objecto*, quod menti obversatur, continetur; alio modo illud „*implicite* et *explicite*" de ipso *voluntatis actu dicitur*, quando unus in altero *germine tenus* vel *aequivalenter* continetur. — Priore modo implicite diligo inimicum, si actum dilectionis erga omnes homines in communi elicio, neminem excludens; posteriore modo implicite habeo propositum non peccandi amplius, si explicite dolorem de peccato elicio. — Implicite voluntarium saepe etiam dicitur voluntarium *virtualiter*, quum unus actus contineat in se alterum actum secundum vim et virtutem. Cf. *Theolog. mor.* n. 4.

§ 2.

De interna voluntarii affectione, seu de libero.

Libertatem philosophi et theologi varie distinguunt. — Ipso genere libertas est quaedam a vinculo vel constrictione immunitas. Hîc consideramus eam, quae dicitur *libertas a necessitate*[1]. Haec abest, si homo non potest non sic et ita agere; adest, si in potestate hominis est, sic agere aut non. Dicitur etiam libertas *indifferentiae*, non quod voluntas nullo modo vel aequali modo a diversis objectis afficiatur, sed quod per haec voluntas ipsa nondum ad certum objectum determinata sit.

Varie tamen haec libertas distinguitur, scilicet: libertas contradictionis et contrarietatis, specificationis et exercitii.

Libertas *contradictionis* est facultas agendi et non agendi, quando in hominis potestate est, agere vel non agere; libertas *contrarietatis* est

[1] Distinctio fit libertatis *a necessitate* et libertatis *a coactione:* quae intelliguntur, si explicatur, quid sit coactio et necessitas. *Coactio* est vis extrinsecus illata invito; *necessitas* est vis intrinsecus constringens et indeclinabiliter ad unum aliquid determinans.

facultas aut agendi certum aliquid, aut non agendi, aut contrarium agendi; libertas *exercitii* est facultas agendi aut plane omittendi actum. A libertate contradictionis igitur vere non differt libertas exercitii nisi eo, quod prior de singularibus actionibus seu actionum speciebus potius dicatur, posterior de facultate agendi aut non agendi universim. Libertas solius *specificationis* est facultas inter plura hunc vel illum actum eligendi, ita ut libertas contrarietatis esse possit, non tamen necessario aut semper sit.

Sic si homo agere quidem debet, sed si optio datur *v. g.* sedendi, ambulandi, scribendi etc., habet libertatem specificationis; si potestatem habet amandi, aut non amandi, circa hoc habet libertatem contradictionis; si habet potestatem aut amandi, aut non amandi, aut etiam odio habendi, habet in hoc libertatem contrarietatis; si facultatem habet aut aliquid aut nihil agendi, libertas exercitii est.

1. *Hominem seu ejus voluntatem vere liberam esse libertate indif-* 11
ferentiae, ita ut possit in diversa et contraria ferri, prout voluerit, idque etiamsi voluntas in alterutram partem sollicitetur, non solum ratio et experientia perpetua, sed etiam literae divinae atque catholica fides innumeris locis docent. Cf. Gen. 4, 7; Deut. 30, 11-20; Eccli. 15, 14; Trid. sess. 6 can. 5; Prop. Jansen. ab Innoc. X. damn. 3. — Ad idem referuntur laudes et merita, quae bene agentibus, vituperia et poenae, quae male agentibus proponuntur.

2. Quamquam generatim actus voluntatis liberi sunt, tamen voluntarium et liberum non sunt idem, neque plane possunt converti.

Nimirum 1) sunt actus voluntatis necessarii tum quoad exercitium, tum quoad specificationem, ut actus, quo Beati Deum amant.

2) Circa aliquod objectum etiam homo in hac terra liber proprio sensu non est, sed necessario in illud fertur amando, quando actum voluntatis erga illud ponit, nimirum circa boni speciem universam atque communem. Haec enim est voluntatis interna et necessaria natura, ut quidquid velit seu amplectatur, sub ratione boni velit et amet, sub ratione mali nolit et aversetur. — Verum quoniam omnia bona singula, imo ipsa summi boni assecutio, saltem specie tenus quoddam malum seu difficultatem conjunctam secum ferunt, homo his in terris in singulis bonis separatum volendis et amplectendis per se liber est.

3) Neque eadem extensione vel potius intensione de actibus liberis utrumque, i. e. sive voluntarium sive liberum, praedicari potest. Sunt enim causae quaedam, quae diminuant liberum, voluntarium secundum quid augeant, ut infra in seq. artic. dicetur.

Si quis igitur semel hos limites intellexit, practice liberum et voluntarium converti possunt et confundi, quum quidquid liberum est voluntarium necessario sit, et quidquid perfecto sensu voluntarium est, in concreto apud homines etiam sit liberum.

In quo ipsum *liberum* philosophice reponendum sit, vide breviter *Theol. mor.* n. 7. Ibidem n. 8 habes brevem explicationem diversorum voluntatis actuum, prout diverso modo in objectum suum tendat: *simplicem voluntatem, intentionem, electionem, usum, imperium, gaudium.*

§ 3.

De voluntario indirecto et in causa speciatim considerato.

12 Divisio voluntarii in voluntarium *in se* et *in causa tantum;* in voluntarium *positivum* et *negativum* — alio nomine in voluntarium *directum* et *indirectum* — summi momenti est, et maxime attendenda, quando dijudicari debet actionis vel effectûs mali imputatio. Quare hac de re fusius tractandum et enucleatius videndum est, quando et quo ambitu effectus aliquis mihi imputetur et vere mihi voluntarius dici debeat, qui aliquo modo cum mea actione aut omissione connectitur. Quae connexio diversa esse potest pro diverso *gradu* causalitatis, quam mea voluntaria actio in effectum aliquem consequentem exercet, et pro diversa *causalitate*, quae fortasse etiam ab aliis causis in illum effectum exercetur.

Uberem applicationem haec omnia habent, quando de cooperatione cum aliorum peccatis agitur: quapropter hoc loco solum summa rei capita attingam.

Primo in mentem revocandae sunt diversae causae, quae esse possunt:

1) causa *physica* et *moralis,* prout ipsa aut physice agendo effectum vel aliquid effectûs producit, aut suadendo, jubendo etc. alteram causam ad producendum effectum movet seu determinat.

2) causa *immediata* et *mediata,* prout effectum ipsum in se attingit, aut tantum interpositâ alterâ causâ. Hinc causa *moralis semper est mediata,* causa physica aut mediata aut immediata esse potest.

3) causa *proxima* et *remota,* prout nihil vel fere nihil intercedit inter causam et effectum, ita ut eo ipso quod causa ponatur, effectus etiam sequatur vel communiter certo secuturus sit; aut plura alia intermedia sunt inter causam et effectum, ita ut effectus communiter tantummodo sequatur, si aliae etiam concausae vel circumstantiae accedant. — V. g. tecto subjicere ignem causa proxima conflagrationis est, ita prelum in typographia versare causa proxima libri imprimendi est, at chartam praeparare est causa remota. — Fere igitur coincidit haec divisio cum praecedenti. Attamen in rigore fieri potest, ut causa non omnino immediata, tamen proxima dici debeat.

4) causa *per se* et *causa per accidens*, prout causa ex natura sua seu intrinsecus ita comparata est, ut influxum exerceat in effectum, de quo agitur, aut influxus ille tantummodo aliis occurrentibus circumstantiis adest. Ita in exemplo supra allato tecto ignes subjicere domus comburendae *causa per se* est; sed in loco remoto ignem accendere, quem ventus ex improviso exortus in tectum domûs conjicit, incendii causa *per accidens* est. Similiter exponere auditoribus in publica chimiae lectione virtutem alicujus veneni causa *per accidens* est homicidii, quod aliquis ex auditoribus postea machinatur; at quaerenti medium inimici occulte occidendi talis veneni virtutem exponere causa *per se* homicidii est dicenda.

NB. Additur etiam causa *occasionalis,* quae etiam minus quam causa per accidens cum effectu cohaeret, adeoque nomen causae proprie non meretur, sed potius ansam praebet, qua alter utitur ad producendum effectum.

5) causa *graviter* et causa *leviter influens* (est subdivisio *causae per se*), prout influxus ille in ordine ad producendum effectum valde notabilis est, aut contra adeo parvus, ut plerumque effectus non sequatur (v. quae dicta sunt de causa proxima et remota). — Vix non eadem est distinctio inter causam *de se efficacem* et *de se inefficacem.*

6) causa *positiva* et *negativa*, prout vera actione in effectum influit, aut sola omissione actionis debitae.

Istarum diversarum causarum distinctio attendi debet, a) quando agitur de effectu aliquo vel motu inhonesto ex certa actione oriundo; b) quando agitur de scandalo, quod alter ex mea actione sumit vel patitur; c) quando agitur de damno alterius, quod propter meam actionem incurrit.

Quibus praenotatis, haec tene **Principia:** 1. Si deliberate omitto [13] aliquid agere, quod agere possum, seu si positive illud agere nolo, haec omissio vel nolitio recte quidem mihi voluntaria dicitur: attamen *ut effectus, qui cum tali omissione vel nolitione conjungitur, aut quem, quum possim, non impedio, mihi tamquam causae negativae adscribi possit, debuit obligatio impediendi illum effectum adesse.* — Obligatio haec an et qualis adsit, repetitur ex speciali obligatione religionis, justitiae vel officii, aut ex communi lege caritatis. Postrema haec caritatis lex plerumque non obligat cum incommodo adeo gravi.

2. Si vero non negative tantum, sed *positive* aliquid ad effectum malum confero, haec tenenda sunt: *Licet ponere actionem, ex qua duplex effectus oritur, bonus alter, alter malus, modo 1. actio in se sit honesta vel saltem indifferens, 2. effectus malus ne intendatur, sed bonus* (in quibusdam rebus addi potest: neve sit periculum pravae intentionis vel pravi consensûs postea secuturi), *3. effectus bonus ne sequatur mediante effectu malo, 4. adsit causa relative gravis ad effectum malum permittendum.*

Scilicet causa illa permittendi effectum malum sita est in ipso effectu bono, vel in bonis illis, quae ex mea actione oriuntur.

Nisi enim eorum causa mali effectus postponi possent, multa bona impedirentur atque homo in agendi facultate nimis arctaretur.

Eo gravior vero causa esse debet: a. quo propinquius effectus malus cum actione mea cohaeret; b. quo pejor ille effectus est tum in se, tum relate ad damnum aliorum, quod fortasse sequitur; c. quo certius, me non agente, effectus malus impediatur; d. quo magis necessaria est actio mea, ut effectus ille malus locum habere possit vel revera locum habeat.

3. *Qui omittit actionem effectûs mali impedientem, aut ponit actionem effectûs mali causantem, peccat, etsi effectum illum non intendit, quando sequentes conditiones simul adsunt:*

1) si aliquo modo, saltem in confuso, effectum malum *praevidit,*

2) si effectum malum sive agendo sive omittendo *impedire potuit,*

3) si ad normam principii 1 et 2 *obligatio praecavendi adfuit.*

Principium 3^{um} aliquibus exemplis declarabo: 1) Peccat ebriosus [14] ratione blasphemiarum, rixarum, impudicitiarum etc., quas ebrius perpetraturus est, modo haec aliqua ratione praeviderit a se in statu ebrietatis fieri.

2) Peccat navarchus, qui, videns se incitato cursu navis alteram navem facile eversurum esse, nihilominus, ut aemulam praeveniat, cursum non moderatur.

3) Qui ponit actionem, ex qua sequitur pravus motus, si actio leviter tantum influit, ex causa qualibet honesta a peccato excusatur, si modo abest periculum consensûs; si causa omnis honesta deest, venialiter peccat. Nimirum influxum levem non tenemur sub gravi cavere, nisi grave periculum consensûs accedit.

4) Qui ponit actionem, aut omittit obligationem, ita ut ex illa actione vel omissione effectus malus secuturus credatur, justa ratione non exsistente, reus fit coram Deo illius mali effectûs tum, quando causam ponit, nec quidquam mutatur, si effectus postea per accidens non sequatur.

Articulus II.

De voluntarii obstaculis.

Voluntario opponuntur tum ea, quae immediate et directe voluntatem afficiunt, tum ea, quae cognitionem impediunt, siquidem „nihil volitum, nisi praecognitum".

Cognitioni opponitur *ignorantia* et *error*. Voluntatis appetitus, vel saltem ejus libertas, impedimentum habet in *concupiscentia* et *metu*.

§ 1.

De ignorantia, ut voluntarii et liberi impedimentum est.

Cf. S. Thom. I. II. q. 6 a. 8 et q. 3 *de malo* art. 7; Billuart l. c. diss. 1. art. 9.

Ignorantia generatim definitur: carentia ulterioris scientiae.

Divisio: 1) Illa ignorantia seu carentia est aut *negativa*, aut positiva sive *privativa*. Prior ea est, quae excludit ab homine scientiam ulteriorem possibilem quidem, sed *non debitam;* posterior, quae excludit illam, quam homo ille *habere debet*. — 2) Ignorantia *juris* aut *facti,* prout in abstracto lex seu generalis norma agendi nescitur, vel quod ad eam pertinet; aut singulare aliquod factum seu concreta quaedam circumstantia nescitur. Sic qui nescit feria sexta abstinentiam esse servandam, est in ignorantia juris; qui ignorat hanc diem esse feriam sextam, in ignorantia facti. — 3) Ignorantia *vincibilis* aut *invincibilis,* prout adhibitâ diligentiâ, quam deberi homo advertat, deponi potest vel potuit, aut id fieri nequivit[1]. — 4) Ignorantia *culpabilis* aut *inculpabilis,* prout in ignorantia non depulsa peccatum commissum est, aut non est. Id tantum adverte, *culpabilem simpliciter* dici ignorantiam graviter culpabilem vel saltem ex perfecta advertentia culpabilem. —

[1] Ignorantiae vincibilis triplex gradus distinguitur: 1. ignorantia *vincibilis simpliciter talis,* quando studium aliquod eam depellendi adhibetur, sed non sufficiens prout debebatur; 2. ignorantia *crassa* vel *supina,* quando nullum vel vix ullum studium eam depellendi adhibetur; 3. ignorantia *affectata,* quando studiose a medio assequendi veritatem aliquis refugit, ne a proposito suo retrahatur.

5) Ignorantia *antecedens* aut *consequens*, prout antecedit omnem voluntariam negligentiam, aut hanc voluntariam negligentiam inquisitionis subsequitur.

Quibus notatis, haec attende **Principia:** 16

1. *Ignorantia invincibilis non est voluntaria neque culpabilis.*

2. *Ignorantia vincibilis voluntaria est saltem indirecte vel in causa, atque ita*, si de re, cujus notitia praescribitur, haec ignorantia exsistit, *culpabilis est.*

3. *Ignorantia antecedens invincibilis est*, siquidem prima de re cogitatio non est in libera potestate, sed, ut a scriptoribus dicitur, „naturalis".

4. *Ignorantia consequens seu subsequens est voluntaria, vincibilis et pro re nata culpabilis.*

Quoad ea vero, quae ignoranter ab homine aguntur eorumque sequelas, haec teneri debent:

5. *Ignorantia invincibilis aufert ab iis, quae ex ea aguntur vel sequuntur, voluntarium*, i. e. facit aut involuntarium, aut saltem non-voluntarium, nec illa ad culpam imputari possunt: quia nihil volitum, nisi praecognitum,

6. *Ignorantia vincibilis ab iis, quae ex ea aguntur vel sequuntur, voluntarium non aufert, sed generatim minuit;* id quod etiam de culpa dici debet, si agitur de malis, quae ex actione ignoranter facta oriuntur.

7. Quod de ignorantia invincibili dictum est, valet etiam, *si re ipsa adest*, de *perfecta inadvertentia* et oblivione. At obvia aliqua circumstantia malitiae, quam agens habitualiter scit, vix unquam ita oblivioni vel inadvertentiae tradi potest, ut non sit sufficiens cognitio ad malitiam contrahendam. Ita v. g. quis non rideat sacerdotem vel religiosum, qui contra castitatem peccaverit dicentem se ad votum sive statum sacrum nullatenus attendisse!

Exempla: 1) Qui percussit sacerdotem, quem plane nescivit esse 17
sacerdotem, reus quidem est percussionis neque tamen sacrilegii. — Aut qui peccans cum muliere nescivit eam esse suam cognatam, reus quidem est fornicationis vel adulterii neque tamen incestûs.

2) Qui nesciens esse diem jejunii, at suspicans non inquirit atque ita jejunare omittit, peccat, quia ignorantia vincibilis et culpabilis erat. — Similiter, qui advertit sibi debitam scientiam muneri rite implendo deesse, reus est erroris, quem ex ignorantia committit, quando pergit voluntarie munus, cujus impar est, gerere.

3) Qui studiose declinat inquirere, num sit dies jejunii aut dies festivus, et propterea ecclesiasticae legi implendae deest: violatae legis utique reus est, imo reatum illum coram Deo contrahit, etsi re ipsa dies jejunii aut festus non sit.

NB. De *errore*, ut distincto ab ignorantia, specialia addere vix opus est: nam error duplex in se continet elementum, negativum, quo ignoratur veritas, et positivum, quo putatur verum, quod verum non est. Quod igitur ex errore procedit, secundum positivum elementum est utique voluntarium: secundum elementum negativum nihil est, quod addamus, quia ipsa ignorantia est. Imo ignorantia, quae dicitur, raro sine ullo errore exsistit.

§ 2.

De concupiscentia.

18 1. Concupiscentia secundum S. Thom. 3. dist. 26 q. 1 a. 1 dicitur „motus appetitivae virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni et mali".

Est igitur appetitus inferior, non rationalis. Pressiore sensu dicitur de solo *appetitu boni sensibilis*, latiore sensu de quolibet *motu appetitûs inferioris*, seu de qualibet passione, etiam v. g. irae; hoc sensu hîc accipitur.

Hanc autem concupiscentiam multum in deliberatam hominis voluntatem influere experientia nimis constat, quum homo saepissime, quae sensibus placent, approbet eaque voluntaria electione sequatur, imo adeo vehemens esse potest concupiscentiae nisus, ut voluntatem quodammodo secum captivam trahat.

2. Concupiscentia distinguitur et *antecedens* et *consequens*. Prior est, quae omnem voluntatis consensum vel imperium praecedit, sed illam ad consensum sollicitat; posterior, quae voluntatis consensum vel imperium subsequitur atque ideo ab eo pendet.

3. Consequens concupiscentia ex sua notione voluntaria est, idque tantum, quantum a voluntate pendet. Quae dependentia duplici modo haberi potest: 1) per quandam naturalem redundantiam; vehementior enim voluntatis affectus etiam sensibilem hominis partem afficit atque naturali sympathia commovet: habetur concupiscentia *indirecte* voluntaria; 2) per voluntatis imperium, quando homo ex industria sensibilem partem excitat, quo majore vi totus in objectum, quod appetit, feratur: habetur concupiscentia *directe* voluntaria.

4. Concupiscentia antecedens per voluntatis consensum transire potest in concupiscentiam consequentem, quod quum plus minusve perfecte fieri possit, potest existere concupiscentia simpliciter antecedens, vel consequens secundum quid, et perfecte aut imperfecte consequens.

19 Quibus declaratis, sint haec **Principia** (cf. S. Thom. I. II. q. 6 a. 7; Reuter l. c. n. 21, Bill. art. 8):

1. *Concupiscentia simpliciter antecedens non est voluntaria;* itaque etiam in re objective mala neque ipsa concupiscentia antecedens neque quod ex ea, *quatenus antecedens est et manet*, oritur, peccaminosum esse potest.

2. *Consensus in concupiscentiam antecedenter ortam facit eam voluntariam et consequentem atque in re mala peccaminosam* eoque pleniore sensu voluntariam, quo magis in potestate hominis est eam reprimere: quare tunc vocanda est concupiscentia simpliciter consequens, antecedens solum secundum quid (i. e. quoad originem, non quoad praesentem statum).

3. *Concupiscentia omnino, etiam quoad originem, consequens tum in se tum relate ad effectus omnes aliquo modo praevisos plane voluntaria est.*

4. *Concupiscentia simpliciter quidem consequens, sed antecedens secundum quid, quamquam voluntarium imperfecte sumptum auget, perfecte sumptum seu liberum tamen minuit, ita ut etiam id, quod ex tali concupiscentia fit, minoris sit malitiae.*

Attamen, quum primum voluntas simpliciter plenum consensum dederit, malitia in re gravi mortalis erit: solum propter actûs imperfectionem fieri potest, ut evadat venialis. Quodsi ratio plene perturbetur seu auferatur, de consensu et malitia nullatenus sermonem esse posse patet.

5. Concupiscentia omnino consequens (ut n. 3) quamquam voluntarium nullo modo minuit, sed potius auget, tamen quod ex illa fit, formaliter minus liberum minusque perfecte voluntarium est, non vero minus perfecte, sed perfectius voluntarium in causa, et ita est plenissime imputabile.

Explicationis causa nota: 1) Concupiscentia omnino antecedens 20
vocatur *motus primo-primus;* si post advertentiam semiplenam non repellitur, vel *imperfecte* ei consentitur, *secundo-primus;* plenus consensus efficit *motum secundum.*

2) Difficilior est quaestio, num non solum per consensum positivum, sed etiam per non-repulsionem, postquam plena adfuerit advertentia, motus concupiscentiae, maxime in re venerea, plene voluntarius et mortaliter peccaminosus fiat: aliis verbis, num in motibus pravis, qui a voluntate non procedant formaliter, liceat citra culpam vel citra gravem culpam neutralem tenere voluntatem. Quod utut speculative defendi possit et practice usui esse possit pro homine nimis timorato, communiter tamen conandum est, ut voluntas *positive* dissentiat, vel indirecte per conversionem ad alias res sese ab istis tentantibus rebus avertat atque oratione humili sese communiat. Quae *indirecta* impugnatio in re venerea imprimis adhibenda est (cf. *Theol. mor.* n. 22; Laymann l. 1 tr. 3 c. 6 n. 8; Lacroix l. 5 n. 111 et 112 etc.) atque etiam in aliis periculosis et captiosis tentationibus.

Scholia. Etiam ipsius *voluntatis* actus ii, qui advertentiam vel 21
plenam advertentiam antecedunt, cum concupiscentia magnam similitudinem habent: quare fere eadem principia de his *indeliberatis actibus* valent, v. g. invidiae, odii, contra fidem, spem etc. Nimirum etiam hîc distinguantur oportet motus primo-primi, secundi.

Sc. 1. Motus primo-primi in omnibus ejusmodi cogitationibus et affectibus culpa vacant.

2. Motus secundo-primi, etsi in materia mortaliter peccaminosa versantur, graviter culpabiles non sunt, quum absit plena advertentia ac plenus consensus.

3. Post plenam autem advertentiam actus voluntatis in re mortaliter mala sustinere seu continuare, mortale peccatum est: quum vere evadant actus plene deliberati.

Hîc igitur voluntas prorsus dissentire debet neque possibile est neutraliter se habere, siquidem, ut sumimus, voluntatis actus jam adest, et solum propterea peccatum non erat, quia plena advertentia deerat: quae si accedit, nisi homo *voluntatis actum cohibeat et reprimat,* grave peccatum existit. Si vero etiam post advertentiam *solum negligentia* quaedam in reprimendis motibus committitur, ex defectu pleni consensûs peccatum mortale non fit.

Quodsi loquimur de cogitationibus voluntatem sollicitantibus, hae peccatum grave nondum efficiunt: at voluntarie eas fovere, sive ex

periculo, sive ex consensu et affectu implicito peccatum est, idque grave esse potest. Verum hîc maxime sermo est de *indirecta* impugnatione: quo magis enim homo illas tentantes cogitationes spernendo negligit et serio mentem ad res prorsus alias applicat, eo facilius illas excludet: directe autem eas impugnare velle, necessario mentem iisdem rebus occupat adeoque tentationem, nedum pellat, augere potest. Nihil tamen per se impedit, quominus positivus actus contrariae virtutis eliciatur, imo breviter et ex animo id facere, si fiat sine perturbatione, optimum esse potest.

§ 3.

De metu et violentia.

22 Metus est timor mali futuri; distinguitur metus gravis et levis, metus ab intrinseco et ab extrinseco, metus juste et injuste incussus.

1. Metus *gravis* est timor, quo aliquis sibi aut suis magnum malum seu certo seu cum magna probabilitate timet, v. g. mortem, mutilationem, infamiam, multorum bonorum fortunae amissionem, duram incarcerationem etc.

Dicitur metus *absolute gravis*, quando timor, ut ajunt, „cadit in virum constantem“, i. e., si mala sunt ejusmodi, quae homines communiter consueverint multum commovere, neque probabilis spes est ea evadendi. *Relative gravis tantum* est metus, qui hanc et illam quidem personam, quae eo afficitur, multum movet, quamquam a constantioribus et magis intrepidis facilius spernitur.

Contra *levis* metus est, si mala non sunt magni momenti, aut si parum probabile est, mala re ipsa esse secutura.

Relative gravis ille metus maxime fieri potest, qui *in se* medium tenet inter gravem et levem. Sic metus, quem vocant *reverentialem*, qui oritur ex metu incurrendi offensam parentum vel Superiorum, si v. g. accedit timor diuturnae inimicitiae, aut si adhibentur multum importunae preces, potissimum in puella gravis metus fieri potest.

2. Metus *ab intrinseco* dicitur, si causa, unde timor oritur, in ipso homine timente invenitur; *ab extrinseco*, si causa timendi aliunde infertur. V. g. metus ab intrinseco est, qui a morbo jam contracto, aut a consideratione gehennae concipitur; metus ab extrinseco, qui ab hoste, a latrone minis etc. infertur.

Metus *ab extrinseco* illatus potest aut a causa necessaria esse, aut a libera. In exemplo allato posui metum a causa libera illatum: qui enim a causa necessaria infertur, potius metui ab intrinseco aequiparatur, ut si quis timet propter imminentem eruptionem ignium terrestrium.

3. Metus a causa libera extrinsecus distinguitur *juste* et *injuste incussus*, prout ille, qui metum incutit, solum injuriam repellere vult, aut alteri injuriam infert.

23 Quibus praenotatis haec tenenda sunt (cf. S. Thom. l. c. art. 6; Billuart l. c. art. 7; Reuter n. 18—20):

1. *Metus, quantumvis gravis, modo ne rationem ita perturbet, ut plenam deliberationem non relinquat, non aufert voluntarium simpliciter*

dictum, et quantumvis illud diminuat atque involuntarium secundum quid addat, tamen voluntarium simpliciter perfectum manet, ita ut in re mala et gravi peccatum etiam maneat mortale.

Exemplo sunt, qui metu tormentorum fidem negaverunt: quos Ecclesia semper pro apostatis et mortalis sceleris reis habuit.

2. *Attamen, etsi metus gravis rem malam nunquam licitam reddit, ab obligatione positiva, maxime humana, saepe excusat, ita ut in illis circumstantiis omissio non sit vere contra legem, nec peccaminosa.*

3. *Metus gravis injuste incussus quoad juridicum actionum valorem id saepe efficit, ut actio juridice invalida evadat.*

Quae omnia, quando fiant, suis locis notabuntur.

4. *Metus levis in externo foro generatim non habetur pro causa efficaci actionis; quare plerumque non attenditur. In foro interno autem accidere potest, ut nihilominus jus retractandi actum, vel repetendi compensationem damni inducat.*

NB. 1. In eo, quod ex metu gravi fit, habetur quidem secundum quid 24
involuntarium, at per solam velleitatem: efficax voluntas amplectitur id, ad quod metum incutiens impulit, imo deliberate id eligit prae malorum, quae timet, perpessione. — Hinc patet, grave crimen esse rem intrinsecus malam adeoque Dei offensam eligere prae temporalibus malis, siquidem Dei offensa pro summo malo nobis esse debet.

NB. 2. De vi et violentia, quatenus a metu distinguitur, vix quidquam addendum est. Nam ipsi voluntati vis nequit inferri: nemo enim invitus velle potest. Quare vis id tandem efficit, ut aliquis libera voluntate cedat, ne amplius vim et mala perpeti debeat. Hinc idem prorsus dicendum est de vi, quod de metu: imo vocatur etiam metus, quatenus est mali, quod jam coeptum est inferri, in futurum continuandi.

Quando autem ad externam actionem plena fit coactio, haec invito pro culpa imputari nequit.

Caput III.

De moralitate actuum humanorum generatim.

§ 1.

Notio et conceptus moralitatis.

Moralitas eaque diversa humanis actibus attribuitur, prout laude 25
aut vituperio, praemio aut poena digni sunt, cum rectitudinis norma conveniunt aut non ita. Haec rectitudinis norma, si actus sub stricto et nudo conceptu boni et mali consideratur, est ipse *ordo objectivus recti honesti,* quam *divina ratio intuetur;* si bonum et malum sumitur simul sub conceptu liciti et illiciti, norma est cum *ratione divinâ divina voluntas illum ordinem recti approbans eumque servari praecipiens.*

Toto igitur coelo aberrant, qui essentiam diversae moralitatis, seu discrimen inter bonum et malum collocant:

1) in sola libertate, aut in hominis voluntate; 2) in lege humana; aut 3) in majore vi et potestate; aut 4) in opinione publica; aut 5) in majore utilitate, vel jucunditate; aut 6) in ordine justitiae.

Omnes enim illi pervertunt *finem* hominis *ultimum*, a quo tandem *omnis* rationalis finis ideoque ordo recti pendet. Loco Dei omnes illi ipsum hominem sive privatum, sive in societate collectum pro suprema norma statuunt eumque constituunt autonomum: quare periculosissime errant nec possunt nisi vitio logico impiissimam hominis humanaeve societatis apotheosim declinare. Cf. *Theol. mor.* n. 27.

§ 2.

De fontibus moralitatis.

26 Conceptu moralitatis in genere constituto videndum est, undenam tota actionis moralitas, sive in bonam, sive in malam partem, pendeat, aliis verbis, quae in actione secundum moralitatem dijudicanda attendi debeant, ut rectum de ea feratur judicium: quos fontes moralitatis vocant.

I. Facile patet in dijudicanda actionis moralitate, totam voluntatis liberam tendentiam spectari debere: siquidem quam late patet libera voluntatis tendentia, tam late patet possibilitas ordinis recti conservati aut laesi, meritum laudis aut vituperii.

Primum autem occurrit ipsum objectum: pro cujus diversitate voluntas diverso modo afficitur. Ab objecto enim ipsa tendentia voluntatis speciem suam sumit. Quare recte statuitur:

1. *Moralitas diversa pendet ab objecto actûs, in quod voluntas tendit, seu quod assumit.* V. S. Thom. I. II. q. 18 a. 2; q. 19 a. 1 et 2. S. Alph. *ante* l. 5 n. XXXVII. (alias l. 2.)

Objecti autem nomen diversimode rebus tribuitur. Plerumque objectum est ipsa actio propria in abstracto considerata, ut: ambulare, scribere, Deum colere, parentes honorare etc., quae omnia a voluntate ut objectum assumuntur, priusquam exsecutioni dantur seu externe exercentur. — At objectum voluntarii actûs etiam aliena actio esse potest, aut actio *propria praeterita in concreto*, quatenus voluntas hanc actionem in concreto pro objecto gaudii, complacentiae etc. assumit.

Porro objectum *ex se ipso* etiam in abstracto sumptum posse certam moralitatis speciem habere evidens est. Sunt enim certa quaedam objecta non solum indifferentia, sed etiam *ex se*, i. e. suapte natura et proprietate, vel bona vel mala, seu quae ex se cum recti ordine atque ultimo fine aut conformitatem aut difformitatem continent.

Indifferens v. g. est ambulare, scribere; in se bonum amare Deum, in se malum blasphemare.

Porro quae sunt in se mala, possunt esse a) *absolute mala*, ita ut nunquam bona aut indifferentia evadere possint, ut e. g. blasphemare; vel b) mala tantum *propter defectum juris* in agente, v. g. auferre bonum alienum: quod accedente legitima voluntate domini a malitia immune fit; vel c) *mala propter periculum*, quod actio natura sua secum fert, v. g. lectio rerum inhonestarum: quod si ex hoc solo est malitia, ea, propter gravem causam et periculo aptis praesidiis excluso, abesse potest. — Quod tamen non sic intellige, quasi in omnibus locum habeat.

2. *Moralitas desumitur etiam ex circumstantiis actionis. S. Thom.* 27
ib. a. 3, a. 10 et 11. Quod ita intelligitur, ut circumstantiae novam rationem boni et mali *inducere possint*, non quasi semper inducant.

Circumstantiae autem, quae considerandae sunt, exhibentur hoc versiculo: *„Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando“*, seu circumstantiae *personae agentis, objecti, loci, medii, finis, modi, temporis.*

Posse autem tales circumstantias aliquando ad moralitatem actûs modificandam, mutandam, augendam conferre, exemplis melius declaratur. Sume v. g.: reum punire in homine privato et in homine publici muneris; rem alienam auferre pretii denarii, aut librae aureae; domi aut in loco sacro prandium instituere; bibere moderate aut immoderate; aliquem jejunium laedere infirmum, aut jussum in odium fidei; ludos publicos exhibere die Parasceves aut alio die.

Quum igitur objectiva moralitas actionis a variis adjunctis dependere possit, etiam voluntas, quae se determinat ad actionem talem ponendam, eam contrahit bonitatem aut malitiam moralem, quam illa conditione rerum implicitam ratio animadverterat et consequenter voluntas aliquo modo amplexa est. — Itaque circumstantiae complent moralitatem ex objecto desumendam atque ad eam quodammodo pertinent: siquidem ipsum objectum actûs afficiunt et complent.

3. *Moralitas tandem desumitur ex fine*, quem homo sibi praefigit: 28
S. Thom. l. c. art. 4—7, q. 19 a. 2 ad 1; S. Alphons. l. c. n. XVIII. (Nam si de fine concomitante vel ab altero [v. g. jubente] actioni adnexo agitur, eum potius ad circumstantias pertinere, exemplum supra allatum declarat.) Quum videlicet finis sit primum in intentione, et ab eo, quod pro fine vult, quisque *transeat* ad volenda media, evidens est, actionis cujuslibet moralitatem a fine quam maxime pendere.

II. *Igitur, ut actio aliqua sit moraliter bona, voluntatis tendentia tota debet esse bona seu a rectitudinis norma non discedere, tum quoad objectum, tum quoad finem, tum quoad circumstantias;* vel: debent aut haec tria omnia esse bona, aut debet, reliquis in se *indifferentibus*, aliqua saltem bona intentio adesse. — Ut vero actio *mala* sit, sufficit malitia seu discessus a rectitudinis regula in uno horum trium exsistens; eo ipso enim voluntas *aliquam* deordinationem amplectitur, et a recti ordine devians male agit secundum axioma: *„Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.“* Quod aliqua explicatione indiget.

Dubitari nimirum potest, num ex quavis circumstantiae et finis 29
malitia, quae ad actionem in se bonam accedat, actio ita corrumpatur, ut nihil bonitatis ab agente contrahatur, sed actio in concreto simpliciter mala dici debeat. Cf. Billuart l. c. art. 4 § 2; S. Thom. *de malo* q. 2 a. 4 ad 2; Lugo *de poenitentia* d. 15 n. 208 sqq.; Suarez *de actibus hum.* tr. 3 d. 8 c. 1. — Ad quod dubium respondeo sequentibus regulis:

Reg. 1. *Intentio seu finis graviter malus semper actionem totaliter corrumpit atque malam reddit.*

Reg. 2. *Intentio seu finis leviter malus, si totalis finis est, similiter reddit actionem simpliciter malam, quamquam per se venialiter tantum.*

Reg. 3. *Intentio seu finis leviter malus alteri fini bono solum concomitans, aut intentio, quae potius motivum impellens quam movens est, non corrumpit totaliter actionis bonitatem, sed substantialem bonitatem, quae adest, relinquit*[1].

Reg. 4. *Circumstantia etiam quaelibet graviter mala, practice loquendo, omnem bonitatem actionis destruit; circumstantia autem leviter mala, saltem si extrinsecus accidit, non item.*

30 NB. Actus *externus* per se moralitatem, utpote quae a voluntate pendeat, non auget; per accidens tamen plerumque auget sive in bonam sive in malam partem. S. Thom. 2. dist. 40 q. 1 a 3; Billuart *de act. h.* d. 4 art. 8; Reuter n. 49—51; S. Alph. n. 40 contra Scotum ejusque scholam.

Nimirum si voluntas efficaciter aliquid vult, et ex se imperat, omne id factum est, quod est in hominis libera voluntate: at secundum hoc moralitas tandem demetiri debet, sive aliunde objicitur impedimentum, quominus exsecutio sequatur, sive non. — Verum in externa exsecutione non raro voluntas ipsa ejusve actus intensior fit, diuturnius exercetur, majore vi contra difficultates agit. Adde insuper exemplum sive bonum sive malum aliosque effectus. — Cur autem in peccatis confitendis actus externus semper necessario declarari debeat, suo loco ostendetur.

§ 3.

De indifferentia actuum humanorum.

31 Proponitur quaestio multum in controversiam vocata, num esse possint actus humani indifferentes, h. e. tum bonitatis, tum malitiae moralis expertes. Quam quaestionem brevi declaratione exponemus.

1. Actus specie aut genere suo indifferentes esse posse, i. e. neque bonos neque malos seu nec excludentes necdum includentes rectitudinem rationalis ordinis, communi suffragio theologi docent: etsi Scotus videri possit dissentire.

Idque paulum consideranti facile patebit; nam si dicis: scribere, ambulare etc., neque malae neque bonae actionis conceptum habes, sed indifferentis, quae accedentibus fine vel cirumstantiis aut bona aut mala evadere potest.

Nec ex circumstantiis semper, seu a quibuslibet circumstantiis actum desinere indifferentem esse eodem modo patet.

Aliud autem est, si omnes circumstantiae cum fine agentis conjunguntur, seu si quaeritur, num actus in individuo, seu in agente, vel, ut alii dicunt, actus in concreto considerati, indifferentes manere possint.

2. Actus in individuo spectatos indifferentes aliquando manere posse, ita ut neque bonitatem, neque malitiam moralem habeant, non

[1] Atque ita plerumque agit, qui ad rem bonam et sanctam peragendam humano et leviter malo motivo ducitur, v. g. respectu humano movetur ad officia religiosa peragenda, vanam quandam gloriam ex iis frequentandis capit. Nam communiter vere intendit rei ipsius bonitatem, a motivo leviter malo *concomitanter* vel *praevie* movetur.

pauci iique gravissimi theologi docent: nimirum 1. de actibus, qui dirigantur ad *commodam* naturae sustentationem in eaque sistant; 2. de actu omissionis voluntariae seu nolitionis majoris perfectionis.

Ita praeter Scotum cum schola sua in 2. dist. 41 — v. etiam Sporer, *theol. decal.* p. 1 cap. 3 n. 31; Elbel tom. 1 n. 86; etiam S. Bonav. in 2. dist. 41 a. 1 q. 3 — Vasquez in I. II. disp. 52 cap. 4; Abelly, *Medulla* p. 2 tr. 2 cap. 1 sect. 4; Reuter, Viva, nostro tempore Walsh l. c. n. 588 sqq.: qui prob*abilius* putant esse actus indifferentes; Platel., Becan., qui probabilius quidem dicunt illos actus esse malos, *probabile* tamen, esse indifferentes.

3. Posse practice et per accidens exsistere actus in individuo vere indifferentes, multi ex citatis theologis *pro indubitato* habent: nimirum si quis ex probabilitate auctoritatis, quam adesse negari nequit, conscientiam sibi efformans actus supra notatos ponat, eum vere *indifferenter* agere. Ita Vasq. l. c., Reuter vol. 1 n. 55, Platel., de act. h. n. 112 (qui suadet hanc doctrinam practice, ut peccata multa vitentur).

Nihilominus alii hoc ipsum negant, ut Wirceburg. theol. *de act. hum.* cap. 3 art. II. [n. 158 in fine], neque — ut patebit postea — periculum peccandi in contraria opinione tam magnum est: quum non raro, quod e doctrinae hucusque traditae patronis pro probabiliter malo habetur, ab aliis pro *bono* aestimetur.

Relinquo autem quaestionem de indifferentia quoad *supernaturalem* 32
bonitatem et supernaturale meritum; imo in ea sententia prorsus sum, esse posse actus, qui neque mali neque ullo modo supernaturaliter boni aut meritorii sint. Sed

4. Non videtur fieri posse, ut actus humanus in individuo neque ullam malitiam, neque ullam bonitatem moralem saltem naturalis ordinis habeat. Ita S. Thom. I. II. q. 18 a. 9, *de malo* q. 2 a. 5, cum tota ejus schola et plerisque theologis, ut videre est apud quoslibet ejus commentatores in l. c., ut apud Sylvium, Suarez, Billuart; insuper S. Alph. l. 5 n. XLIV; E. Müller tom. 1 § 97; Simar, *Moraltheol.* § 56; Bouquillon n. 421; Pruner, *Moraltheol.* 1. Theil 2. Hauptstück § 2. NB. Loquimur autem de solis actibus *deliberatis.*

Ratio positiva haec est: Voluntas deliberate agens aut intendit bonum rationi consentaneum, ut tale est, aut non intendit — tertium enim non datur. Atqui si intendit, actus moraliter bonus est, si non intendit, moraliter malus. Ergo nunquam indifferens. — Fusius vide *Theol. mor.* n. 37 sqq.

Tractatus II.

De Regula actuum humanorum.

Sectio I.

De Regula proxima seu de Conscientia.

Confer S. Thom. I. II. q. 19; S. Alph. l. 1 n. 1—89; Laym. l. 1. tr. 1; Lacroix l. 1 n. 1—560; Stoz, *tribun. poenit.* l. 1 p. 5; Reut., *theol. m.* p. 1 n. 59 sqq. et *Neoconf.* n. 255 sqq.; Elbel p. 1 [praelim.] n. 113—235; Sporer, *theol. decal.* p. 1 cap. 1; Bouquillon l. c. lib. 3.

Caput I.

Notio et divisio conscientiae.

33 Moralitas actuum humanorum diversa pendet, ut dictum est, a convenientia aut disconvenientia cum norma rectitudinis. Haec norma objective et remote sumpta in lege (vel divina vel humana) consistit; subjective et proxime in hujus legis perceptione atque cum singulis hominibus in singulis casibus quasi communicatione: quae habetur per *conscientiam*.

De conscientia igitur, ut de regula homini proxima, prius agemus, postea acturi de lege seu de morum regula remota et objectiva.

Definitio. Lato sensu conscientia dici potest *ratio practica dijudicans ipsius hominis actus proprios*. Quae definitio distinctionibus conscientiae variis magis illustratur.

Distinctio. 1. Distinguitur conscientia *antecedens* et conscientia *consequens*. Porro sola *antecedens* conscientia norma moralitatis esse potest. Quare de ea etiam potissimum agimus eamque semper intelligimus voce conscientiae, nisi contrarium notatur.

Antecedens conscientia est dictamen rationis, quod, judicans ante actionem de ejus honestate, hominem ad actionem ut bonam vel etiam praeceptam impellit, aut ab ea ut mala et prohibita retrahit. *Consequens* conscientia tum de recordatione propriorum gestorum dicitur, tum, idque proprie, etiam de judicio rationis, quod hominem propter actionem aut recte factam laudat vel excusat, aut male factam reprehendit et accusat. Cf. S. Thom. I. q. 79 art. 13.

2. Distinguitur conscientia *vera* vel *recta*, et *erronea* vel *falsa*, prout rationis dictamen cum rerum veritate concordat, aut ab ea recedit. Potissimum haec distinctio de antecedenti conscientia valet.

3. Dicitur conscientia aut *certa*, aut *dubia*, prout sine formidine judicium ultimum de honestate actionis fert, aut suspensa manet, sitne

actio licita an illicita, vel saltem de ejus liceitate formidat. Haec quoque distinctio de conscientia antecedenti praecipue valet.

4. Distinguitur conscientia *tenera, scrupulosa, laxa;* quae maxime de habituali statu in rebus practicis judicandi dicuntur, prout homo minimos etiam defectus vivide apprehendit, aut inanibus rationibus inhonestatem, ultra quam par est et ubi revera non est, in actionibus apprehendit, aut contra rei veritatem facilius ad judicandum aliquid licitum esse inclinat.

De quibus mox fusius dicturi sumus.

Non posse hominem ullum evolutae rationis sine ullo judicio de bono et malo, de licito et illicito, nec proin sine ulla conscientia esse, et ratio ipsa et experientia ostendit. Imo in hac conscientiae voce nuntium quendam et praeconem secum fert Dei exsistentis sub notione supremi alicujus malorum vindicis et bonorum remuneratoris atque supremi legislatoris. Cf. *Theol. mor.* n. 42.

Caput II.

De conscientiae qualitatibus et vitiis.

Articulus I.

De conscientia recta et erronea.

1. *Conscientia, quae est vera et recta adeoque simpliciter vera, regula* 31
agendi est, quam sequi tenemur in iis, quae praecipit et vetat, et quam sequi licet in omnibus, quae licita declarat. — Hoc per se evidens est et ex ipso conceptu conscientiae constat.

2. *Conscientiam invincibiliter erroneam sequi tenemur praecipientem, sine culpa sequimur permittentem.* Conscientia enim est morum regula proxima, et si erro, quando plane nesciens erro, peccatum non contraho, quum nihil sit volitum, nisi praecognitum.

Attende tamen, *invincibiliter* erroneam manere conscientiam, nisi praecessit advertentia ad obligationem melius inquirendi. Imo nisi plena advertentia de obligatione gravi, in confuso saltem, adfuit, non ita est vincibiliter erronea, ut *grave* peccatum pariat. *Theol. mor.* n. 44. — Sin autem dicimus conscientiam invincibiliter erroneam nos sequi *debere,* aut eam a peccato *simpliciter* excusare, intellegimus utique eam, quam *nulla* advertentia obligationis melius inquirendi praecesserit.

3. *Conscientiam vincibiliter erroneam, sive permittentem sequi, sive praecipientem non sequi, peccatum est:* imo etiam praecipientem sequi, peccatum esse potest, si videlicet simul periculum est aliud praeceptum laedendi.

Quare si hoc periculum adest, conscientia erronea ante actionem deponi debet inquisitione veritatis: si tale periculum non adest, aut a) error deponi debet; aut b) quod permittit conscientia nihilominus omittendum, quod praescribit faciendum est: aliis verbis, quod *securius* est, eligi debet.

35 Fieri autem potest, ut conscientia prius vincibiliter erronea, actu nunc sit erronea invincibiliter, nimirum si actu nullo modo occurrit nunc suspicio de obligatione melius inquirendi, quamquam antea occurrerat. Quod si obtinet, actio ex tali conscientia orta formaliter peccaminosa in se non est, attamen est peccaminosa formaliter in causa, sc. in errore voluntarie antea non excusso, in quo futurae actiones, adeoque etiam praesens, de qua agitur, aliquo modo in confuso praevisae sunt. Cf. Reuter l. c. et Lacroix l. 1 n. 755 et 758; *Theol. mor.* n. 45.

Ut vero confessarius discernat conscientiam invincibiliter et vincibiliter erroneam, imprimis interrogandus est poenitens, 1) num de liceitate actionis saltem dubitaverit, 2) num conscientia ipsi dixerit interrogandum esse alterum. Si utrumque negatur, recte sumitur, errorem fuisse invincibilem nec actionem peccaminosam. Si alterutrum affirmatur, error vincibilis et actio *culpabilis* fuit eaque mortaliter mala, si poenitens a) *obligationem* interrogandi *formaliter ut gravem* apprehendit, aut b) *rem*, de qua agebatur, ut *rem magni momenti* consideravit, nisi forte in posteriore suppositione dubium de liceitate tam parvum erat, ut illud tamquam leve putaverit neglegi posse.

36 **Corollaria.** 1. Qui igitur invincibiliter putat, mendacio vitam innocentis servandam esse potius quam ejus caedem permittendam, ad mendacium dicendum obligatur, ita ut mentiendo non peccet, peccet non mentiendo.

2. Qui putat hunc jejunii diem esse, aut jejunare debet, aut melius inquirere: nisi forte alio principio dubium deponere potest.

3. Qui *temere* putat se pejerare posse, ut filium a caede liberet, advertens se ex leviore causa ita arbitrari, si tempus est, omnino errorem inquisitione corrigere debet: alioquin sive pejerando, sive non pejerando peccat. — At si in perplexitate versatur, nesciens quid eligendum sit, nec facultas adest dubium solvendi, vide seq. artic., quid faciendum sit.

Articulus II.

De conscientia certa et dubia.

37 De conscientia vincibiliter erronea loquentes jam aliquatenus tetigimus conscientiam dubiam; nam eo ipso quod obligatio melius inquirendi cernitur, judicium de liceitate actionis aliquo modo dubium fit. De qua jam fusius dicendum.

A. Praenotanda. I. Notio. Certitudo conscientiae seu ultimi dictaminis ab illa certitudine pendet, qua percipiuntur praemissae, ex quibus una generale principium continet, altera plerumque judicium de particularibus factis seu circumstantiis est. Certitudo autem potest esse metaphysica, physica, moralis.

II. Distinctio. Dubium seu dubitatio 1. late aut presse sumitur. Si *late sumitur*, quemlibet statum mentis significat, qui *firmum assensum excludit*, sive aliquis assensus infirmus adest, sive nullus; *presse* autem dubitatio dicitur ille status mentis, in quo homo *assensum nullum* in

alterutram partem efformat, sed *suspensus* manet, neutram partem determinate amplectens[1].

2. Dubium distinguitur *positivum* et *negativum*, prout cum suspensione mentis tamen aliqua ratio positiva alicujus momenti pro affirmatione rei conjungitur, aut pro affirmatione alterutrius rei nulla plane vel futilis tantum ratio habetur: haec enim pro nulla merito aestimatur. — Porro dubium potest esse 1) ex utraque parte negativum, 2) ex una parte negativum et ex altera positivum, 3) ex utraque parte positivum. Dubium ex utraque parte negativum, et ex utraque parte aeque gravibus momentis positivum vocatur et (si homo rationabiliter agit) est dubium *strictum;* alias habes dubium *latum*, nimirum opinionem pro alterutra parte plus minusve firmam cum dubitatione aliqua de parte opposita, ita ut adsit assensus cum dubio conjunctus[2].

3. Distinguitur dubium *facti* et dubium *juris*, prout versatur circa facti particularis exsistentiam, aut circa legis praeceptum.

4. Distinguitur dubium *speculativum* et *practicum*, prout actionem ejusque liceitatem in genere et in abstracto considerat, aut de actione, sitne hîc et nunc ponenda, versatur.

Nota, quamquam conscientia proprie dicta, i. e. judicium practicum, non exsistit, ubi est practicum dubium, tamen usu venire, de practico dubio etiam nomen *conscientiae dubiae* usurpare. *Theol. mor.* n. 47.

B. **Principia.** 1. *Conscientia, ut sit regula morum, quam in favorem* 38
libertatis nobis sequi liceat, certa esse debet, saltem certitudine morali. Nam nisi quis *certo* judicat — intellige ultimo judicio practico —, sine errandi formidine, se licite hîc et nunc acturum: quando nihilominus agit, exercite ita dispositus est, ut peccatum nil curet, atque eo ipso peccat. Sufficit autem moralis certitudo etiam non absolute sumpta, quia impossibile est, *absoluta* certitudine humanam vitam dirigere. Laymann l. c. tr. 1 c. 5 n. 4; *Theol. mor.* n. 48 sqq.

2. *Dubium mere negativum de una parte spernendum est, ita ut certitudinem de parte opposita non auferat:* quod enim temere concipitur, sine nova ratione merito rejicitur. *Ibid.*

[1] A *dubitatione* igitur stricte dicta distinguitur, continetur tamen late sub dubitatione: 1. *opinio*, qua homo assensum proprie dictum et fundatum circa aliquam rem praebet, at non firmum, formidans, ne forte oppositum sit verum; 2. *suspicio*, si ratione sive leviore sive graviore homo non movetur aut moveri se non sinit nisi ad infirmiorem assensum, quo sumat, *posse* forte sic esse.

[2] Varios gradus et mentis conditiones habes in exemplo ejus, qui certum quendam hominem non judicat bonis moribus instructum:

Sc. 1. si eum neque judicat bonis, neque malis moribus instructum, habes *meram dubitationem;*

2. si positive sibi dicit, eum bonis moribus instructum esse, non esse certum ex hac vel illa ratione, habes *dubium positivum;*

3. si levem assensum praebet cogitationi timens, ne forte ille sit malis moribus praeditus, *suspicionem* habes;

4. si idipsum reapse existimat, manens cum aliqua formidine, ne forte erret, adest *opinio;*

5. si tandem firmiter sibi persuadet illum malis moribus uti, habetur judicium, quod, si levibus nititur rationibus, *temerarium* dicitur.

3. *Cum conscientia vere dubia, i. e. cum dubio practico, seu practice practico circa liceitatem actionis operari non licet,* idque in re gravi per se mortale peccatum est: si tamen dubium illud etiam aliquo modo de *gravi* peccaminositate concipiebatur, non scrupulosa apprehensione, sed *formidine intellectûs judicantis. Ibid.*[1]

Quomodo autem se gerere debeat, qui in practico dubio versatur, jam habes fere ex iis, quae dicta sunt de conscientia vincibiliter erronea: nimirum omitti debet actio, de cujus honestate dubitatur, poni illa, quam num omittere liceat, practice dubium est; aut antea deponendum est dubium. — Deponi autem dubium potest vel ipsius rei inquisitione, rationibus quaesitis et perpensis, vel aliorum consultatione: utroque enim modo ad sufficientem certitudinem perveniri potest; nec idem studium a quolibet homine et in qualibet causa necessarium est.

Ita homo, qui ipse per se rationes perpendere nequit, multo facilius consilio *unius prudentis viri* certus fieri potest et debet quam homo doctus; prudens autem censetur ille, quem is, qui interrogat, rationabiliter pro pio et pro perito in re, de qua agitur, habet, v. g. confessarius, parochus etc. V. Elbel n. 150, Reuter n. 77.

39 C. Singulare dubium est in conscientia *perplexa,* quando ex utraque parte homo putat peccatum instare. In qua re hae regulae servari debent: cf. S. Alphons. l. 2. n. 10.

1. Si opportunitas est capiendi consilium, id fiat oportet.

2. Si perplexitas solvi nequit, id eligatur oportet, quod *minus peccatum* videtur: quod si fit, nullo modo peccatur; nam impossibile est, ullam esse necessitatem peccandi. Praeferendum autem est 1) praeceptum negativum positivo, 2) praeceptum divinum, ceteris paribus, humano, 3) praeceptum superioris ordinis praecepto inferioris.

3. Si discerni nequit, utrum minus, utrum majus videatur peccatum, eligi potest utrumlibet, neque re ipsa peccatur, eo quod libertas deest.

4. Si prae illo, quod minus peccatum videtur, eligitur aliud, quod videtur gravius, peccatum committitur; at secluso affectu pravo, non peccatur graviter, si excessus ille non ut gravis apprehenditur. Cf. *Theol. mor.* n. 52; Lacroix l. 1 n. 81—87.

Articulus III.

De conscientia scrupulosa.

§ 1.

Ejus notio.

40 Scrupulosa conscientia tum de particulari dictamine in re agenda dicitur, tum de habituali hominis dispositione, sc. de eo, qui consuevit

[1] Quare ille, qui sciens se male agere, dubitat tamen, utrum mortale an veniale peccatum sit, non semper mortalis peccati reus judicari debet. S. Alph. l. 1 n. 23 haec habet: „Satis probabiliter tenent [eum sic dubitantem] venialiter peccare, si homo ille minime advertit, nec etiam in confuso, ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, modo objectum non sit *certe per se* peccatum grave: adderem, modo etiam homo sit timoratae conscientiae."

scrupulose procedere. Quoniam autem posterior illa vocis acceptio a priore dependet, haec diligentius inspicienda est.

Scrupulosa conscientia dicitur a scrupulo, qui sensu materiali et proprio lapillus est, viatoris pedes vexans et torquens, translato sensu spirituale quoddam offendiculum, quod impedit hominem, quominus inoffenso pede in actionibus suis procedat, siquidem inani ratione ipsius menti passim objicitur timor peccandi.

Scrupulus igitur morali sensu est timor peccati, ubi non est peccatum, ex inanis rationis apprehensione: quod diversis modis contingere potest.

1. Si quis ex inani et futili ratione judicet, aliquid esse peccatum: qui error potius dicendus est quam scrupulus, atque omnino eliminari debet.

2. Si quis ex levi et futili ratione dubium circa honestatem actionis ita concipit, ut certo dictamine careat: quod Suarez vocat *intrinsece scrupulosum.*

3. Si cui post certum dictamen, quod habuit et in confuso saltem retinet, dubium ex futili ratione contra honestatem actionis accedit, quod mentem sollicitat atque perturbat: — *extrinsece scrupulosum.*

4. — Id, quod cum 3. cohaeret — conscientia *scrupulosa consequens* est, si quis post actionem commissam ex una parte quidem se non peccasse judicat, ex altera tamen parte futili nixus ratione formidat, ne forte peccaverit.

Tertius et *quartus* modus est scrupulus proprie dictus; *primus* autem et etiam *secundus* modus — si vere dubium intellectûs judicantis est, et non potius cum tertio modo convenit — plane cavendus est, quoniam cum tali scrupulo non excusso agere non licet, ut ex iis colligitur, quae de conscientia erronea et dubia dicta sunt.

Conscientiam scrupulosam distingue omnino a conscientia *tenera:* quae prorsus exoptanda est. Haec enim secundum normam veram tum ante tum post factum sentit etiam minimos defectus eosque magni aestimat, retenta tamen recta distinctione inter peccatum veniale et mortale; nam hujus distinctionis neglectus tamquam perniciosus error eliminandus est.

§ 2.

De origine scrupulorum.

1. Origo scrupulorum alio modo refertur ad naturalem hominis [41] dispositionem, alio modo ad Deum, alio ad diabolum.

Nimirum ad causas naturales referuntur *dispositive,* etiam proxime, ita ut homo ex variis causis proxime dispositus sit ad vividiorem mali apprehensionem atque ad apparentes ejus ratiunculas concipiendas, quibus deinde actu suo inhaeret neque sese plane expedire potest.

Ad Deum referuntur *permissive,* sive alias causas et naturales et diabolicas non impedit, sive etiam lumen rationis consuetum aliquatenus homini subtrahit: quo fit, ut non jam ita expeditus sit ad discernendum rationum pondus.

Ad diabolum referuntur saepe *effective,* quatenus iste imaginationem perturbat eique speciem mali moralis objicit: quod quo vehementius fit, eo magis impedit rationem a veri judicio.

2. Plerique scrupuli in causis naturalibus nituntur; quin etiam in iis, qui ad Deum aut diabolum referuntur, vix non semper causa aliqua naturalis subest. Quae naturales causae tum physicae esse possunt, tum morales, videlicet:

1) Corporis constitutio, quae faciat hominem melancholicum, ingenii tenacis et perspicacis quidem, sed perspicacioris ad inveniendas quam ad solvendas difficultates; vel quae reddat eum pusillanimem et timidum. — 2) Nervorum atque cerebri mala affectio sive haereditate accepta, sive nimio labore, jejunio, vigiliis contracta. — 3) Judicii infirmitas. — 4) Occulta quaedam superbia atque proprii judicii tenacitas. — 5) Nimia sollicitudo cavendi ab omni re, quae solam mali speciem habet, atque consuetudo quasi ex obligatione eligendi semper speculative securiora. — 6) Externa causa esse potest conversatio cum scrupulosis, incauta conscientiae directio, incauta severiorum scriptorum lectio.

§ 3.

De signis hominis scrupulosi.

42 I. *Praenotanda.* 1. Aliquando unum alterumve scrupulum pati, nondum facit, ut homo scrupulosus sit, aut regulis scrupulosorum possit uti: scrupulosus dicitur homo a consuetudine seu habituali dispositione vel agendi ratione.

2. Saepe homo ipse non potest judicare, utrum scrupulosus sit, an solummodo timoratae conscientiae; unde acquiescere debet judicio prudentis confessarii vel directoris.

3. Nec confessarius semper prima vice, qua tractat poenitentem, discernere satis potest, utrum inter scrupulosos collocandus sit necne; quare tum explorare magis poenitentem debet certamque directionem differre. Sicut enim periculosum est scrupulosum regulis communibus dirigi, ita damni plenum est hominem non scrupulosum scrupulosorum regulis duci.

4. Maxima autem discretione et prudentia opus est in dirigendis iis, qui in una materia scrupulosi sunt, in alia laxi, aut qui scrupulis quidem agitantur, simul autem etiam peccatis mortalibus et vitiis immersi sunt. Quum enim iis regulae scrupulosorum solummodo ex parte adhiberi possint, confessarius, nisi turpissime errare velit, sedulo inspicere debet. — Similiter ille, qui in una solum materia scrupulosus est, in hac quidem, sed non in aliis scrupulosorum regulis uti potest.

43 II. *Signa praecipua* hominis scrupulosi sunt:

1. Frequens mutatio judicii ob leves vel nullas rationes: ita ut idem modo licitum, modo illicitum esse judicet.

2. Timor peccandi occurrente occasione agendi in re, quam audivit a prudenti confessario licitam esse, quam videt ab hominibus timoratis agi, quam ipse proprio judicio, quum occasio agendi non urgeret, licitam esse judicavit.

3. Anxietas peccati ita exorta, ut homo sibi anxietatis rationem reddere non possit.

4. Judicii pertinacia contra dictum confessarii, atque inde consultatio plurimorum in re plana, et aucta ex hac perplexitas.

5. Iterata inquisitio de actionis liceitate, etsi jam pluries responsum certum acceptum est.

6. Reflexio ad circumstantias actionis, quae moraliter loquendo non accidunt, et ad quas homo sanae mentis non consuevit reflectere.

7. Anxietas continua circa confessiones, non obstante judicio confessarii, vel etiam confessionum repetitione jam satis accurate peracta: quod per se solum hujus *specialis* scrupulositatis signum est.

III. Signa, quae parvum juvant ad dignoscendos scrupulosos, nec 44
in scrupulosis tantum, sed in hominibus tenerae conscientiae deprehenduntur. Lacroix l. 1 n. 519 sqq. haec notat:

1. Quando poenitens est sollicitus, imo etiam moderate anxius, ne Deum vel levissime offendat, aut ut culpam commissam statim deleat: nondum propterea scrupulosus est.

2. Qui post vitam in magnis peccatis diu productam anguntur, et intra mediocre tempus, v. g. medium annum, videntur sibi non posse satisfacere, sed amplius confiteri volunt: non statim sunt habendi pro scrupulosis. Hoc tamen intellige de eo, qui ter quaterve post institutam confessionem generalem peccata aliqua tamquam nondum satis declarata afferat; nam si id saepius faciat, tandem omnino prohiberi debet, nisi prompte jurare possit se peccatum certo mortale certe non esse confessum. V. Reuter, *Neoconf.* n. 266, 1.

3. Ex eo, quod aliquis dubitat, an in hac aut illa re peccaverit, nondum colligi potest eum scrupulosum esse: quia dubium aut absolute, aut respective prudens esse potest.

§ 4.

De remediis scrupulorum.

Praevie notanda. 1. Scrupuli sunt morbus quidam spiritualis; quare 45
etsi aliquando a Deo permittuntur ad spiritualem utilitatem, ab homine tamen ipso impugnari debent; alioqui causant et animi et corporis gravissima mala: enervant enim vires, impediunt spiritualem progressum, opera utiliter pro Dei gloria suscipienda, periculum inducunt sive desperandi sive laxandi habenas veris vitiis et peccatis.

2. Si vero homo scrupulosus aptis remediis studeat eos impugnare, patientiae humilitatisque occasiones quam plurimas habebit atque meritum animi puritate, intentionis rectitudine augere sibi poterit, et aliorum conscientias dirigere melius addiscet.

3. Triplex genus scrupulorum cum S. Alphonso l. 1 n. 15 distinguunt: 1) eorum, qui semper anxii sunt de confessione ejusque integritate; 2) eorum, qui immoderate timent, ne pravis cogitationibus variisque tentationibus dederint assensum; 3) eorum — quod est scrupulorum genus difficillimum — qui in rebus innumeris actionibusque occurrentibus, in quibus alii minime perturbantur, timent, ne cum dubia conscientia agant vel egerint.

Jam notabo quasdam regulas generales pro remedio.

46 I. Regulae generales pro confessario hominis scrupulosi:

1. Scrutari debet, utrum poenitens sit scrupulosus in omnibus, an in aliquibus rebus tantum; quae sit scrupulorum causa.

2. Inculcet poenitenti viam et tutissimam et ipsi maxime necessariam esse obedientiam: quare sciscitetur a poenitente, utrum sibi fidat atque obtemperare velit; alioquin alium directorem sibi statim quaerat.

3. Generatim agat benigne cum poenitente, severitate tamen interdum, si a debita obedientia poenitens recedat.

4. Ad dubia proposita sine haesitatione et multa inquisitione respondeat, neque addat generatim rationem responsis, ne poenitens eas examinando sese implicet. Neque semper audiat omnia dubia, sed quum animadvertit esse res futiles, narrationem praecidat atque jubeat securum ad S. Communionem accedere.

5. Ipsi poenitenti det regulas generales applicatu faciles, non nimis particulares, quae in perpendendis circumstantiis fundentur.

47 II. Regulae generales pro ipso scrupuloso:

1. Persuadeat sibi se esse scrupulosum sibique incumbere contra scrupulos agere tum subsidiis spiritualibus, tum, si opus sit, corporalibus.

2. Maneat apud eundem confessarium doctum et pium, cui cum fiducia obedientiam summam praestet.

3. Studeat humilitati, resignationi in divinam voluntatem, fiduciae erga Deum ut patrem benignissimum.

4. Fugiat otium, nimiam solitudinem, conversationem atque lectionem, quae scrupulos gignere possit, nimias cogitationes de rebus, quae timorem potius quam fiduciam excitent, in excutienda conscientia brevis sit.

5. Ne cedat scrupulo, quasi hac vice securitatis causa velit agere, quod scrupulus suadet: neve putet ad recte agendum sibi opus esse, ut antea dubiola formali recordatione, quod sint scrupuli, excludat: sufficit enim scrupuloso habitualiter scire sibi dubia esse spernenda atque se recte agere, nisi *primo intuitu* dicere *certo* possit, rem, de qua agatur, peccatum vel grave peccatum esse.

6. Discat se ipsum generalibus regulis dirigere, neque in quovis casu ad confessarium vel directorem recurrat, neve scrupulosa illa dubia sacramentali judicio subjiciat.

7. Pro praxi igitur sumat brevissimas regulas: 1) sibi non esse aliquid peccatum mortale, vel peccatum simpliciter, quod non statim certo ut tale cognoverit; 2) sibi id licere, quod viderit agere alios homines timoratos sine scrupulo, etsi sit contra proprium judicium vel opinionem; 3) si circa confessiones anxius est, se non teneri confiteri, nisi quod cum mortali peccato a se actum esse, prompte jurare possit; 4) dubia sibi non esse rationabilem causam agendi, omittendi, haerendi, neque dubium illud, utrum sit scrupulus, an gravis ratio. Stoz l. c. n. 185. — Cf. Lacr. et Reuter l. c. Reginald., opusc. „*de prudentia confessarii*“ c. 10 et 11.

Circa varia scrupulorum genera Reuter, *Neoconf.*, et Reginald l. c. plura collegit: quaedam vide *Theol. mor.* n. 64 sqq.

Articulus IV.

De conscientia laxa.

I. Notio. Laxa conscientia, scrupulosae contraria, levius judicat, [48]
peccatum (grave) non esse, ubi revera est. Laxa potest esse conscientia *antecedens;* sed etiam conscientia *consequens,* quae sc. facilius putat peccatum non adfuisse, etsi re ipsa *subjective* adfuit.

Haec laxa conscientia oritur saepe ex consuetudine peccandi et remorsuum conscientiae ex industria negligendorum: quo fit, ut paulatim quasi callum conscientiae obducatur, atque sufficiens quidem sit notitia tenuis et confusa ad contrahendum reatum culpae etiam gravis, non vero satis vivida ad hominem ex torpore et somno spirituali excitandum.

II. Periculum. 1. Conscientia laxa consequens semper nocet, quum socordiam inducat non quaerendi reconciliationem cum Deo, quando quaerenda est.

2. Conscientia laxa antecedens propterea saepe non excusat a peccato, quia est error culpabilis et vincibilis. Quare scienter sequi conscientiam laxam in favorem libertatis non licet. Hinc fit, ut, qui laxa conscientia utitur, longe gravius et facilius teneatur, dubio aliquo circa honestatem actionis instantis exorto, antea inquirere, neque possit generatim dubium ut scrupulum contemnere. Ad quod quum nihilominus pronus sit, facilius, quam alii homines, reatum culpae gravis contrahit, neque peccati commissi ita recordatur. Quare etiam regula statuitur illi, quae pro homine timorato statuta est, contraria, nimirum: in dubio de consensu pleno praestito, praesumendum est hominem laxae conscientiae plene consensisse; alioquin enim ne dubitaret quidem.

III. Cura et remedia. Qui igitur serio conatur laxam con- [49]
scientiam emendare, aliquando in re objective gravi ob praecipitantiam non satis animadversam excusari potest. Quare tunc exstimulanda quidem ejus vigilantia est, ut cautior fiat et post commissam culpam statim doleat, et aut confessione, aut contritione securum se reddat; tamen ex altera parte etiam animandus est et edocendus, siquidem etiam apud ipsum ad mortale peccatum advertentia perfecta, saltem in confuso, ad obligationem rem magis considerandi aut inquirendi requiritur. — Remedia autem, quae hoc conscientiae vitium sanent, sunt praecipue: seria veritatum aeternarum meditatio atque pia lectio; frequens conscientiae discussio et *examinis particularis* usus; frequens ad sacramenta accessus.

Sectio II.

De Regula actuum humanorum remota seu de Lege.

Consuli possunt in hac re praeter S. Thom. I. II. q. 90—108 et S. Alph. l. 1 n. 99—208 imprimis Suarez *de leg.* libri 10; Salmantic. tr. 11; Laymann l. 1 tract. 4; Reuter p. 1 n. 118—262; Mazotta tr. 1. disp. 2—5; Wirceb. tom. 3; Craisson, *Manuale jur. can.* lib. 1; Bouix, *principia juris canon.;* Bouquillon l. c. lib. 2.

Caput I.

De notione et essentia legis.

50 Conscientiam morum regulam *proximam* et *subjectivam* esse diximus, quae percipiat legem eamque cum singulis hominibus communicet. Quare ut regulam morum compleamus, ad considerationem legis ut regulae *objectivae* seu *remotae* transeundum est. Ubi etiam de systemate, quod in theologia morali sequamur, dicendi erit locus: nam id nihil aliud est, nisi explicare, quid et quousque ex nostra sententia lex valeat ad conscientiam ligandam.

Lex, ut abstrahamus a latiore vocis acceptatione, tamquam morum regula est ex S° Thoma I. II. q. 90 a. 4 „ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata".

I. **Divisio.** 1. Ratione originis est lex *divina*, et *humana;* divina est aut *naturalis,* aut *positiva divina;* humana est *ecclesiastica,* aut *civilis,* quarum utraque potest esse *consuetudine introducta,* aut *per se lata.*

2. Ratione objecti habes legem *affirmativam* seu praecipientem, et *negativam* seu prohibentem. Posterior dicitur obligare *semper pro semper,* prior *semper, sed non pro semper,* i. e. utraque lex est aliquid *permanens;* una exigit, ut *omni tempore* observetur abstinendo seu *non agendo;* altera non exigit, ut omni tempore observetur *agendo,* sed solum *suis temporibus.*

3. Ratione effectûs habetur lex *obligans, permittens, irritans.* — Lex *obligans* est aut immediate *moralis* (quae statim in conscientia obligat sub culpa), aut *poenalis* (quae immediate solum obligat ad sustinendam poenam eum, qui deprehensus fuerit, ad id tamen in conscientia), aut *mixta.* Lex *permittens* tribuit impunitatem, vel etiam aliis imponit obligationem alios non turbandi. — *Irritans* lex declarat vel efficit, ut certi actus juridico effectu careant; potest simul esse lex prohibens.

II. **Essentiales** legis conditiones sunt, ut sit 1) voluntas Superioris *efficax seu absoluta* obligandi, quo distinguatur a consilio; 2) *promulgata,* quo possit communitas dirigi; 3) *stabilis* et aliquo modo *universalis* (hinc ad bonum *commune*), quo distinguatur a solo praecepto — ceteroqui pro casibus, in quibus praeceptum obligat, parum interest, sitne praeceptum, an lex: cf. *Theol. mor.* n. 72; quoad leges humanas adde 4) *possibilis;* 5) *honesta;* 6) *justa;* 7) *utilis:* ad impossibilia, peccaminosa, injusta obligationem exsistere repugnat; neque ad plane inutilia, quae omni fine careant, obligare homo hominem potest, siquidem obligandi potestas propter finem adest. Cf. S. Thom. I. II. q. 95 a. 3.

Caput II.

De necessaria legis certitudine ejusque ad conscientiam relatione, ubi: ‚de variis theologiae mor. systematis' dicendum est.

51 Cum conditionibus legis essentialibus intime conjungitur quaestio illa summi momenti, qualis certitudo de lege ejusque extensione ad singularem actionem, de qua quaeritur, adesse debeat, ut conscientia

vere ligetur. Quae quaestio non solum circa legem humanam et positivam versatur, sed etiam, idque maxime, circa legem divinam naturalem. Aliis verbis quaeritur, quid sentiendum sit in variis dubitationibus, quae circa leges earumque extensionem occurrunt, utrum eodem modo, ut dubia est lex, etiam dubia dicenda sit conscientia, an ex lege etiam dubia ad conscientiam certam progredi possimus, et quando.

Quoniam autem permulta in variis legibus sunt, quae non sint ita plana, sed plus minusve obscura et controversa inter ipsos viros doctos: ab hujus quaestionis solutione innumerae singulares quaestiones in theologia morali solvendae dependent. Quare jam consueverunt pro diversa universalis illius thematis solutione diversa systemata nuncupari: quo fit, ut in singularibus quaestionibus decidendis etiam major fiat diversorum scriptorum discrepantia, neque quisquam firmum sibi judicium de licitis et illicitis formare possit, nisi de hac quaestione, quodnam systema sit sequendum, certum aliquid apud se statuerit.

Verum quidem est, multa inter diversorum systematum fautores convenire, imo, quod magis mireris, eos, qui systema severius statuant, aliquando in singularibus quaestionibus benignius rem tractare: at hoc aut inde est, quod sibi non semper constant, aut — quae est humanae infirmitatis conditio — suis rationibus et placitis prae aliorum rationibus nimis confidant. Quare, ut secundum scientiam recte procedamus, systematum diversorum notionem definire et judicium necessario debemus instituere.

Articulus I.

Expositio diversorum systematum.

1. Qui ita statuit: In lege dubia et controversa non licet sequi 52
opinionem libertati faventem, sed ut hanc sequi liceat, requiritur, ut sententia favens libertati sit *certa* — profitetur *Tutiorismum absolutum.*

2. In lege dubia et controversa, ut liceat sequi sententiam libertati faventem, haec sententia debet esse saltem *probabilissima* — *Tutiorismus mitigatus.*

3. In illo dubio sufficit et requiritur, ut sententia libertati favens sit *probabilior, quam opposita* — en axioma *Probabiliorismi.*

4. In illo dubio sufficit et requiritur, ut sententia libertati favens sit *aeque probabilis, atque opposita* — axioma *Aequiprobabilismi.*

5. In tali dubio sufficit et requiritur, ut sententia libertati favens sit *vere probabilis,* seu gravi ratione nixa — axioma *Probabilismi.*

6. Qui vero opinionem etiam leviter probatam seu improbabilem in favorem libertatis se amplecti posse autumat, se *Laxismo* adhaerere ostendit: quem pro systemate nemo profitetur, ad quem tamen in singulis quaestionibus aliquando scriptores quidam delabi deprehenduntur.

Ex quibus nn. 1 et 6 ab ipso limine rejicere atque excludere a discussione liceat: cf. thesis 3 ab Alex. VIII confixa „Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam“, et thes. 3 ab Innoc. XI damnata „Generatim, dum probabilitate intrinseca seu extrinseca, quan-

tumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus". Neque necesse est, ut legenti facile patebit, expresse contra Tutiorismum mitigatum agere; sed sufficit, ut subjiciamus considerationi tria, quae re ipsa ut systemata fautores suos etiamnunc habent, probabiliorismum, aequiprobabilismum, probabilismum, ex quibus unum eligendum est. Neque excogitari potest, tutiorismo et laxismo exclusis, alia praeter illas tres regulas, ut scilicet aut postuletur *gravior* ratio pro sententia libertati favente, quam pro opposita, ad eam amplectendam, aut *aeque gravis*, aut *simpliciter gravis*.

53 Propositum finem satis attingemus, si solum probabilismum argumentis probabimus et a difficultatibus objectionibusque vindicare conabimur. Quo patebit, quid de probabiliorismo et aequiprobabilismo sentiendum sit.

Ceterum, ut de aequiprobabilismo statim pauca dicam, hoc systema, si non stricte vim vocis, sed sensum eorum, qui eum profitentur, accipiamus, vix a probabilismo discrepat. Nimirum admittunt, licere sequi eam sententiam libertati faventem, quae sive aeque probabilis, sive fere aeque probabilis, *etsi paulo minus probabilis* sit, quam contraria; insuper de probabilitate alicujus sententiae ejusque gravitate etiam ex scriptorum auctoritate externa merito judicari posse censent: quo necessario fit, ut vix quidquam illicitum dici possit secundum aequiprobabilismum ita temperatum, quod probabilismus licitum esse declaret. At quum nobis persuasum sit, theoretice rectius statui axioma probabilismi, hoc unum systema argumentis probare aggredimur, de aliis ea solum dicturi, quae requiruntur, ut difficultates contra probabilismum allatae evanescant.

Historiam et fata probabilismi habes paucis exposita in *Theol. mor.* n. 78.

Articulus II.

Probabilismus exponitur, et probatur ejus veritas.

§ 1.

Notiones praeviae et status quaestionis.

54 Opinio probabilis seu probabile illud dicitur, quod gravi nititur ratione, seu quod homini prudenti probatur, eumque ad assensum movet vel ei assensum suadet, quamquam remanente formidine de veritate oppositi. Ipso igitur conceptu, quod probabile est, excludit certitudinem, admittit possibilitatem, imo timorem quendam errandi plus minusve fundatum. At, ut postea de probabilismi honestate tractantes ostendemus, hoc errandi periculum unice speculativum judicium respicit, practicum judicium nullo modo.

Distinguitur:

1. Probabilitas *juris* et *facti* prorsus eadem ratione, sicut antea (v. de conscientia art. II) dictum est de *dubio* juris et facti. Quamquam Bouquillon l. c. n. 312 alio modo hanc distinctionem

explicat, eamque cum practica (juris) et speculativa (facti) convertit; a communiori et magis obvio sensu non duxi recedendum esse.

2. Probabilitas *speculativa* et *practica:* quae distinctio non uno semper sensu intelligitur. Sc. 1) si opinio, quae dicitur probabilis, versatur circa res speculativas, praxim proxime saltem non spectantes, *speculativa* vocatur probabilitas; si aliter, est *practica;* attamen melius dicitur probabilitas *de re speculativa,* et *de re practica.* 2) Pressius circa ipsas res practicas dicitur opinio *speculative tantum* probabilis, si judicium illud actionem considerat abstracte et in se, non attentis illis circumstantiis concretis, quae ei communiter adjunctae sunt; *practice* probabilis, aut improbabilis, si judicium fertur de actione, de qua quaeritur, cum omnibus iis circumstantiis, quae eam in concreto et secundum hominum naturam, ut de facto est, comitantur. Quibus rebus fieri potest, ut aliqua opinio, quae certam quandam actionem a gravi peccato immunem declarat, speculative quidem probabilis vocetur, practice autem et simpliciter improbabilis.

3. Probabilitas *interna* et *externa,* prout judicium fertur secundum rationes, quae ex ipsius rei consideratione petuntur, aut secundum auctoritatem aliorum, qui in ea re docti atque versati sunt. Verum externa probabilitas internam supponit, siquidem viri illi docti certe propter internas rationes sententiam suam statuerunt. — Ut igitur ex auctoritate veram probabilitatem habeas, sufficit, opinionem generatim a compluribus scriptoribus classicis (v. g. 5—6) teneri aut Ecclesiae judicio ut probabilem definitam vel saltem commendatam esse. Raro sufficit *unius* scriptoris auctoritas, ut tamen reipsa sufficit auctoritas S. Alphonsi de Liguori: de cetero, qui sint scriptores classici, communi aestimatione fere constabit.

4. Probabilitas *absoluta* et *relativa,* seu opinio absolute probabilis, et relative probabilis, prout illa opinio sine comparatione cum opposita opinione, rationibus gravibus et persuasibilibus niti dicitur, aut judicium de ea in comparatione illius oppositae opinionis fertur. Alterum si fit, opinio aliqua potest esse: aeque probabilis, minus probabilis, probabilior, relative probabilissima, relative parum probabilis.

5. Distinguunt etiam opinionem dubie probabilem, tenuiter probabilem: quae posterior vox si accipiatur pro distinctione, qua probabilia inter se distinguantur, re ipsa contradictoria continet. Qui enim dicit *tenuiter probabile,* sine dubio significare vult, rationes assensum suadentes esse leves tantum: at quî fieri potest, ut ratio levis viro prudenti vere probetur atque assensum suadeat, denique sententiam reddat probabilem!

His praenotatis,

Dico: In omnibus rebus dubiis iisque solis, in quibus 55
cõntroversia ad quaestionem de licito et illicito
proxime deducta est, sequi licet opinionem vere
probabilem, quae actionem omissionemve licitam
esse docet, etsi contraria opinio, qua illicita putatur, sit etiam probabilis, vel etiam probabilior.

Nota ad statum quaestionis:

1. Dicitur: „in *omnibus* rebus dubiis etc.“, ut indicetur, sive spectent ad legem naturalem, sive ad positivam divinam, sive ad humanam, id nihil differre quoad usum probabilismi, nisi forte in lege humana facilius *probabilis* ratio dubitandi admitti potest, quam in lege divina et naturali.

2. Dicitur: „in *solis* etc.“, quo excludatur usus probabilium opinionum, quae non proxime de actionum liceitate et illiceitate, sed de earum valore versantur. Nam si de valore actûs agitur, fieri potest, ut vere probabilis sit opinio affirmans, haec et haec non tangere valorem, attamen non obstante hac probabilitate, vere impium vel injustum sit ea negligere, quae propter oppositas rationes fortasse ad valorem pertineant. Si enim effectus, qui valida tantum actione obtineri potest, *certe* producendus est, nemo non videt, actione probabiliter tantum valida periculum induci atque injuriam ei inferri, qui certum effectum jure exspectet, nisi forte, quando in potestate agentis non est, certiorem effectum procurare, melius actione dubie valida, quam nulla, proximi necessitati consulitur.

Quae igitur a compluribus scriptoribus tamquam *exceptiones* a probabilismi liceitate statuuntur, vere exceptiones non sunt, multo minus defectio a regula probabilismi, sed solum *veri sensûs* probabilismi *declaratio*. Nam v. g. ex eo, quod non constet de nullitate baptismi in aqua rosacea collati, inferri nequit, *licere* sic baptizare. Antequam enim de probabilismo ejusve usu sermo esse potest, quaestiones controversae ad statum illum deduci debent, ut de lege praecipiente vel vetante proxime judicetur. Quod saepe non fit, nisi *praevie* aliae quaestiones solutae sunt.

56 Igitur: 1. Quando agitur de adhibendis mediis ad salutem aeternam necessariis, non licet, effectum tantum probabiliter assecuto contento esse.

2. Quando sacramenta administranda sunt, non licet dubia materia vel forma uti, quamdiu certiora adhiberi possunt, quia tum reverentia sacramentis debita, tum jus eorum, quibus sacramenta administrantur, eorumve periculum postulant, ut dubiis certa praeferantur. Excipe, nisi: a) forte Ecclesia supplere possit atque certo eam suppleturam esse sciatur; vel b) in sacramentis, praecipue frequenter iterabilibus, majoris certitudinis inquisitio scrupulis et immoderatae sollicitudini viam aperiret: quod si fieret, certitudine etiam late morali contento esse licet ministro, quamvis major certitudo absolute possibilis sit. V. g. quis unquam obligabit sacerdotem, ut ipse vinum ex uvis conficiat, triticum serat et panem hostiarum coquat, quamquam si haec faceret, majorem certitudinem de valida materia eucharistica haberet! Videlicet quae a Christo pro hominum usu instituta sunt, humano more tractanda, seu sollicitudine, quae non ultra humanam diligentiam excedat.

3. Si medicus aegroti curam suscipiat, non potest, relictis melioribus, remedia dubia adhibere, siquidem, susceptâ infirmi curâ, se ad illum, quo possit optimo modo cum humana diligentia, curandum adstrinxit; imo curam tantum dubiam seu ambiguam, quae in bonam

et in malam partem cedere potest, neque aegroto licet admittere, neque medico impendere, si vita vel sanitas in magnum periculum conjicietur: et sic in similibus casibus.

Probabilitatis et probabilismi notio atque ipsius probabilismi axioma et systema videntur iis, quae dixi, satis esse explicata. Probanda igitur est ejus veritas. Quod propter rei gravitatem praeter morem quibusdam argumentis scholastico modo propositis efficere conabor.

§ 2.

Argumenta quibus probabilismi veritas probatur.

I. Argum. externum. *Ecclesia non potest tolerare, multo minus* 57
positive approbare systema moralis doctrinae ad quotidianam praxim spectantis, quae sit contra bonos mores atque illicitas actiones promoveat. — Atqui ita egisset, si probabilismus esset falsus.

Nam Ecclesia per plura saecula saltem toleravit, imo recentiore tempore in S. Alphonso positive approbavit doctrinam probabilismi. — Ergo probabilismus debet esse licitus, atque — id quod sequitur — ejus axioma non potest esse falsum.

Major dogmatice constat ex infallibilitate et indefectibilitate Ecclesiae. Nam ut infallibilis veritatis magistra in rebus fidei et morum errare nequit, ideoque doctrinam morum corrumpentem nequit *approbare,* ita neque eam potest *tolerare,* siquidem a) praxim ubique vigentem pravam non reprehendere est *aequivalens ejus approbatio;* b) esset defectio a munere valde essentiali, quae Ecclesiae indefectibilitati directe adversatur. At revera approbasset doctrinam contra bonos mores, atque illicitas actiones quam plurimas promovisset, nisi probabilismi axioma supra enuntiatum esset verum. Quam plurima enim, quae revera essent peccata, probabilismus permitteret, ad ea agenda impelleret, habenas laxaret!

Vis igitur argumenti in eo est, ut ostendatur tolerantia et tacita probabilismi approbatio per Ecclesiam facta. Ad quod probandum hîc sufficiat attulisse verba S. Alphonsi ex ejus *Theol. mor.* edit. 2. Neapol. 1755.

„Ultimam et benigniorem et communissimam sententiam probandam aggredimur, nempe licitum esse uti probabili opinione etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum . . . . Adde his potissimum argumentum, nimirum si sententia benigna fuisset falsa, minime quidem communiter a doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta fuit, aut saltem Ecclesia eam non tolerasset permittendo, quod animae communiter per hanc perditionis viam, ut adversarii clamitant, a talibus caecis ducibus deceptae incederent."

Plura testimonia tum S. Alphonsi tum aliorum vide *Theol. mor.* n. 85 sqq. et Raphael a S. Joseph, *Institutiones fundamentales* tr. II. n. 188 sqq.

II. Argumenta interna. 1. *Lex non satis promulgata deficit* 58
in aliqua essentiali legis conditione adeoque non obligat. Atqui si graves seu probabiles rationes suadent sensum benignum seu opinionem libertati

faventem, lex secundum sensum severiorem, qui statuat obligationem, non est satis promulgata, idque sive aeque probabiles sunt rationes, sive non. *Ergo secundum illum sensum non obligat.*

2. *Ut lex subjective conscientiam liget, requiritur non solum ut exsistat, sed ut innotescat, et obligatio percipiatur. Atqui obligatio, contra quam exsistunt graves rationes, non innotescit. Ergo non ligat.* — Videlicet propositio *minor* ex se satis evidens est; nam quod est incertum, tantum abest ut innotescat, ut potius obscuritate et tenebris maneat involutum. *Major* propositio facile ostenditur. Conscientia, ut ligetur, *percipere* debet *obligationem,* non dubium obligationis. At si objective incerta est obligans sententia, non percipitur obligatio 1) *directe:* directe enim *ejus incertitudo* percipitur; neque 2) *indirecte:* id enim esset directe percipere obligationem tutiora eligendi. Verum hanc esse obligationem, adversarii quidem contendunt, sed non probant, neque eam, tot viris contrarium docentibus, possunt imponere.

59 III. Argumentum indirectum. *Nisi admittatur pro certo principium, legem propter graves rationes dubiam seu obligationem incertam non reipsa homines adstringere, ipsi adversarii ne in sententiis quidem probabilioribus libertati favere possunt, quum certum principium non habeant. At in illis tamen causis libertati volunt cedere. Ergo admittant oportet principium, cujus consectarium est probabilismus.*

Articulus III.

Praecipuae difficultates, quibus probabilismus impugnatur, solvuntur.

60 I. Difficultas. Probabilismus, ut reddat conscientiam certam, et actionem licitam, debet esse *certus.* Atqui non est *certus,* quum liceat sequi alia systemata.

R. In se plane ita esse, debere probabilismi veritatem esse certam; duplicem tamen posse esse viam. Nam 1° potest veritas probabilismi demonstrari, et ex hac veritate certo demonstrata concludi, ejus usum esse licitum.

2° Potest aliunde certo demonstrari, usum probabilismi esse licitum, et ex hoc logica necessitate deduci, habere ergo probabilismum eam certitudinem, quae ad honeste operandum requiratur.

Utramque viam in argumentis supra datis ingressi sumus. — Si quis vero nihilominus nondum certus est, neque directe neque indirecte, de probabilismi veritate et liceitate, ille utique *sibi* non potest probabilismum pro regula assumere; at nequit alios prohibere, quominus ipsis persuasum sit, dubiola contra probabilismum non niti in rationibus veris.

II. Difficultas. Deficiente certitudine sententiarum, inhaerendum est verisimilioribus ab eo qui vult prudenter agere; sed probabilista inhaeret e contrario iis quae sunt minus verisimilia.

R. Probabilista minus verisimilibus *non inhaeret,* sed ex iis (NB. quae tamen sunt vere probata, gravibus rationibus fulta) deducit legitimam et *certam conclusionem,* cui inhaereat.

61 III. Difficultas. Probabilista exponit se periculo laedendi legem: sed id ipsum non licet facere.

R. 1. Id, etsi non in omnibus, tamen in multis rebus saltem non minus facit probabiliorista, quam probabilista: solvere igitur prorsus debet hanc difficultatem ipse adversarius.

R. 2. Probabilista exponit sese periculo laedendi Dei voluntatem eam, quae pro hominibus consequenter ad incertitudinem vere sit lex: id plane nego; quae antecedenter fuerit lex: transeat. Hoc ultimum facere, peccatum non est.

IV. Difficultas. Probabilista non iisdem principiis neque eâdem mensurâ utitur, quando agitur pro lege contra libertatem, quibus utitur contra legem pro libertate: quod inconstantiae et levitatis est.

R. Jure merito non iisdem principiis utitur, siquidem apud omnes valet axioma: „favores sunt ampliandi, odiosa restringenda", i. e., in *restringenda* libertate parce agendum est, in ea *extendenda* vel servanda largiter procedendum. Plura vide *Theol. mor.* n. 94—106.

V. Difficultas. Saltem non licet sequi opinionem probabilem, si 62
probabilior contraria est pro lege. Nam probabilem opinionem pro libertate sequi licet solum propterea, quia contraria lex *ut dubia* vel *ut non satis promulgata* non obliget. Atqui in occursu opinionis *certe probabilioris* lex non est amplius dubia, utpote non dubia *sensu stricto,* et est satis promulgata. Ergo in hoc casu probabilismo in libertatis favorem uti non licet.

R. N. Assertum. Ad prob. Transeat major; neg. minor et conseq. Nam quis dixerit, vel unde *probent* adversarii, legem *dubiam* esse solum in dubio *aequali* seu *stricto,* vel principium de lege dubia et de lege non satis promulgata in solo dubio stricto valere: id enim non *tantum asserere,* sed *probare* debent. Certe, quicunque a diversorum systematum disceptationibus alienus est, fatebitur, dubiam manere rem, quamdiu *gravis* ratio est contra ejus veritatem; ergo quamdiu contra legem est *gravis seu vere probabilis* ratio, tamdiu lex est et manet dubia, nec satis promulgata, utut tandem dicatur opinio pro lege probabilis vel probab*ilior.*

Articulus IV.

De regulis subsidiariis, quae usum probabilismi magis determinant.

Vi probabilismi id minime efficitur, ut *quocunque* dubio de obli- 63
gatione exorto, practice dici possit: „obligatio dubia obligatio nulla", si de obligatione in se quidem constat, sed de ejus cessatione propter dubiam impletionem et ex simili causa quaestio movetur. Quod enim hucusque circa probabilismum demonstratum est, per se et primarie tantum agit de obligatione sive lege dubia exsistente; num vero etiam probabile sit, obligationem, quae certo exstabat, propter dubium subsequens practice cessare, *specialis quaestio* est, quae sicut ceterae particulares obligationes singillatim est pertractanda.

Quare ut hae et similes quaestiones, quae practicas quasdam regulas in applicatione frequentes exhibent, lectori patefiant, breviter sequentia subjicienda putavi, quo et falsa quaedam probabilitatis species a vera probabilitate distingui possit et argumenta plus minusve

certo vel probabiliter factum aliquod probantia innotescant. Sunt fere reg. *juris* Bon. VIII. ad calcem l. VI. decretal.

I. Regula: *„In dubio melior est conditio possidentis.“*

Declaratio. Haec regula proxime indicat normam juris stricte dicti, seu quod ad justitiam commutativam pertinet, ita ut possessio generatim vincat quaslibet rationes oppositas non certas. At regula illa pro similitudine cum possessione rei etiam de omni quasi-possessione statuitur. Quasi-possessio enim dicitur de statu et conditione rei, quae adest vel hucusque adfuit, cui tamen dubium supervenit. V. g., si lex quaedam certe exstitit, sed supervenit dubium, num cessaverit, lex dicitur esse in possessione. Contra si hucusque libere aliquid agere licuit, dubiumque supervenit, num forte lex contraria sit lata, in possessione esse dicitur libertas. — Sed non prorsus eodem modo regula illa extra materiam justitiae, atque in ea, intelligitur et urgetur. Videlicet:

1. In dubio negativo superveniente valet tum pro libertate, tum contra eam.

2. In dubio positivo vel probabilitate superveniente facilius valet *pro* libertate, quam contra. Nam libertas non restringitur, si dubium superveniens, inquisitione facta, perseverat, etsi probabile, vel etiam probabilius sit, accessisse aliquid, quod eam restringat. Attamen libertas restituitur, si valde probabile est, obligationem cessasse. Ita saltem innumeri scriptores, atque etiam S. Alphonsus in variis quaestionibus, practice tuto sentiri posse affirmant. Cf. S. Alph. lib. 3 n. 112 q. III; ib. n. 290.

Idem statuitur, si obligationis, quae a lege imponitur, cessatio a facto aliquo probando pendet, v. g. a lapsu temporis. Quod si positive, quamquam non cum certitudine, probatur, obligatio practice non amplius urgenda est. Ita quando feria VI. servanda est abstinentia, et ex probabili argumento, v. g. horologio, concludis, diem esse elapsum, obligatio abstinentiae cessat. Facilius etiam libertati favetur, si dubitatur, num feria V. jam in feriam VI. desierit. Nisi enim id moraliter certo contigisse appareat, non est, cur pro obligatione abstinentiae stare debeas.

Contra libertatem autem regula quasi-possessionis applicari debet, quoties de publico ordine seu de bono publico conservando agitur. Qua de re cf. Bouquillon l. c. n. 377.

64 II. Regula (aliis verbis idem indicat ac I.): *„Videndum est, cui incumbat onus probandi.“*

Ex hac igitur regula iterum habes: 1. Propter solum dubium negativum prior status nunquam est mutandus, quum mutatio illa probanda sit, ratio vero negativa non probet.

2. At quae et quanta positiva probatio exigatur, ex ea sola regula nondum habes, quum aliquando certa, aliquando probabilis tantum probatio requiratur, ut statum esse mutatum dicamus.

Quod ut aliquatenus determinetur, sit

III. Regula: *„Ut legi certae extra materiam justitiae satisfactum sit, sufficit probabilis impletio positive probata.“*

Impletio legis probabilis dici potest duplici ratione: 1) si actio, quae lege postulatur, posita est eo modo eaque ratione, quae secundum probabilem legis interpretationem seu probabiles opiniones sufficiens putatur: *probabilitate juris* lex impleta est; 2) si actio, quae lege postulatur, num posita sit, non certo, sed probabiliter tantum constat, *probabilitate facti.* In utroque casu licet cuilibet esse contento, in priore immediate ex principio probabilismi, in altero ex probabili interpretatione mentis legislatoris. — In materia justitiae autem, cur non plane eodem modo procedi possit, et quomodo agi tunc debeat, melius suo loco tractantes de jure et justitia dicemus.

IV. Regula: *„In dubiis standum est pro eo, pro quo stat praesumptio."* 65

Quamquam sc. pro singulari facto specialis probatio non affertur, saepe tamen aliunde sumi possunt rationes quae suadent, factum vel conditiones, de quibus agitur, non defuisse. V. g. ex iis, quae alias fieri solent, quae communiter fiunt, quae aliquis agere consuevit, aut eum fecisse sine injuria dubitari nequit, tanta sumitur probatio, ut eadem etiam nunc facta esse, nulla positiva probatione addita, vel probabiliter, vel cum lata quadam certitudine affirmari possit.

Ita in dubio, num Superior in materia ceteroqui suae jurisdictioni subjecta juste praecipiat, praesumptio est pro Superiore; quum ad finem alicujus horae divini officii deveneris, nec recorderis, omniane recitaveris, in hac dubitatione, si alias recte recitare consuevisti, praesumptio est pro te, omnia recte recitata esse, neque ultra obligaris.

NB. Praesumptio nihilominus potest aut certa probatione, aut vehementi suspicione contrarii vi sua destitui.

V. Regula: *„In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus."*

Haec regula tantummodo particularis applicatio regulae prioris est, siquidem ex ordinarie contingentibus praesumptio aut probabilitatem aut moralem certitudinem generans oritur.

VI. Regula: *„Factum non praesumitur, sed probandum est."* 66

Factum *principale,* quod in jus adducitur, probari debet, v. g. crimen cujus aliquis accusatur, contractus quem aliquis se fecisse contendit. — Sed:

„Quod de jure faciendum erat, in dubio factum seu recte factum esse praesumitur":

Sc. hoc principium valet de rebus *accessoriis;* quilibet enim praesumitur etiam ea fecisse, quae illius facti principalis quasi complementum sunt, eo quod vel ordinarie fieri solent, vel faciendi obligatio erat, vel agenti erant favorabilia. (Videlicet quilibet praesumitur recte et bene, prudenter et constanter, sibi utiliter agere et egisse, nisi contrarium probetur); contra

„Nemo praesumitur malus, donec probetur." — Certa quaedam hujus regulae VI. applicatio vel consequentia est haec: *„In dubio standum est pro valore actûs."*

Nimirum si de substantia actûs constet, praesumitur, eum ita factum esse, uti oportebat. Atque ita *pro* libertate judicatur, ne liu-

tius obligatio aliqua sustineatur; sed etiam *contra* libertatem, si agebatur de actu publico, qui ad relationem juridicam atque debitum aliquod inducendum tendebat. Sic standum est pro valore confessionis in dubio de dolore, ne *obligatio* repetendae confessionis imponatur (aliud vero dicendum, si quaestio deducitur ad valorem absolutionis seu reconciliationis cum Deo certo quaerendae, praecipue in mortis articulo — eatenus scil. in dubio dolore etc. non est standum pro valore actûs, sed actus repetendus est, ut sit *certo* validus). Ita etiam standum est pro valore matrimonii similiumve contractuum *contra* libertatem, ne bonum publicum periclitetur (cf. reg. I). Alias vero si prudens dubitatio de valore actûs exsistit, pro illo standum non est contra libertatem, quia dubia obligatio obligatio nulla.

67 VII. Regula: *„In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda,* i. e. benigniora praeferenda sunt.“

At ne falso intelligantur favores contra legislatoris mentem, hîc in antecessum notandum est, quod suis locis magis evolvetur, odiosa esse non tantum 1) quae libertatem constringant, vel 2) poenam inducant, sed etiam 3) quae jus tertii laedant, vel — communiter saltem — 4) quae juri communi opponantur. Quare *multae dispensationes et privilegia* (praecipue personalia) inter *odiosa* collocantur, quamquam favorem videntur continere: de quibus infra fusius. Favorabilia quae sint, ex oppositione per se innotescit.

VIII. Regula: *„In dubio, quod minimum est, tenendum.“*

Haec est regula pro eorum interpretatione, quae odiosa sunt.

IX. Regula: *„In dubio pars tutior sequenda est.“*

Haec regula restringitur 1) ad casus dubii practici et 2) ad ea, in quibus effectus aliquis seu finis *certo* obtinendus est, ita ut dubio et probabilitate fini obtinendo non sit satis consultum. (Cf. quae supra dicta sunt de iis, quae saepe *praevie* solvi oporteat, antequam probabilismus munere suo fungi possit.)

Articulus V.

Quaedam de practico usu probabilismi monita.

Conclusionis gratia tres quaestiones propono, quae ad usum vitae summi momenti sunt.

68 I. Circa dictamen practicum in dubio efformandum haec noto: 1. Ante omnia videndum est, num dubium aliqua ratione plene solvi possit. In hoc negotio major minorve diligentia requiritur a) pro rei, de qua agitur, gravitate; b) pro conditione hominis qui inquirere debet; c) pro temporis opportunitate quae suppetit. — 2. Hinc homo doctus generatim majorem curam et considerationem adhibere debet, at suo etiam judicio facilius fidere potest, quam homo rudis, qui fere auctoritate ejus debet duci, quem probum et peritum habet. — 3. Si agitur de rebus, quae etiam homini indocto ejusque capacitati perviae sunt, non est, cur etiam ille non possit sibi ipse per se ex judicio

speculativo probabili dictamen practicum certum formare. Quod re ipsa etiam fit, quando *ex probabilibus rationibus et conjecturis* homines quoque rudiores subjective firmiter concludunt, sibi hoc vel illud illicitum esse non posse. Quamquam enim non reflexe axioma probabilismi sciunt, tamen natura duce, dubium, quod forte superest, tuto spernunt, atque peccandi formidinem vel nullam concipiunt, vel non eam, quae ad verum peccatum, maxime ad grave, contrahendum requiritur.

II. De usu duplicis opinionis probabilis, quarum una alteri oppo- 69
nitur, attende ad sequentia: 1. Quando in diversis circumstantiis vel diversis temporibus similis vel eadem res recurrit, *per se* nihil impedit, quominus modo unam, modo alteram sententiam, quarum utraque et in se et mihi probabilis est, practice sequar. Aliunde tamen fieri potest, ut id aliquando non liceat, aut non expediat, v. g. in judice, ne justam reprehensionem inconstantiae, vel pro circumstantiis etiam 70
injustitiae labem contrahat. 2. Non possum in una eademque re individua seu in circumstantiis concretis opinionem jam assumptam mutare, adeoque actionem meam secundum utramque opinionem (etsi per se probabilem) dirigere, si ex tali mutatione sive conjunctione aut a) certum aliquod jus tertii vel certa aliqua obligatio violatur, aut b) *alterutrum* ex juribus vel legibus indubiis *certe* violatur, quamquam *utrum* jus vel utra lex violetur, nescitur. (Cf. Lugo *de Euchar.* d. 15 n. 46—54; Voit, *theol. mor.* t. 1 n. 104.) Exemplum habes in eo, qui hac mutatione voti impletionem eluderet, vel sibi arripiens haereditatem ex testamento legata nollet solvere. Cf. infra de testamento informi.

III. De eligendis opinionibus in tribunali poenitentiae atque earum circa poenitentes usu haec observa: 1. In praxi confessarius debet potius benignus esse, quoad fieri potest, quam rigidus cum suo poenitente: nisi tamen benignior opinio vel praxis occasionem vel periculum peccati formalis relinquat seu augeat, quum severior illud tolleret vel multum imminueret; at ne tum quidem *strictam obligationem* fingere licet eâque prae gravi suasione uti, ubi talis revera non adest. — 2. Per se autem nihil impedit, quin in aliis etiam adjunctis *suadere* vel *consulere* poenitenti possim secundum sententias minus benignas, praesertim si probabi*liores* sunt in materia tum justitiae, tum reliquae honestatis: si modo *obligatio* non imponitur, atque etiam prudentia expenderit, num *hic et nunc* ita suadere *expediat.* — 3. Male vero et injuste agit, qui poenitentem sub incommodo denegatae absolutionis cogere vult, ut, relicta sua probabili opinione, quae confessario non placet, hujus sententiam sequatur. Poenitens enim, si sequi vult probabilem opinionem et alioqui dispositus est, post confessionem peractam *jus habet absolutionis.* — 4. Etiamsi poenitens proprias opiniones non habet, utpote in iis rebus ignarus, confessarius *perperam* agit, si procedit contra poenitentem ejusque libertatem, quamdiu opinio vere probabilis in ejus favorem adest sensu modo in no. 1. explicato. *Injustitiae* reus autem non videtur esse, si in tribunali poenitentiae egerit secundum eas opiniones, quas in foro externo sine injustitia sequi licet judici. — 5. Eam quidem opinionem, cujus confessarius *perspicit*

falsitatem, *consulere* non potest. Attamen cavere debet, ne facilius putet, se falsitatem alicujus sententiae perspicere, quae a scriptoribus magnae auctoritatis tenetur. In specie 1) propter talium scriptorum auctoritatem generatim jure dubitare potest suoque judicio diffidere, ita ut, quod sibi falsum esse *videatur,* nihilominus pro certe falso non habeat. Imo 2) etsi sententiam quandam pro certe falsa habet, *absolvere* potest et debet poenitentem, qui aut per se instructus aut ab altero (confessario) edoctus, contrariam opinionem, quae externe satis probabilis est, tenet atque pro se vult sequi. Atque ulterius etiam 3) confessarius, qui aliquam sententiam pro certe falsa habet, potest, imo aliquando ex caritate debet poenitenti *indicare,* esse, qui teneant opinionem contrariam; quare sua causa licere, si placeat, aliorum opinioni sese conformare: id quod tamen fieri non potest, si ex confessarii praesentis judicio determinati cujusdam peccati formalis periculum proximum seu occasio inducatur, aut si opinio olim externe probabilis probabilitatem amiserit.

Caput III.

De elementis legis singillatim consideratis.

Post legis essentiam atque vim ligandae conscientiae consideratam singula ejus elementa accuratius perpendenda sunt: auctor, objectum, subjectum, effectus.

Articulus I.

De auctore legis ejusque legislatione.

71 1. Praeter Deum, ad quem omnis legum ferendarum potestas reducitur[1], vere legislativa potestas humana exsistit (Prov. 8, 15; Rom. 13, 1 sqq.) eaque duplicis ordinis, civilis una, altera ecclesiastica. Civilis potestas legifera, in quo resideat, disci debet ex singulorum regnorum „constitutionibus“, quas vocant: nunc generatim plures factores suo modo concurrere debent.

[1] Ad Deum ut *immediatum* legislatorem referri debet tum lex *naturalis,* tum lex *positive divina.* Lex naturalis ea est, quam Deus ipsa rationalis naturae humanae creatione hominibus imponere debuit, quae igitur versatur circa res intrinsecus malas et res bonas ex sese necessarias; obligationem suam habet ex voluntate Dei necessaria, fundamentum in ipsa Dei rerumque essentia, manifestationem seu promulgationem in ipsa natura rationali creata. — Lex positive divina ea est, quam Deus libera sua voluntate addidit. Re ipsa consistit partim in declaratione et solemniore promulgatione ipsius naturalis legis, partim in iis quae necessaria sunt vel conveniunt *ordini supernaturali,* ad quem Deus liberrima bonitate hominem evexit, qui praecipue in Ecclesia Christi ejusque donis et mediis resplendet. — Ad legem *naturalem* omnes aliae leges, tum humanae tum divinae reduci debent: nisi enim per legem naturalem nos obligatos sentiremus, ut legitimis Superioribus obediamus, et ut Deo, si quid nobis loqui vel praecipere velit, obsecundemus, nulla lege possemus ligari.

2. In Ecclesia suprema potestate legifera pro toto orbe potitur *Romanus Pontifex*, et, ipso praeside, *Concilium oecumenicum.* — Adjutores autem R. Pontifex sibi elegit diversos coetus Cardinalium, iisque partem suae jurisdictionis communicavit. Praecipuae ejusmodi *S. Congregationes* sunt: 1) S. Officium seu S. Congregatio Romanae et Universalis Inquisitionis (S. O. sive S. C. R. U. I.), cum Congregatione Indicis; 2) S. Congregatio Concilii Trid. interpretum (S. C. C.); 3) S. Rituum Congregatio (S. R. C.); 4) S. Congregatio Indulgentiarum sacrarumque Reliquiarum (S. C. I. et R.); 5) S. Congregatio de Propaganda Fide (S. C. P. F.). Postrema haec pro regionibus Missionum, ubi canonica dioecesium et parochiarum institutio et circumscriptio nondum est, loco omnium fere aliarum Congregationum munere fungitur, atque amplissimam habet facultatem. De cetero Congregationes illae diversae, excepta S. R. C., inconsulto Pontifice non condunt leges, singularia tamen praecepta ferunt atque sententias. Plura vide in *Theol. mor.* n. 202 sqq.

3. Pro singulis provinciis ecclesiasticis *Concilium provinciale* leges condere potest, facta *recognitione* S. Congr. C. Quodsi S. Pontifex eas *speciali modo* pro illa provincia approbaverit, atque *suas* fecerit, ipsum provinciale Concilium eas mutare vel abolere non amplius potest.

4. In suis dioecesibus *Episcopi* legifera potestate donati sunt, quam in synodo dioecesana potissimum exercere solent; alias, nisi de contrario constet, ea, quae Episcopus mandaverit, rationem praecepti potius quam legis habent, atque cum auctore exstinguuntur.

5. In ordinibus religiosis saltem is vel illi, apud quem suprema potestas est, leges ferre possunt: quo sensu et limite cum aliis Superioribus haec legum ferendarum facultas communicetur, in singulis ordinibus videri debet: monialium autem Superiorissae, utut praecepta vi voti obedientiae imponere possunt, per se impotentes sunt ferendarum legum.

6. Ut autem leges veram ligandi vim habeant, et a) *Superior* 72
debet esse legitimus vel legitimitatis supplementum habere, et b) *lex debet esse rite promulgata.* Cujus quidem promulgationis modus aptus esse debet ad diffundendam notitiam; ceteroquin a legislatore pendet. Pro legibus S. Pontificis generatim sufficit promulgatio Romae facta saltem cum certi temporis lapsu, nisi forte S. Pontifex promulgationem in singulis locis pro conditione praescripserit. Verum si Episcopus judicaverit, suae regioni legem non convenire, recursum ad Sedem Apost. facere licebit atque *interim* legem pro suspensa habere. Cf. *Theol. mor.* n. 120—127.

Articulus II.

De legis objecto.

1. Objectum legis omnia esse possunt, quae ad bonum commune 73
conferunt; proinde non solum actus *ex se* boni, sed etiam actus ex se indifferentes.

2. Actus *heroici* seu nimis difficiles *ordinarie* et *per se* per legem *humanam* praecipi non possunt, ne humana infirmitas plus aequo onere-

tur. Possunt tamen 1) in extraordinariis adjunctis, e. g. militi custodia stationis cum proximo vitae periculo; 2) accedente voluntaria subjectione, ut certis religiosis servitium erga aegrotos pestilentia affectos; 3) per legem vel praeceptum divinum, siquidem Deus absolutus omnium dominus hominem omnes vires intendere potest jubere, et auxilio suo humanae infirmitati vires addere.

74 3. Actus *mere interni* a legifera potestate civili plane excluduntur; ab Ecclesiae potestate certo non excluduntur, quando haec utitur potestate *Dei vicaria;* num idem absolute dicendum sit, quando potestate utitur *propria*, magis controversum est.

4. Actus *mixti*, et actus *externi occulti* ab humanae legis potestate nullatenus excluduntur. Occulti enim actus saepe ad bonum commune sive juvandum sive perturbandum conferre possunt multum, mixtos autem actus praecipere, nihil est nisi exigere actum cum suo necessario complemento, quod adesse debeat, ut rite et humano modo fiat. E. g., praeceptum jurisjurandi includit praeceptum interne Deum agnoscendi et honorandi. Cf. *Theol. mor.* n. 128—132.

Articulus III.

De legis subjecto.

§ 1.

De legis subjecto generalia principia.

75 1. Legis subjectum esse seu legi subjacere, non est idem ac legem subjective laedere posse. Subjacent omnes illi, pro et in quibus deviatio a lege objective malum est — quod fieri potest sine actuali rationis usu; subjective laedere legem non possunt, nisi qui actu utuntur ratione.

2. *Legi naturali,* quippe quae pro natura humana lata sit, *omnes subjecti sunt, qui participant naturam humanam, etiam infantes atque perpetuo amentes.* Hinc est, ut eos non liceat provocare ad res intrinsecus malas, v. g. turpia, blasphema, atque ille qui eos provocaverit, ipse peccet, idque per se etiam graviter.

76 3. *Legi positivae ii soli subjacent, qui* 1) *sub jurisdictione respectivi legislatoris existunt et* 2) *habitualiter sunt rationis compotes.* — Hinc 1) Haeretici baptizati *per se* Ecclesiae legibus subjacent, neque licet eos *inducere* ad ea, quae istis legibus sunt contraria, nisi forte in certis legibus Ecclesia ostendit, se nolle illos amplius ligare: ceteroquin quum ipsi fere materialiter tantum peccent, ratio minus gravis regulariter sufficiet, ut cooperari cum tali transgressione liceat.

2) Similiter subjacent legibus ebrii, somno dediti: quapropter ebriis non licet diebus vetitis carnes dare.

3) Non subjacent legibus humanis infantes, perpetuo amentes: illi igitur non tenentur Sacro interesse, neque abstinentiam servare; quamquam sane convenit infantes illis praeceptis assuescere.

4) Legibus Ecclesiae non subjacent infideles, Judaei, paucis non-baptizati: tenentur tamen Ecclesiae sese adjungere atque ita in statu subjectionis sub legibus ecclesiasticis se constituere. Interim autem non peccant praecise esu carnium in diebus abstinentiae, labore in diebus festivis, neque per se illi peccant, qui istis haec imponunt, nisi forte ratione scandali et quietis festivae publice perturbatae.

5) Pueri ante septennium non censentur legibus *Ecclesiae* adstricti esse, etsi forte usum rationis jam habeant, quia Ecclesia respicit communiter contingentia: aliud est de lege *divina* confessionis. Post septennium autem adstricti sunt, nisi positive probetur, ipsos usum rationis sufficientem nondum habere. Cf. *Theol. mor.* n. 133—138.

§ 2.

Singularia quaedam de legis subjecto.

I. De clericis haec breviter nota: 1. S. Pontifex, etsi saecularem 77
principatum non haberet, nihilominus saeculari potestati subjectus jure nullatenus esset, sed summum pro arbitrio suo se suasque causas alicui subjicere posset.

2. Reliquos clericos a jurisdictione saeculari S. Pontifex eximere potest; ceteroqui civilibus legibus iis, quae statum clericalem dedecentia non statuunt, tenentur sive formaliter ut reliqui subditi, sive materialiter ob voluntatem S. Pontificis *sui* Superioris.

II. De vagis et peregrinis[1] haec nota: 1. *Tenentur legibus communibus Ecclesiae sicut incolae loci, in quo versantur,* ita quidem, ut a) uti non possint dispensatione sui territorii, b) *uti vero possint dispensatione generali illius regionis, in qua versantur.* — 2. *Non tenentur legibus particularibus:* a) non suae regionis, ex qua exierint; b) non illius loci, in quo transeundo subsistunt, nisi forte ratione scandali vel periculi laedendae justitiae. — 3. Tenentur autem iis legibus, si quae speciatim forte latae sunt pro peregrinis vel vagis. *Theol. mor.* n. 141—143.

III. De ipso legislatore. *Superior certe non tenetur sua lege* 78
coactive, sed ad summum directive, i. e., poenae non subjacet, sed obligationi tantum conscientiae, idque ita, ut, secluso gravi scandalo aut aliorum damno, venialiter tantum peccet, si sine causa id aliquando non praestat, quod aliis praescripsit; si vero rationabilem causam habet, quae subditum non excusaret quidem, sed licite ad quaerendam dispensationem impelleret, nullatenus peccat. — Videtur ceteroquin autem peccasse *contra eandem virtutis speciem,* contra quam subditi legem violando peccant. *Theol. mor.* n. 144 et 145 et S. Thom. I. II. q. 96 a. 5.

---

[1] In hoc distinguuntur peregrini a vagis, quod *peregrinus* retineat domicilium, sed extra suum domicilium seu patriam exsistat; *vagus* domicilium nullum habeat, v. g., si domicilium suum reliquit, novum nondum fixit.

Articulus IV.

De effectu legis seu obligatione.

§ 1.

De legis obligatione in se ejusque interpretatione.

79 1. Quamquam omnis lex aliquam obligationem conscientiae inducere debet, nihilominus distinguitur lex moralis et lex mere poenalis, de quibus supra n. 50 et apud S. Thom. II. II. q. 186 a. 9. Quae autem sint leges *mere poenales*, praecipue inter civiles, maxime ex consuetudine et usu hominum etiam timoratorum disci debet; aliquando ex ipsius poenae magnitudine, quae proportionem non servet quoad legis laesionem: nam alioqui poenae magnitudo gravitatem delicti indicat.

2. Lex immediate moralis, etiam ea, quae a civili auctoritate fertur, obligationem ad culpam inducit aut gravem aut levem, prout et res ipsa et Superioris voluntas id constituit: ita tamen, ut res undequaque levis sub gravi praecipi non possit, res gravis sub levi possit quidem, generatim autem non ita imperfecte praecipiatur.

3. Gravitas legis vel praecepti dijudicanda igitur est tum ex ipsa *re*, i. e. ex *objecto* cum *circumstantiis* et *fine;* tum ex ipsis *verbis*, quibus lex seu Superior utatur. — Res nimirum illa gravis habetur, si finis intentus magni momenti est, atque res ipsa ad illum finem notabiliter conferat. (Ex quo fieri potest, ut objectum in se minimum ex fine et circumstantiis evadat res gravis, v. g. affundere vino in SS. Missae sacrificio modicissimam aquam.)

80 4. Ut *vis verborum* intelligatur, quibus lex concipitur, exhibeo ea, quae Reuter l. c. n. 152 collegit:

1) „Praecipio, mando, impero, jubeo, prohibeo, interdico" — ex se *strictam* et in re gravi *gravem* obligationem denotant.

2) „Ordinamus, sancimus, statuimus" — *non strictam* obligationem imponunt.

3) „Debet, oportet, fac, abstine, caveant, ne audeant, tenetur" — quum non semper certam et veram obligationem exprimant, ex contextu aut ex consuetudine legem interpretante explicari debent.

5. Haec de verborum vi atque valore; pro reliquo sensu legum capiendo utiles sunt hae regulae (cf. Laym. *de lege* cap. 18):

1. reg.: Lex poenalis et odiosa *strictae* interpretationis est, lex favorabilis *latae:* de qua tamen cf. infra de privilegiis.

2. reg.: Assumendus est sensus verborum proprius et usitatus, nisi sequatur aliquid absurdum aut injustum.

3. reg.: Attamen sensus *usualis* potius proprius sensus dicitur, quam sensus philologicus vel grammaticalis; — imo sensus, qui secundum stylum et usum curiae est, potius attendendus, quam ille, qui alias forte in usu est.

4. reg.: In dubio mens legislatoris attendenda est, idque potius quam nuda verba.

Quare lex extendenda est ad *correlata* (e. g. sponsus et sponsa), ad *aequiparata* (v. g. electio et praesentatio ad beneficium ecclesiasticum), ad *connexa et contenta* (ut facultas legandi in facultate testandi continetur); quoties alias legislator aut injustitiae aut imprudentiae argui deberet.

Regulae hae potissimum valent pro interpretatione privata et doctri- 81
nali. Alia enim est *authentica* interpretatio, quae ab ipso legislatore fit aut ab eo, cui potestatem ad hoc contulit. Talis interpretatio, si communes regulas sequitur, et ea, quae satis clare, etsi non sine aliquorum addubitatione, in lege jam continebantur, vere contenta esse, denuo edicit, *mere comprehensiva* dicitur, si vero ultra ea aliquid in lege contineri declarat, *extensiva* vocatur. Vis hujus discriminis ea est, ut promulgatio extensivae interpretationis necessaria sit, comprehensivae non ita. *Theol. mor.* n. 204.

Aliquando secundum mentem legislatoris *epieikeiae* locus est, quae non tam est explicatio mentis legislatoris quoad sensum legis, sed quoad exceptionem singularis alicujus casûs a lege, quamquam verba legis eum certo includunt.

Est igitur legis applicatio *secundum aequum et bonum*, secundum quod praesumitur, legislatorem nolle legem suam in circumstantiis extraordinariis, quas non praevidit, urgere, eumque exceptionem facturum fuisse, si talis casus ipsius menti obversatus esset.

Attamen si Superior adiri potest, epieikeiae locus non est, nisi lex propter circumstantias evadat *nociva et injusta*.

6. Alius effectus potest esse *irritatio actûs* alioqui validi. Nam 82
publica potestas, sive ecclesiastica sive civilis, ea facultate utitur, ut, si id necessarium fuerit, hoc modo in rebus sibi subjectis libertatem restringat. Nihilominus probe videndum est, utrum lex *ipso facto* actum aliquem irritum reddat, an, *per judicem* ut irritus reddatur, statuat: quod non ex solis legum verbis, sed etiam ex usu et consuetudine sumitur; item, utrum solum *civiliter*, an etiam *naturaliter* irritus reddatur; utrum solum *effectu legali* careat, an simul *prohibitus* exsistat.

§ 2.

De legis obligatione implenda.

Quae de impletione dicenda sunt, quodammodo complent ea, quae 83
circa sensum et interpretationem legis notanda fuerunt. Nam de impletione legis quaerere, nihil aliud est, quam videre, ad quosnam actus in concreto legis obligatio porrigatur, ut ei integre satisfiat.

1. Lex prohibens seu negativa impletur omittendo seu non faciendo rem prohibitam; lex vero praeceptiva seu affirmativa, si *realis* est, impletur, quomodocunque res praestita est; si *personalem* actionem praescribit, postulat, ut actio illa *humana* sit, seu humano modo ponatur.

2. *Necessarium porro non est ad implendam legem, ut finis legis intendatur:* unde neque requiritur, ut ex motivo specialis virtutis, ad quam res praecepta pertinet, neque ut ex motivo obedientiae seu ex intentione implendi legem agatur. Hinc contra *Ecclesiae* legem qua talem

non peccat, qui diebus statutis a carnis esu abstinet, etsi per cibos esuriales gulae magis indulget. — Praecepto satisfecit, qui, ignorans esse diem festum, Sacro interfuit; vel qui interfuit ex mera devotione, statuens, se velle secundo Sacro interesse pro lege implenda. S. Alph. n. 163 „ex communi sent."; S. Thom. I. II. q. 100 art. 10.

3. Qui vero, nolens rem ut lege praescriptam, *coactus seu invitus* ipsum objectum tamen praestat, peccat prava sua voluntate: nihilominus si humano modo actionem praescriptam fecit, v. g. Sacro interfuit, opus repetere non tenetur. S. Alph. n. 165.

4. *Multo minus per se requiritur, ut lex in statu gratiae impleatur,* nisi tamen ipsa res praecepta talis est, quae, ut rite fiat, statum gratiae postulat: ib. n. 162; hinc praecepto annuae Communionis *non* satisfit sacrilego actu.

5. Nihil impedit, quominus duplex praeceptum *eodem tempore* impleatur, modo utrumque objectum simul praestari vere possit, e. g. Missae assistere, et divinum officium recitare. S. Alph. n. 166.

84 6. Num vero *una eademque actione* diversis praeceptis satisfiat, ex ipsa lege dijudicandum est. Sc. 1) satisfit, si plura praecepta de una eademque re in individuo agunt; 2) si autem actum specifice tantum eundem imponunt, etiam una actione satisfit, quando propter eundem finem seu idem motivum praecipiunt, adeoque si diversa praecepta et materialiter et formaliter idem imponunt. Non vero satisfit uno actu, si diversi sunt fines interni diversorum praeceptorum, nisi forte contrarium a Superiore indicatur, v. g. jejunium ex lege Ecclesiae, ex voto, ex poenitentia sacramentali. — Qui vero pro sacramentali poenitentia imposuerit Sacrum per integrum mensem, *praesumitur* diebus Dominicis non obligasse ad duo Sacra.

7. Utrum *transacto tempore* in lege praefixo, *obligatio exspiret necne,* tum ex verbis legis, tum ex ejus fine et ex circumstantiis desumendum est.

Caput IV.

De legis ejusque obligationis cessatione.

Articulus I.

De excusatione a lege.

85 Quae hucusque dicta sunt, legis obligationem ejusque extensionem in se sumptam explicant. Quo melius autem obligationum ambitus et limes cognoscatur etiam ad rationes temporis et diversae subditorum conditionis attendi debet. Nam propter illas obligatio non raro desinit.

Videlicet 1. *Obligatio legis affirmativae, maxime humanae, generatim non urget cum incommodo vel damno gravi.* Nihilominus haec damni gravitas pro diversis legibus diversa esse debet, ut excuset. Aliquando etiam cum gravissimo damno urget, nimirum a) si agitur de damno *communi,* vel etiam de extremo spirituali damno hominis privati avertendo; b) si legis laesio in damnum vel *odium religionis* vergit, vel in

contemptum auctoritatis; c) si cum certae legis observantia *communiter* magnum incommodum seu damnum conjunctum est. Si enim ita est, legislator sciens et volens legem *cum suo gravi incommodo* imposuit; alioquin incommodum grave ex singularibus adjunctis oriundum non censetur cognovisse vel non voluisse: S. Alph. ex Busenb. l. 1 n. 175. Cf. supra *de lege* n. 50 et 73.

2. *Qui manet legis subditus, non potest, nisi causam excusantem habet,* 86
sibi tale impedimentum creare, propter quod vel nullo modo, vel ob grave damnum non valeat legem implere. Quamquam enim illo impedimento circumdatus non peccat legem non implendo, peccavit tamen, quum libere illud impedimentum posuit. Quod tamen magis declaratur sequentibus regulis (cf. S. Alph. n. 152):

1ª regula: Non licet ex mera intentione non implendae legis impedimentum ponere.

2ª regula: Nec licet cum sola praevisione impedimentum ponere *sine justa causa,* quando legis obligatio jam urget, vel moraliter jam instat tempus obligationis, v. g. relate ad audiendum Sacrum, si dies Dominica jam inceperit vel jam impendet.

3ª regula: Licet cum mera praevisione impedimentum ponere a) sine speciali causa, quando tempus obligationis nondum prope est; b) cum causa pro gravitate praecepti graviore vel minus gravi etiam tum, quando tempus obligationis jam instat vel adest. Nota tamen: pro Communione Paschali sane tempus prope esse dicitur, si tempus Paschale incepturum est post aliquot dies; pro praecepto audiendae Missae die Dominica quis dixerit, illud prope esse feria Vª vel VIª?

3. *Nemo impeditur, quominus particulari alicui Superiori se subtrahat exeundo ex ejus territorio; idque ex intentione sese a lege liberandi facere, ex se peccatum nondum est.* — Fere idem licet, quando aliquis transire vult in locum, ubi a communi lege largior exsistit relaxatio. Excipitur tamen lex de absolutione a casibus reservatis, et lex matrimonialis de clandestinitatis impedimento: de quibus suis locis. *Theol. mor.* n. 155 sqq.

Articulus II.

De Dispensatione.

Dispensatio est: pro aliquo vel aliquibus vinculi illius solutio, quo secus per legem ligarentur, manente lege ceteris pro norma. Legislator enim aliquibus, sicut obligationem potest praeter communem imponere, ita etiam communem obligationem potest remittere: idque sive per se, sive per suos delegatos.

§ 1.

Facultas et causa dispensandi.

1. Potestas dispensandi *propria* ea est, quam Superior exercet in 87
suis legibus; *delegata,* quae aliis a Superiore est communicata. Hinc: 1) S. Pontifex in quibuslibet legibus *ecclesiasticis propria* potestate dispensat; in legibus *divinis* si quando dispensare potest, *delegata* potestate tantum. 2) Episcopus in legibus ecclesiasticis communibus, imo etiam

provincialibus, id, quod dispensatione potest, potest solummodo potestate delegata. 3) Quoad inferiores praelatos vel Ecclesiae ministros id magis etiam valet.

2. *Ex delegata potestate dispensatio valide nequit dari sine justa causa; ex propria valide quidem, sed non omnino licite:* videlicet secluso scandalo aliisve damnis, tantum veniale peccatum est.

Ceteroquin ne Superior quidem ipse consuevit sine causa dispensare. Delegatus vero non ita censetur restrictus, ut certitudinem plenam habere debeat, sed *in dubio de sufficientia* causae et subditus petere potest rem sincere explicans, et Superior etiam delegatus concedere potest dispensationem; certo autem sine justa causa dispensationem attentare, ex genere suo mortale peccatum illi est.

Si *probabiliter* tanta causa subest, quae sine dispensatione sufficiat ad excusationem a lege, severe ne requiritur quidem dispensatio; ad majorem animi pacem praestat ad Superiorem recurrere.

88 3. In legibus ecclesiasticis dispensatio S^i^ Pontificis distinguitur praecipue una *ex motu proprio*, altera *ad instantiam partis.* Prior, quasi ex defectu justae causae aliisve rationibus sit invalida, impugnari nequit; altera irrita evadit, si falsitas vel error commissus est in alleganda a) re seu *objecto* dispensationis, b) *causa*, quae vocatur *motiva*, c) in iis quae ex stylo curiae pro essentialibus habentur.

Causa motiva est, quae constituit objectivam et internam rationem dispensandi; impulsiva, quae impellit ad facilius, libentius concedendam dispensationem, exsistente causa motiva. — Cf. de his omnibus *Theol. mor.* n. 161—169.

4. Episcopi, etsi non respicimus ad personalia privilegia, quae in remotioribus praesertim regionibus vi *quinquennalium* vel *triennalium* accipere consueverunt, vi muneris dispensare possunt cum singularibus suis subditis: 1) in legibus communibus ecclesiasticis, quae omnes fideles adstringunt et frequenter occurrunt; 2) in votis et juramentis, exceptis iis, quae S. Pontifex sibi reservavit; 3) in legibus ecclesiasticis, in quibus cautum est per clausulam „donec dispensetur"; 4) in rebus etiam gravioribus, si necessitas urget nec recursus ad S. Pontificem potest haberi. — Etiam peregrini saltem pro tempore, quo in aliena dioecesi commorantur, ordinarias dispensationes ab Episcopo loci recipere possunt; similiter religiosi etiam exempti cum Superioris sui venia. Cf. S. Alph. n. 190 et 191.

5. De cetero Praelati regularium in rebus *ordinariis* cum suis subditis sive religiosis sive familiaribus dispensare possunt, sicut Episcopus cum suis. — Parochi autem ex se dispensare tantum possunt vi consuetudinis in lege jejunii cum suis parochianis, vel, si mos ita fert, ad laborandum in die festi.

§ 2.

Dispensationis interpretatio et cessatio.

89 1. *Facultas dispensandi* (v. infra *de privilegiis*) *generatim large est interpretanda, modo tamquam favor dispensantis seu delegati concessa sit.* Quapropter ille, qui habet generalem facultatem dispensandi, quamquam

delegatam, *si eam habet ut Superior erga suos subditos,* etiam sibi ipse dispensationem ex causa justa concedere potest. Cf. Lacroix l. 1 n. 799; Reuter n. 247. Ut vero qui ex delegata potestate dispensat, dispensandi facultatem alteri subdelegare possit, requiritur aut 1) *expresse data* facultas subdelegandi, aut 2) delegatio ad totum officium ordinarium alterius supplendum, atque hoc sensu *delegatio ad universalitatem causarum,* ut officium vice-parochi, Vicarii vel Delegati Apostolici etc.

2. Dispensatio praesumpta locum habere nequit. *Ipsa dispensatio per se strictae interpretationis est, atque* ita etiam *ea potestas dispensandi, quae est potius commissio et mandatum* dispensandi in certa et singulari causa, quam facultas dispensandi habitualis. Ratio est, quia dispensatio, utpote contra legem communem, tamquam odiosum quid consideratur, et *vulnus legis* dicitur.

Attamen excipitur ab hac stricta interpretatione, et *large sumitur:* 1) dispensatio, quae a legislatore datur *„motu proprio"; 2)* dispensatio quae ad bonum commune seu publicum conceditur; 3) dispensatio, quae utcunque *communitati* datur, non singulari personae; 4) dispensatio quaelibet, si qua est, inserta in corpus juris.

3. *Cessat dispensatio* 1) *revocatione* Superioris: quam, qui de- 90
legata potestate dispensavit, valide facere nequit nisi ex justa causa vel secundum limites ab altiore Superiore appositos; 2) *renuntiatione* ejus, quocum dispensatum est, acceptata a Superiore; 3) *cessatione finis totali,* si qua dispensatio non unico actu totum effectum jam produxit, sed, ut ajunt, tractum successivum habet, i. e., dependenter a fine seu causa exsistente effectum suum producere pergit: v. g. dispensatio a lege jejunii vel abstinentiae, propter infirmam valetudinem facta, post infirmitatem plene sublatam cessat. — Vide plenius *Theol. mor.* n. 170 sqq.; S. Alph. n. 196—198.

Articulus III.

De legis abrogatione et derogatione.

Abrogatio est revocatio legis ex toto, derogatio ex parte: quae per Superiorem tandem perfici debet. Potest tamen aut plane oriri a Superiore, aut a subditis materialiter oriri et a Superiore compleri.

De utroque modo pauca notanda sunt.

§ 1.

De abrogatione, quae ab ipso Superiore oritur.

1. *Solus Superior, qui legem condere potest, potest eam abrogare.* 91
Quare legislator suas leges, leges antecessorum et subditorum abrogare valet: nemo autem potest leges sui Superioris abrogare.

2. *Abrogatio potest fieri explicite, aut implicite seu tacite.* De posteriore, quatenus per leges supervenientes fit, haec observa:

1) Lex particularis, in jure communi non contenta, lege generali contraria non abrogatur, nisi derogationis particularium legum ex-

pressa mentio fit. Ratio est, quia legislator illas particulares leges non censetur omnes cognovisse, neque earum convenientiam et necessitatem: quare nisi expresse eas aboleat, eas in suo vigore relinquere censendus est.

2) Neque *ullae* leges particulares, quae speciali quodam pacto aliove robore firmatae sunt, generali aliqua legum, vel legum particularium, abrogatione comprehenduntur, nisi illarum *expressa* mentio fit, v. g. per clausulam „non obstantibus legibus et juribus ullis *etiam speciali mentione dignis*".

3) Leges priores in tantum abrogantur lege posteriore, in quantum lex posterior iis contradicit. In quantum ergo sensus utriusque legis sine violenta interpretatione servari potest, in tantum utraque lex subsistere dicatur oportet.

3. Quamquam inferior leges Superioris abrogare nequit, conceditur tamen aliquando, ut earum obligationem pro tempore suspendere possit, ut jam supra dictum est n. 72.

§ 2.

De abrogatione, quae a populo incipit, seu de desuetudine.

(Cf. praeter S. Alph. et Salmant. suis locis Suarez *de leg.* l. 7, Mazzotta l. c. integram disp. 3, Bouix *de principiis jur. can.* p. 2 sect. 6.)

92 1. Praeter abrogationem a Superiore solo perfectam locus est alteri abrogationi, quae consuetudine populi nititur: S. Thom. I. II. q. 97 a. 3. *Consuetudo enim et legem condere et legem abrogare potest,* idque non vi solius consuetudinis, sed accedente Superioris consensu, saltem *generali* illo, quo Superior diuturnos populi seu communitatis mores, etsi sibi non cognitos, approbet, si modo certis conditionibus muniti sunt. Qui consensus *legalis* dicitur.

2. *Ut igitur consuetudo legi contraria seu desuetudo legem abroget, sive ei deroget, sequentes requiruntur conditiones*[1]*:*

---

[1] Similiter, ut consuetudine lex inducatur, haec requiruntur:

1. ut sit *honesta et utilis,* quia ad rem non honestam vel ad inutilem obligatio exsistere nequit;

2. ut introducta sit *a communitate,* non a paucis tantum;

3. ut *libere* introducta sit cum animo se obligandi; ergo neque ex errore, quia subditi putabant se jam aliunde ligatos esse; neque ex mera devotione, nolentes obligationem veram contrahere. (Imo in dubio standum est pro libertate, sc. voluisse subditos ex sola devotione quaedam observare.)

At si agatur v. g. de inducendo scienter aliquo festo, atque populus communiter de iis paucis, qui forte diem illum non observent, male sentiat, atque etiam Superiores id graviter ferant: negari nequit, haec esse indicia tam gravia, ut intentionem producendae obligationis probent.

4. Ut sit *diuturno tempore observata.* Communiter assumitur decennium pro tempore, quod requiratur et sufficiat.

1) ut sit consuetudo *rationabilis*, 2) ut sit a *communitate*, i. e. a majore vel potiore parte introducta, 3) ut procedat *ex opinione juris* aut exsistentis aut acquirendi, 4) ut sit *satis diuturna.*

3. Singulae conditiones explicandae sunt. 93

1) Ut consuetudo sit *rationabilis*, non sic intelligitur, quasi ex omni parte rationabilis esse debeat, expers ab omni peccato; id enim non requiritur, sed sufficit, ut sit rationabilis *in se*, seu in se communitati conveniens. At ea non habetur pro rationabili, quae induceret exemptionem exorbitantem.

Difficilius haec conditio verificatur, si lex omnem contrariam consuetudinem pro futuro tempore prohibet, eamque irrationabilem declarat. Attamen ex iis, quae docent Suarez, Salmant., S. Alph. haec statuenda videntur:

a) Si lex tantum *prohibet* consuetudinem futuram contrariam, nondum fit, ut, si re ipsa tamen consuetudo illa oriatur, ea legem abrogare nequeat.

b) Si declaratur insuper consuetudo contraria *irrationabilis* eo sensu, ut sit *contra legem naturalem* vel *divinam*, ejusmodi consuetudo nunquam fieri potest rationabilis, neque legem abrogare unquam valet.

c) Si declaratur irrationabilis propter temporum conditiones: relinquitur, ut, mutatis temporibus, evadere possit rationabilis. Quare, etsi difficilius, tamen revera potest ejusmodi consuetudo legitima fieri adeoque legem abrogare eive derogare. (Cf. S. Alph. l. 1 n. 107 et 108.)

2) Secunda conditio (ut sit consuetudo a communitate producta) 94 propterea requiritur, quia aliter non habetur mos populi, quem legislator sartum tectumque servare velit.

3) Conditio tertia a diversis diverso modo intelligitur. Quidam sunt, qui requirunt, ut populus sciens, adeoque generatim cum peccato, legem infregerit: alii, ut ignorans bona fide egerit. Sed id tandem statui debet, *sufficere utrumlibet*, sive mala, sive bona fide lex diu observata non fuit cum animo obligationi non subjacendi. Ita Less., et clarius Tambur. *in decal.* l. 8 tr. 1 c. 4 n. 11 cum Suarez, Castropal., Lugo *de justit. et jur.* disp. 7 n. 96.

4) Quarta conditio est temporis spatium sufficiens. Secundum S. Alph. l. 1 n. 107 probabile est, legem etiam ecclesiasticam decenni desuetudine abrogatam esse, si nihil nisi temporis diuturnitas adsit, ex quo legis abrogationem perfectam esse, judicari possit: si vero ex aliis indiciis de consensu tacito legislatoris constet, tempus etiam brevius sufficere posse.

NB. Consuetudo non tantum legem ut immediate in conscientia obligantem 95 abrogare potest, sed etiam legem irritantem; vel consuetudo potest actus per legem irritos validos reddere, et validos irritos facere. Fieri etiam potest, ut, manente legis obligatione, desuetudine poena legalis auferatur: quia consuetudo sicut contra totam legem, ita contra ejus partem tantum oriri et perfici potest. V. S. Alph. lib. 1 n. 108. Aut e contrario legem mixtam desuetudo in mere poenalem commutare potest, aut legem obligantem in mere directivam non per se sub culpa obligantem convertere. V. Salmant. tr. 11 cap. 6. n 40 et tr. 15 cap. 5 n. 163.

Articulus IV.

De cessatione legis propter finem cessantem.

96 Cum abrogatione legis per consuetudinem effecta cohaeret cessatio propter finem cessantem. In utroque enim casu fit, ut lex non jam utilis exsistat, in priore extrinsecus quodammodo utilis esse desinit, intrinsecus in altero. Si vero intrinsecus inutilis facta est, conditione essentiali deficiente, ipsa lex deficere debet. — De quo, ut rite intelligatur, haec breviter noto:

1. *Cessante fine legis totaliter pro communitate, lex ipsa utpote inutilis cessat.* Reuter n. 201.

2. *Cessante fine legis ex parte tantum, lex ex hac ratione nullatenus cessat, siquidem inutilis non evasit.* Elbel l. c. n. 415.

3. *Cessante fine legis totaliter pro aliquo subdito singulari, ne ille quidem a legis observatione eximitur,* nisi forte lex cesset *„in contrarium“*, i. e. nimis nociva et difficilis evaserit (Reuter l. c. *„ex communi sententia“* et S. Alph. l. 1 n. 199), atque epieikeia potius locum habeat. Cf. *Theol. mor.* n. 181 et 182.

Appendix de privilegio.

(Cf. S. Alph. *de privil.* cap. I.; Theol. Wirceb. *de leg.* cap. 5 art. 3; Mazzotta, *theol. mor.;* Salmantic. tr. 18.)

97 I. Rei explicatio. Privilegium dicitur lex quaedam privata beneficium particulare continens. Effectum cujuslibet legis proprium, obligationem dico conscientiae, privilegium indirecte tantum producit, prohibens, quominus ille, cui privilegium datum est, ab aliis perturbetur.

1. Privilegium distinguitur *praeter legem* et *contra legem:* prout a lege subditum eximit, aut talem exemptionem non continet, sive quia res, sive quia persona privilegiata non cadit sub legem.

2. Privilegium *mere favorabile* et *odiosum.* Sc. odiosum vocatur, quod dum uni favet, alteri onus, incommodum imponit, aut juri communi, statutis vel consuetudinibus particularibus contrarium est: quare privilegium *contra legem* odiosum esse censetur. Si nil horum obtinet, favorabile dicitur.

3. *Reale* et *personale,* prout immediate rei et, hac mediante, hominibus conceditur, aut immediate particulari personae confertur, v. g. propter ejus merita, personalem dignitatem, excellentiam.

Reale autem putatur non solum quod rei materiali inhaeret, vel templo, loco, sed etiam quod muneri seu dignitati, coetui, communitati, religioso ordini datur.

Aliqui distinguunt etiam *locale;* at hoc vere reale est; alii addunt *mixtum,* sed vix indigemus hac distinctione, quum privilegium in hominem semper aliquo modo redundare debeat.

4. Privilegium *gratiosum, remuneratorium, onerosum* (quod etiam dicitur *per modum pacti*): prout datur aut ex mera gratia et liberalitate, aut ex gratitudine ad remuneranda officia praestita, aut per modum alicujus justitiae vel fidelitatis obligationis.

5. Privilegium *ex motu proprio,* et *ad instantiam partis* concessum: quorum sensus per se intelligitur. Id autem discriminis adest, quod privilegium priore modo concessum non fit invalidum ex defectu eorum, quae ex jure in concessione expressa esse debent, insuper praesumptionem subreptionis excludit.

6. Privilegium *primo et per se* concessum, et *ad instar* (alterius) datum; dein ‚ad instar' datum est aut *aeque principaliter,* aut indirecte vel *‚accessorie'*. Nimirum privilegium ‚ad instar' explicandum est secundum privilegium alteri jam concessum; verum si ‚aeque principaliter' datur, non jam subit mutationes, quas fortasse privilegium primitus datum subiturum est, ita ut per se neque crescat cum illo, neque decrescat, vel pereat; si ‚accessorie' vel ‚indirecte tantum' concessum est, ita pendet a privilegio primitus et per se dato, ut cum eo augeatur, diminuatur, pereat.

II. Interpretatio privilegiorum. 1. Privilegium mere favo- 98
rabile est late interpretandum. Verum fac attendas, privilegium contra legem seu jus commune per se censeri odiosum.

2. Privilegium odiosum personale est strictae omnino interpretationis, si modo non datur ‚ex motu proprio'.

3. Privilegium reale, aut corpori juris insertum, aut motu proprio datum latae interpretationis est, in quantum deroget juri communi, sed non in quantum alterius juri praejudicet.

4. Privilegium causae piae, locis piis, ordini religioso concessum semper latae omnino interpretationis est, etsi deroget legi communi etc., vel contra alias personas praejudicium inferat.

Exempla strictae interpretationis habes: si illegitimo conceditur privilegium „ad ordines suscipiendos", intelligitur tantum de ordinibus *minoribus,* nisi expresse addatur, „etiam sacros"; si illegitimo vel irregulari datur privilegium ad accipiendum „ecclesiasticum beneficium", intelligitur beneficium *simplex tantum;* si per privilegium aliquis eximitur ab „oneribus suae civitatis", intelliguntur onera *extraordinaria,* non ordinaria.

Exempla latae interpretationis sunt: si quod conceditur regularibus, intelligitur etiam novitiis, et monialibus datum; si facultas „per vicarium specialiter deputatum exercenda" sic intelligitur, ut non requiratur deputatio in singulis casibus, sed tantum illius facultatum generis specialis expressio etc.

III. Cessatio privilegiorum. Privilegium cessare potest per 99
abusum, per renuntiationem (acceptatam), per praescriptionem contra illud factam, per revocationem.

Sola ultima hîc breviter explicatur: alii modi rarius obtinent atque facilius intelliguntur.

1. Condita contraria lege, cui revocatio non additur, sola privilegia in corpore juris inserta censentur abrogata, siquidem haec sola instar legum sunt, quae novae legi debeant cedere, atque haec sola censetur princeps Ecclesiae singillatim nosse vel attendere. — E contrario autem, si alias quaedam privilegia revocantur, in hac revocatione privilegia in corpore juris contenta non habentur pro revocatis, eo quod instar *legum* sunt; revocantur tamen per clausulam ‚non obstantibus *legibus* contrariis'.

2. Communis clausula revocatoria ‚non obstantibus privilegiis' sufficit ad revocanda illa privilegia, quae non habent *specialem* firmitatem.

3. Specialem vero firmitatem habent: 1) privilegia religiosorum, et suo modo quaelibet remunerativa; 2) ea quae expressam clausulam specialis firmitatis habent; 3) privilegia a Concilio generali concessa; 4) privilegia onerosa.

Quare ut etiam haec revocata sint, in revocatione addi debet, „*quaecunque*" privilegia, vel „etiam speciali mentione digna", vel simile quid, „ex plenitudine potestatis" etc. — Imo onerosa privilegia in revocatione non comprehenduntur nomine *privilegiorum*, sed *conventionis*.

IV. Usus privilegiorum per se quidem non est praeceptus, potest evadere per accidens. Maxime vero privilegium communitatis potest pro singulis esse obligans.

Tractatus III.

De discordia et concordia cum regula actuum humanorum seu de peccati reatu et de bonorum operum merito.

Sectio I.

De peccato.

Lex, ut dictum est, est objectiva morum regula, a qua si homo actionibus suis recedit, peccat atque a fine suo deviat, si non recedit, sed eam servat, bene agit atque mereri potest.

Transgressiones legum confessarius apprime dignoscere debet. Quare etiam, antequam ad singulas leges earumque transgressiones animum convertimus, quae de peccatis *generatim* dicenda sunt, tractemus oportet.

Caput I.

De notione et malitia peccati.

§ 1.

Explicatur peccatum ejusque malitia generatim.

100 Peccatum ex prima sua notione est *transgressio legis:* hinc rationalis creaturae a fine suo deviatio. Praecipue igitur de *actione* dicitur, et *actuale* peccatum denotat: transfertur autem eadem vox ad perdurantem *statum* actuali peccato inductum, seu ad *habitualem aversionem* a fine.

I. Divisio. Ex explicatione data habes: 1) Peccatum *actuale* et *habituale;* dein 2) *originale* et *personale:* cujus prioris notio myste-

rium revelatae religionis supponit, atque declaratur ut peccatum per caput humani generis a genere humano contractum; personalis est, quod aliquis individuali sua actione contrahit;

3) *mortale* et *veniale,* prout mortem animae infert seu a fine ultimo per se excludit, aut non excludit;

4) *formale* et *materiale,* prout lex ab agente voluntarie et vere laesa est, aut sine ejus vera culpa, i. e. sine cognitione malitiae aut sine libertate objectum legis est violatum;

5) *deliberatum* et *subreptitium* (semideliberatum), prout commissum est cum plena advertentia plenoque consensu, aut non ita;

6) peccata *infirmitatis, ignorantiae, malitiae:* prout ex impulsu passionis et tentationis, aut ex culpabili ignorantia, aut ex mera voluntatis determinatione sine ulla ignorantiae vel passionis illusione commissa sunt: verum nulla ex his peccatis censentur exuisse conditionem malitiae *mortalis.* — Dein ex ipso nomine dignoscuntur 7) peccata hominis *contra Deum, se ipsum, proximum;* 8) peccata *spiritualia* et *carnalia;* 9) *cordis, oris, operis;* 10) *commissionis* et *omissionis.*

II. Malitiae generales, quae cuilibet peccato saltem mortali 101
inhaerent, in veniali autem peccato modo ratione tantum diminuta, modo nulla ratione insunt, cognoscuntur:

1. ex oppositione ad ipsam rationalem naturam, cujus dignitatem in se ipse peccator laedit; 2. ex oppositione ad bonum commune generis humani: quae duae rationes, quamquam malum quoddam sunt, tamen non constituunt ex se characterem *mortalis* malitiae; ad quam constituendam necesse est, ut respiciatur 3. oppositio contra Deum, videlicet neglectus divinae voluntatis obligantis, qui evadit ex speciali indole hujus imperii verus quidam ipsius legislatoris contemptus. Porro hic continentur tot malitiae, quot sunt tituli, quibus Deo homo subjicitur.

Est igitur peccatum: 1) *obedientiae laesio* contra supremam Dei jurisdictionem et gubernationem; 2) *religionis laesio* et quasi *contumelia* contra summam Dei majestatem, cui cultus supremus debetur; 3) *injustitia* per abusum creaturarum, in quas Deo absolutissimum et incommunicabile dominium competit; 4) *ingratitudo* contra summam Dei beneficentiam; 5) *amoris Deo debiti laesio* contra Eum ut finem tum ratione nostri tum absolute in se ultimum, atque hujus amoris in *quasi-odium conversio;* 6) *audax temeritas* atque vilipensio contra Dei vindicativam justitiam. — Accedit 7) contra Christum Deum-hominem causatio acerbissimorum tormentorum, quae propter peccata pertulit, adeoque hoc sensu *Christicidium;* 8) *foedifraga* contra Eum *rebellio,* cui specialiter obligati et devincti sumus; 9) *sacrilega* nostri, quum Deo et Christo per Spiritum Sanctum consecrati simus, laesio; 10) spirituale quoddam *suicidium.* — Cf. *Theol. mor.* n. 224 sqq.

§ 2.

De distinctione inter peccatum mortale et veniale.

1. Essentiale ejusmodi discrimen inter peccata, qua excludant a 102
regno Dei seu aeternam mortem inferant, et ea quae id non faciant,

tum S. Scriptura atque doctrina tota catholica, tum ratio ipsa monstrat. Cf. 1 Cor. 6, 10; Jac. 3, 2; Concil. Trid. sess. 14 c. 5.

2. Mortale enim peccatum contemptus est pacis et amicitiae divinae et contemptus Dei inimicitiae, quum peccator sciens, Deum in hac et illa re cum toto auctoritatis suae pondere praeceptum urgere, nihilominus id spernat: hinc Deus ex eo movetur ad vindictam plenam ipsius personae peccantis.

Veniale movet Deum utique ad displicentiam actûs, non vero personae simpliciter, sed secundum quid; neque homo per veniale peccatum Dei amicitiam contemnit.

Quibus praenotatis dicendum est:

103 I. *Ut peccatum aliquod utcunque committatur, requiritur aliqua actualis mentis advertentia atque aliquis voluntatis consensus.*

Hinc, si qui dicunt, sufficere, ut homo potuerit et debuerit attendere, illi ita intelligendi sunt, ut assumant etiam confusam aliquam advertentiam: quae maxime in quibusdam circumstantiis habitualiter cognitis, quando de substantia actionis bene percepta dubitari nequit, plane praesumi debet, eaque talis, ut sufficiat ad ipsam mortalem malitiam contrahendam, v. g. advertentia ad statum sacrum, si quis clericus peccaverit.

104 II. *Ut peccatum mortale committatur, requiritur* 1) *objectum grave,* 2) *advertentia plena ad rei gravitatem,* 3) *plenus voluntatis consensus:* alioqui peccatum per se erit veniale tantum.

1. Videlicet quoad *objecta* peccaminosarum actionum alia sunt *gravia ex genere suo toto,* i. e. quae levitatem materiae non admittant, alia *gravia ex genere suo non-toto,* i. e. quae ex materiae levitate venialia evadant, alia *venialia ex genere suo,* i. e. quae ut evadant mortalia extrinsecus malitiam aliam conjunctam requirant.

Gravia ex genere suo sunt praecipue: a) quae directe Deo divinisque attributis opponuntur, v. g. infidelitas, blasphemia etc.; b) quae in gravem perniciem humani generis vel societatis vergunt, ut luxuria, rebellio; c) quae proximum in diversis bonis notabiliter laedunt.

Venialia ex genere suo ea sunt peccata, quae in appetitu rei in se quidem honestae vel indifferentis consistunt, at in appetitu *immoderato,* ut vana gloria, gula etc.

105 2. Plena advertentia *ad rei gravitatem* difficilius dignoscitur. Debet igitur actio et apprehendi ut *graviter legi opposita* vel *fortasse* sic opposita, et *plene* sic apprehendi. — Haec gravis cum lege oppositio apprehenditur, si cogitatio incidit de gehenna, de inimicitia Dei propterea incurrendis (imo haec in homine christiano et aliquantum pio consueverunt cogitari, si mortalis malitia apprehenditur); nihilominus haec expressa cogitatio in rigore non requiritur, sed sufficit, ut actio menti obversetur ut graviter rectae rationi repugnans. — Qui vero de sola malitia *generica* cogitat, nihil de veniali aut gravi, plerumque, si ceteroquin homo timoratus est, venialiter tantum peccat, nisi agatur de peccatis ita manifeste gravibus, ut gravitas non possit latere.

106 3. *Plena* advertentia et *plenus* consensus melius comparationibus et oppositione ad non-plenam advertentiam illustrantur: atque de consensu, si plena advertentia adfuit, nota, eum, *si* tum detur, esse

plenum; non-plenum tum potius nullum esse positivum assensum, sed infirmum sive vacillantem seu non strenuum dissensum.

Igitur: 1) *Non requiritur* ad perfectam advertentiam iterata reflexio vel temporis diuturnitas, imo sufficit sola directa advertentia (non reflexa) ad objecti malitiam.

2) *Positive* declarari potest plena advertentia tamquam ea, qua homo plene sui compos, i. e. vigil neque distractione abreptus, ad negotium sat magni momenti attendere solet.

3) *Comparative* ad imperfectam advertentiam vel consensum non plenum, signa imperfectae advertentiae haec enumerari possunt: 1) Si quis semidormiens, vel semiebrius fuit; 2) si *quasi* semidormiens rem levi et tenui cogitatione tantum apprehendit; 3) si vehementi passione vel distractione turbatus fuit; 4) si post factum rem melius considerans, statim judicat, se omnino non fuisse facturum, si antea ita rem apprehendisset.

4. Insuper ex parte consensûs non pleni haec signa addi possunt: 1) si quis *plene* advertens ad tentationem eam statim repulit, is antea non dedit plenum consensum; 2) item si quis plenius advertens statim angitur; 3) si quis facile procedere potuerit ad actum externum nec fecit, supponi potest, non fuisse plenum consensum *in desiderium actionis malae*; 4) si quis habitualiter paratus est potius mori, quam Deum graviter offendere, in dubio omnino in ejus favorem judicandum est; imo tale judicium est *moraliter certe* rectum; si enim ille vere plenum consensum dedisset, non dubitaret. E contrario autem qui *laxae* conscientiae est, in dubio potius dici debet consensisse, ut notatum est ‚*de conscientia*'. Cf. Lacroix l. 5 n. 226; Reuter, *Neoconfess.* n. 244 et 265 et *theol. mor.* p. 1 n. 373; Billuart *de pecc.* d. 8 a. 3 § 3.

5. Ad consensum plenum, qui ad mortale peccatum sufficiat, per- 107
tinet etiam deliberatio perfecta de eo dando vel denegando in re gravi. Qui enim id vere *in deliberationem ducit*, eo ipso dicit, *posse* in tali re latere tantum bonum, quod divinae amicitiae praeferat: quod Deo summe injuriosum est. Aliter dicendum, si sola fuit negligentia in cogitationibus et affectibus pugnantibus expellendis vel sedandis.

Caput II.

De distinctione peccatorum quoad species et numerum.

Cf. imprimis Lugo *de poenit.* celebrem disp. 16; Lacroix l. 5 n. 113—182; Scavini t. 1 n. 707 sqq.; Müller t. 1 § 127.

Articulus I.

Generales regulae hujus distinctionis.

Notum est, ad confessionis integritatem ex divino praecepto spectare, ut peccata accusentur secundum speciem et numerum; atque ideo confessarii esse, in hoc onere poenitentem, si opus fuerit, instruere et juvare. Quare ipse ante omnia hanc distinctionem scire debet. At tota

haec distinctio non physica exactitudine sumitur, maxime si numericam distinctionem consideramus, sed morali quadam aestimatione, ita ut saepe multos actus physice distinctos sub *uno* peccato concludi liceat.

§ 1.

Specificae distinctionis generales regulae.

108 Quamquam infima specifica distinctio in singulis praeceptis explicandis suo loco tradenda est, tamen hoc loco norma quaedam communis notari debet, secundum quam postea accurata distinctio fiat.

1. regula, quam Soto primam habet: Peccata specie distincta habentur, si virtutes diversae violantur (diversae enim bonitatis laesio diversam continet malitiam), aut eadem virtus modo moraliter (secundum prudentem aestimationem) notabiliter diverso.

2. regula, quam Vasquez praefert: Peccata specie distincta sunt, si leges, quae violantur, sunt formaliter diversae: siquidem peccatum proxime est oppositio contra legem; quare ubi lex est formaliter diversa, oppositio contra eam formaliter diversa est.

3. regula, quam ex S. Thoma colligere licet: Peccata specie distincta sunt, si objecta, circa quae versantur, sunt diversa formaliter: omnis enim actus suam speciem sumit ex objecto; unde diversa objecti bonitas bonitatem diversam actui tribuit, diversa objecti malitia malitiam diversam.

Omnes illae regulae idem fere dicunt; pro diversa tamen re modo una, modo altera magis obvia est ad specificam distinctionem inveniendam. Imo recte Müller l. c. regulas illas sic junctas exprimi posse arbitratur: *„Specifica peccatorum distinctio desumitur ex objectis, motivis et circumstantiis moraliter diversis, id est, quae praeceptis formaliter diversis seu, quod idem est, quae diversis virtutibus aut diversis ejusdem virtutis actibus repugnant.“*

Ad 2. et 3. regulam id tantum adverte, non omnem legum aut objectorum diversitatem peccatorum distinctionem secum ferre, neque omni eorum identitate peccata esse eadem demonstrari. V. g. si lex divina, lex ecclesiastica, lex civilis furtum prohibet, furtum non diversam, sed eandem malitiam habet et retinet. Contra, si lex ecclesiastica, Superior religiosus, confessarius jejunium praescribunt, non idem peccatum est, prout unum aut alterum praeceptum violatur. Sc. videnda est ratio motiva seu causa, ob quam praeceptum feratur, vel in quanam virtute objectum illud ut necessarium collocetur: quae si diversa est, idem objectum materialiter sumptum idem non est formaliter. Cf. Reuter, *theol. mor.* t. 1. n. 340—347.

§ 2.

Numerica distinctio.

109 Ante omnia adverte, in ordine ad confessionem instituendam tot peccata numerari debere, quot *communis hominum ratio* numero diversa distinguit: sic enim confessionis legem, quae ad omnes dirigitur,

latam esse rationabiliter interpretamur. Porro triplici sensu numerica distinctio attenditur:

1. Si sunt, etsi forte actus unus sit, malitiae specie plures: quod dijudicandum est ex iis, quae de specifica distinctione modo dicta sunt, et postea ubique dicentur.

2. Si actus numero plures sunt.

3. Si in uno eodemque actu (qui numero et forte etiam specie unus est) plura objecta attinguntur.

I. Ex *actuum pluralitate* numerica distinctio pro confessione sumitur secundum sequentes regulas:

Ante omnia distingui debent: 1) peccata mere interna seu quae interne consummantur sive complentur (sc. delectationes morosae et desideria inefficacia); 2) peccata interna quidem, sed quae tendunt ad externam exsecutionem, seu proposita externi peccati; 3) peccata externo actu completa. Quibus praenotatis, sit:

1. regula. *Peccata, quae interne consummantur, toties multiplicantur, quoties homo, post deliberatam cessationem ab actu, illum denuo repetit.*

Unde concludes: 1. Ergo *brevis omnino* interruptio *non voluntaria* non obstat, quominus actus peccaminosus *numero idem* produci censeatur.

Qui vero per totum diem internis illis peccatis inhaeret, tamen aliquoties censetur peccatum numero auxisse, quum impossibile videatur, ultra 2—3 horas idem numero peccatum protrahere. In praxi vero sufficit indicasse spatium dierum vel hebdomadarum, si sic quasi continuo pravae cogitationes fovebantur, quia eo ipso confessarius numerum probabilem seu verisimilem concipit, nec plus exprimi potest.

2. regula. *Peccata interna cum relatione ad opus externum seu* 110
proposita externe peccandi (a quibus tamen ipsa exsecutio non processit sive propter diuturnam moram forte interjectam sive propter retractationem) *toties multiplicantur, quoties, voluntate prava deposita seu mutata, eadem denuo assumitur.*

Deponitur autem illud pravum propositum: a) formali retractatione, b) retractatione implicita, vid. actione aliqua, quae proposito illi perseveranti repugnat (ut v. g. vera et sincera amica hominis receptio repugnat voluntati eum interimendi); c) spatio temporis diuturniore (sic propositum externae actionis numero idem non jam censetur, si *plures* dies elapsi sunt neque ad exsecutionem aliquid paratum fuerit).

Non obstat unitati numericae interruptio non voluntaria etiam diuturnior; neque interruptio per actus naturales somnii aliorumque negotiorum; neque multorum dierum intervallum, si interim exsecutio parata vel coepta est. Tunc enim praecedentia proposita, quorum unum ab altero pendebat, cum sequenti exsecutione in unum peccatum uniuntur; temporis diuturnitas circumstantiam aggravantem constituit. Si vero proposita saepius repetita in tali morali unione non erant, etsi postea exsecutio sequitur, tamen ut peccata distincta accusari debent.

3. regula. *Peccata externe consummata toties numero distinguuntur,* 111
quoties objectum in se completum habent. — Media, quae aut in *se* in-

differentia sunt, aut, si peccaminosa, tamen in eadem specie cum completo peccato atque ejusmodi, quae natura sua intelligantur adhibita, separatim accusentur non oportet: secus, si *in se* peccaminosa sunt neque per se in peccato completo inclusa intelliguntur.

Hinc: 1. Qui intenderat ab initio fornicationem, non tenetur distincte confiteri verba, tactus praecedentia (quia sunt media, quae natura sua intelliguntur adhibita); imo neque approbationem vel tactus immediate subsequentes, quia ad eundem aestum libidinis referuntur atque quodammodo peccati facti continuationem et complementum constituunt.

2. Tenetur confiteri, quae modo dicta sunt: a) si sequuntur post aliquod intervallum a peccato completo; b) si non erat prima intentio fornicationis, sed tactuum tantum (quia, si ita erat, tactus non erant media ad ulteriora, sed peccatum in se completum — quapropter *singula* peccata specie distincta explicanda sunt).

3. Qui intendens necem inimici, quo melius id exsequatur, illi aut alteri insuper damnum in bonis fortunae infert, sese inebriat etc., omnia haec peccata distincte confiteri debet, quia haec sunt media in se peccaminosa neque media, quae cum nece accusata necessario adfuisse intelliguntur.

112 II. Ex *pluralitate objectorum*, quae unico actu attinguntur, numerica distinctio sumitur secundum regulam sequentem:

Si objecta illa plura sub conceptu confuso multitudinis concipi poterant et concipiebantur, numerum distinctum, etsi scitur, declarari opus non est, sed sufficit accusari objectorum multitudinem seu pluralitatem; si vero objecta illa plura distincte concepta sunt atque voluntas vel actio mala in singula ut distincta dirigebatur, distinctus numerus in confessione accusari debet.

Hinc: 1. Qui coram pluribus alicujus honori detraxit, satisfacit legi confessionis, si dicit se coram pluribus detraxisse.

2. Qui communitati detrahit, satisfacit exprimendo *communitatem* laesam esse, etsi distinctum numerum membrorum scit; expedit scire, fueritne parva an magna.

3. Qui plures uno ictu occidit, debet numerum explicare, si singulos, ut erant singulae personae, occidere volebat; secus, si tantum ut in pluralitatem voluntatem et actionem dirigebat (ut v. g. qui totam aliquam exercitûs cohortem interemit). — Similiter dic de desiderio homicidii.

4. Qui plura et diversa mala optat inimico, illa explicare non debet, quia omnia haec sub eodem conceptu mali optat; aliter, si optasset, diversa mala inimico *inferre* vel ab alio inferri.

Articulus II.

De peccatorum internorum specifica distinctione.

113 Paulo superius jam notatum est, peccata interna, quae pro objecto aliquod peccatum habent, ab ipso suo malo objecto desumere specificam malitiam. Haec autem doctrina in se certissima fusius explicari

debet pro diversitate internorum peccatorum. V. praeter alios Reuter, *theol. mor.* t. 1 n. 383 sqq.

1. Peccata interna distinguuntur: delectatio morosa, desiderium, gaudium; ita ut *gaudium* referatur ad peccatum praeteritum seu antea commissum, *desiderium* sit de peccato futuro seu perpetrando, *delectatio morosa* dicatur de objecto malo vel actione peccaminosa menti per cogitationem et imaginationem exhibita ut cogitanti appetibili, et cum complacentia accepta.

Dicitur *morosa* delectatio non propter temporis diuturnitatem, quae non requiritur, sed quod post advertentiam rationis voluntas nihilominus in illa re sibi complacendo immoratur.

Desiderium potest esse *efficax*, i. e., talis voluntatis affectus seu tendentia, quae ad effectum seu operis complementum procedere vult, brevi *propositum;* vel potest esse desiderium *inefficax* seu velleitas, quae ad verum propositum rem exsequendi non procedat. Desiderium inefficax est voluntas, quae secundum tendentiam suam in rem peccaminosam fertur conditionate, ita tamen, ut *affectus ad rem malam* adsit, sed sunt circumstantiae aliaeve rationes, quae ab operis prosecutione retardant. Quare per se *specificam* malitiam *objecti* eandem contrahit, ac desiderium efficax. Expedit tamen in confessione audienda intelligere fueritne annon desiderium efficax verumque propositum peccati externi perpetrandi, ut occasiones fugiendae, remedia adhibenda melius cognoscantur. Cf. Lacroix l. 6 p. 2 n. 1032 et *Theol. mor.* n. 244.

2. *Gaudium induit per se, si sufficiens advertentia ad eam adfuit,* 104a *specificam malitiam totalem illius actionis, de qua versatur*, i. e., non tantum malitiam specificam objecti in se sumpti, sed etiam diversarum circumstantiarum, si ex illis nova specifica malitia actionis oriebatur. Ratio est, quia gaudium approbat actionem concretam, uti posita erat, ac proin *omnem* ejus malitiam.

3. *Desiderium etiam induit malitiam tum objecti in se sumpti tum diversarum circumstantiarum:* nam desiderium amplectitur actionem individuam et concretam; ut talis vero circumstantiis concretis et determinatis constituitur. In desiderio *inefficaci* autem facilius fit, ut mens et voluntas a quibusdam circumstantiis abstrahat.

4. *Delectatio morosa* (de re intrinsecus et absolute mala) *peccaminosa est, atque objecti sui speciem continet (de quo* confer infra *scholion):* diversarum circumstantiarum, quando circa eas quoque delectatio seu approbatio versatur, etiam malitiam contrahit; alias harum malitia non contrahitur. — Num vero totius objecti malitia secundum *infimam* speciem semper contrahatur, infra fusius discutiendum est.

De singulis plura sunt notanda.

I. Delectatio morosa et prava cogitatio. Hae saepe 105a convertuntur, idque practice recte, quum una cum altera cohaereat, atque, una intellecta, altera etiam communiter intelligatur. Attamen per se cogitatio rei pravae multiplex distinguitur, neque omnis cogitatio rei pravae prava cogitatio est, neque omnis delectatio ex ejusmodi cogitatione capta recte prava delectatio appellatur.

1. Alia est delectatio *de cogitatione* rei malae, alia delectatio *de re* malâ cogitatâ. Prima per se mala non est, sed est delectatio *sciendi.*

Quae scientia rei malae, ex qua spiritualis de scientia delectatio sequitur,

a) si ex rationabili causa utilitatis vel necessitatis comparatur, nullum peccatum, sed bona est;

b) si ex curiositate ejusmodi cogitatio suscipitur, ex se veniale peccatum est;

c) si vero cum ea conjungitur — id quod saepe fit — grave periculum incidendi in *approbationem rei graviter malae,* mortale peccatum generatim est. Delectatio vero de re mala cogitata, si voluntarie capitur, ut approbatio rei malae peccatum est, idque grave peccatum, si res approbata graviter mala est.

Vel ut alio modo exponam, quae Lacroix (l. 3 p. 1 n. 895 etc. l. 5 n. 93 etc.) notat de luxuria (cf. etiam Cardenas, *crisis theol.* d. 42 c. 2),

a) esse potest cogitatio *speculativa,* quae res vel actus etiam pravos eorumve delectabilitatem considerat in abstracto et ut objectum scientiae: quae, si peccatum est, non est ex se, sed ex periculo conjuncto;

b) alia est cogitatio *practica,* quae considerat rem actumve pravum ut ipsi cogitanti convenientem et appetibilem, hinc eo modo, qui proxime aptus sit ad ciendam in cogitante turpem concupiscentiam — a qua cogitatione distingui potest *consensus in eam;*

c) proxime conjuncta cum cogitatione practica rei venereae est ipsa commotio seu *delectatio* venerea, atque *consensus in eam.*

106a Relate ad peccaminositatem:

a) Certe mortale peccatum est consensus in delectationem ipsam venereum seu in venereum commotionem, quum in re venerea non detur parvitas materiae.

b) Semper etiam mortale peccatum est, *consensum dare practicae cogitationi;* practice etiam mortale peccatum censendum est, voluntarie cum plena advertentia practicam cogitationem de re venerea *sustinere,* postquam practicus ejus character cognitus est, nisi forte gravis causa et conatus practicum characterem removendi excuset secundum mox dicenda sub d). — Videlicet consensum dare practicae cogitationi idem est ac rem pravam *vere approbare:* quod nemo dixerit sine peccato fieri posse. Ceteroqui causa per se efficax pravae *commotionis* ponitur. — Quatenus vero ab illo consensu distinguitur voluntariam practicae cogitationis moram trahere, seu mentem occupare circa cogitationem appetibilitatis rei pravae, hoc eum, qui ita agit, saltem reum facit gravissimi periculi temere suscepti ipsam rem actumve pravum approbandi.

c) Periculosum est, ac propterea saepe mortale peccatum, cum plena deliberatione ex mera curiositate de rebus graviter obscoenis speculativas cogitationes fovere, quia grave periculum subitur, idque sine causa, incidendi in practicam cogitationem et venereum delectationem ejusque consensum. Si vero propter circumstantias ejusmodi grave periculum deesset aut non adverteretur, a gravi peccato excusatio adesset.

d) Qui vero ex necessitate de rebus turpibus cogitans conatur speculativam tantum cogitationem habere, et a consensu in delectationem venereum procul abest: etsi aliquando practica cogitatio oria-

tur, quam a speculativa non possit satis distinguere, non est facile inquietandus, siquidem *consensus* in practicam cogitationem videtur non adfuisse, vel saltem non cum plena advertentia.

2. *Alia est delectatio de re mala, alia delectatio de modo lepido* 107a *vel ingenioso in se non malo,* quo res mala peracta est. Posterior per se culpa caret, vel si otiosa est, per se venialem culpam non excedit.

Si autem modus *in se* malus est, de eo delectari seu eum approbare, peccatum esse, patet. Similiter peccatum extrinsecus aliquando accedere potest ratione scandali aut periculi, v. g., si quis delectetur de modo ingenioso, quo proferuntur verba obscoena. Vide Reuter p. 1 n. 389.

Cavendum tamen semper est, ne gaudium vel delectatio de modo transeat in gaudium de ipsa re mala.

3. *Alia est delectatio de re vel actione mala, alia delectatio et gau-* 108a *dium de effectu, qui ex peccato secutus est: quem aliquando pro objecto gaudii habere licet.*

Si igitur effectus non malus, sed bonus est: de effectu semper gaudere possum, nunquam vero de peccato, quod illum effectum produxit. Neque licet mihi gaudere de re objective mala sine advertentia a me commissa, si res nihilominus objective mala manet; alias licebit, nisi forte ordo caritatis vel simile quid obstet.

Exempla rem declarabunt:

1) De pollutione nocturna innaturali gaudere non licet, etsi de effectu id aliquando liceat; de ejusmodi pollutione naturali etiam non licet propter voluptatem rei insitam gaudere, licet tamen propter tentationis mitigationem inde orituram.

2) De refectione ex ignorantia jejunii praecepti sumpta gaudere licet, non ut est legis objectiva laesio, sed ut est virium corporis restauratio: facile tamen ejusmodi gaudium ob aliquam gulam veniale peccatum evadere potest. Hîc igitur nota discrimen: gaudium de esu, etsi fit simul approbatio voluptatis esui insitae, aut nullum, aut veniale peccatum est, quia esus est in se res indifferens; gaudium vero de pollutione etiam naturaliter exorta, si propter voluptatem insitam fovetur, grave peccatum est, quia approbatio est *delectationis graviter prohibitae.*

3) De morte patris gaudere non licet propter haereditatem acceptam, quia ordo caritatis non servatur: a fortiori damnandum est — ut damnavit Innoc. XI thes. 15 — „gaudere de parricidio parentis in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas".

II. 1. Reliqua de gaudio circa rem vel actionem malam. 109a Ad quod accedit *tristitia de bono.* Si igitur tristitia concipitur de molestia operis boni, non de opere qua bonum est, imo de opere bono ut molesto, modo ne opus bonum vere necessarium ut molestum aliquis aversetur, communiter erit peccatum veniale torporis: nisi voluntas concipiatur, vel grave sit periculum omittendi opus bonum sub gravi debitum. Sic judica de tristitia circa votum emissum, et similia. — Contra, qui, tristis de christianae vitae incommodis, optet, se nunquam vocatum esse ad fidem, si deliberate agit, gravissime peccat.

2. Ad gaudium de actione mala refertur etiam *jactantia de peccato* commisso; quamquam in se non est idem, sed potius supponit gaudium de peccato patrato. Quare facile contingere potest, ut jactantia de peccato multas in se malitias contineat (S. Alph. *H. A.* tr. 9 n. 9), easque in re gravi mortales: sunt 1) gloriatio de offensa Dei, 2) gaudium et approbatio peccati praeteriti, quo omnes specificae malitiae peccati facti contrahuntur, 3) scandalum, quo alii facile pertrahuntur ad peccatum.

110a 3. De gaudio circa peccata praeterita concepto et admisso expedit poenitentes interrogare: 1) si sese jactarunt de peccato; 2) si perpetrarunt peccata externa, quae aut magnam voluptatem afferunt, aut magnum terrenarum rerum, ut bonorum fortunae, honoris etc. emolumentum contulerunt. Nam tunc facile est, propter effectum, qui placet, ipsum illorum effectuum fontem et originem saepius approbare.

4. Qui igitur gaudium peccaminosum conceperat de peccato luxuriae, de malo inimicis illato etc., in confessione per se declarare debet quamlibet circumstantiam, quae peccatum illud externum, de quo gavisus est, malitia gravi specifice diversa affecerat, v. g. circumstantiam cognationis, matrimonialis vinculi etc.

Idem observa in pravis desideriis, saltem si efficacia erant, aut si utcunque ad distinctas personas dirigebantur: nam in iis peccatis nequit abstrahi a circumstantia cognationis, vinculi matrimonialis, sacri statûs ejus personae, in quam pravum desiderium ferebatur, etsi haec circumstantia ex se ad desiderium non impulerit.

111a III. Desiderium. Quaeritur maxime circa desideria conditionata, quando sint licita, quando non. Ad quod breviter dico: 1. Desiderium inefficax conditionatum actûs prohibiti sub conditione ‚si liceret' per se loquendo peccatum non est, si conditio apposita omnem malitiam ab objecto aufert, et si insuper omnis affectus pravus pro praesenti abest. 2. E contrario ejusmodi desiderium conditione non obstante peccatum est, 1) si conditio malitiam objectivam non aufert, 2) etsi ab *objecto* in se spectato malitiam aufert, si desiderium ex *praesenti affectu illicito* procedit.

112a Quare: 1. Peccaminosa sunt desideria: fornicarer, si licitum esset; vindictam sumerem de inimico, si Deus non prohiberet; blasphemarem, si permitteretur. Quamquam — modo excipias ultimum exemplum, quod praesentem affectum mortaliter malum eumque voluntarium erga Deum involvere omnino videtur — qui ejusmodi desideriis non vere cuperet, ut actus illi liciti evaderent, sed tantum exprimere vellet suam *involuntariam* vitiosam inclinationem, secundum S. Alph. l. 5 (al. 2) n. 13 a *gravi* peccato excusandus est. Graviter autem peccat, qui voluntarie praesentem affectum erga tales res peccaminosas sustinet.

2. Insuper grave peccatum est desiderium copulae carnalis, quod aliquis fovet sub conditione: ‚si non esset sacerdos, si haec mulier ipsius uxor esset'; nam licet conditio ab *objecto* malitiam auferat, tamen *praesens affectus* fertur in rem propter praesentem statum illicitam, inducitque periculum actualis libidinis. Quare per se a peccato gravi non excusatur.

3. Idem fere dic de gaudio circa actiones praeteritas, quae tunc temporis licitae erant, nunc autem licitae non sunt. Videlicet si actualis

delectatio peccaminosa est, ejusmodi cogitationes et gaudia prorsus prohibita sunt, ut viduae morosa cogitatio et delectatio de usu matrimonii praeteriti. Quamquam si simplex est approbatio voluntatis, haec ex sese non statim peccati damnari potest; nihilominus propter periculum praesentis voluptatis excitandae interdicenda est. — Si igitur in rigore loqui volumus, et accurate, *gaudium* (quod est solius voluntatis approbatio) de voluptate habita viduae non est ex se peccatum, sed facile fit propter periculum, si in illo gaudio immoratur; *delectari* autem *nunc* in praeterita voluptate ex se peccatum ei est.

4. Non peccaminosa autem sunt desideria sequentia: si religiosus non essem, eleemosynam darem; si per sacros ordines mihi liceret, in justo bello adversarios prosternerem; si Deus mihi jus concederet, haec bona aliena occuparem: quamquam haec et similia desideria saepe saltem otiosa sunt.

5. Similiter si desiderium conditionatum ‚si liceat' versatur circa res *extrinsecus* tantum malas, i. e., malas, quia sunt prohibitae positiva lege: ille affectus illudve desiderium per se peccaminosum dici nequit, e. g., si non esset feria sexta, carnes ederem.

Scholion. Circa delectationes morosas in re venerea multum 113a
discrepant scriptores in assignanda specifica malitia, quam poenitentes exprimant seu confessarii interrogent oportet.

1. In hoc igitur conveniunt omnes neque ulla ratio negandi suppetit, debere nimirum peccatum ipsum, quod menti obversatur, tum secundum objectum suum quoad infimam speciem, tum quoad circumstantias speciem objecti seu personae mutantes declarari, si morosa delectatio ita fovebatur, ut esset affectus voluntarius ad opus ipsum. — Verum *talem* affectum non videmur distinguere debere a desiderio inefficaci et poenitentes videntur etiam talem affectum ut *desiderium* accusare, si de desideriis interrogantur.

2. Quando igitur in opus ipsum affectus non fertur, sed simplex est complacentia in venerea delectatione: specifica distinctio in se adesse non videtur, prout haec delectatio capitur ex diversarum rerum turpium repraesentatione; saltem sufficere videtur indicasse seu interrogasse, ut Reuter th. mor. p. 2 n. 209 dicit, de quo supposito morosa delectatio versata esset, utrum de altero sexu, an de eodem, an de aliis peccatis contra naturam (quae certe non omnia semper distincte interrogari licet), siquidem omnes ejusmodi cogitationes et delectationes *tendant* in actum completum, ex quo malitiam suam sumant; neque communiter de circumstantiis personarum, ut cognatione etc., delectatio versari consuevit.

Et quamquam — ut S. Alph. l. 5 n. 15 recte notat — ex periculo gravi incidendi in ipsum desiderium ejusmodi merae delectationes etiam malitiam omnium circumstantiarum facile contrahere possunt: id tamen observari debet, ut ex hoc periculo malitiae illae subjective contrahantur, requiri, ut poenitens animadverterit, se etiam *propter tale periculum* sub gravi teneri ad cogitationes illas expellendas; quod a plerisque adverti non videtur, nisi forte in confessarium incautum inciderint, qui haec eos docuerit.

Sectio II.

De merito actuum humanorum.

114 Propria sedes tractandi meriti in theologia dogmatica est. Nihilominus quum practica quaedam de merito etiam moralem theologiam spectent, summa capita hîc perstringam.

Caput I.

Doctrinae de merito explicatio.

1. In hoc ordine rerum veri nominis meritum solum supernaturale exsistit; proin sola theologia satis rectam et plenam notionem de eo dare potest.

2. Meritum, vel potius opus esse meritorium, est dignitas et valor operis ad consequendum bonum, quod Deus pro bonis operibus tamquam *praemium* largitur, adeoque retributio seu quasi compensatio quaedam boni actûs est, quem homo ad Dei laudem et honorem operatus est, neque nititur in sola impetratione vel Dei misericordia.

3. In honorem et laudem Dei omnes quidem actus boni tendunt; quare ex ea parte nihil obstat, quominus meritorii sint. Verum quoniam supernaturale meritum altioris ordinis est, plus requiritur. In ipso autem supernaturali merito distinguitur meritum strictum seu *condignum*, et meritum latum seu *congruum*. Posterius ex quadam congruentia et liberalitate datur, prius secundum ipsius operis et operantis dignitatem et quodammodo ex justitia.

115 4. Ut meritum sit *condignum*, requiritur: 1) dignitas personae merentis, 2) dignitas operis, 3) promissio divina. Quodsi, exsistente operis interna dignitate, dignitas personae vel certa Dei promissio deest, meritum est *congruum tantum*. Porro:

1) *Dignitatem personae* intellige statum gratiae sanctificantis, ne sit homo Dei inimicus, sed filius adoptivus. 2) *Dignitas operis* est, ut sit *in se supernaturale*, seu oriundum ex influxu supernaturalis gratiae: ad quod refer, ut homo agat ex motivo aliquo supernaturali. (Qua ratione et qua certitudine necesse sit, ut homo subjective supernaturali motivo seu veritate moveatur, cf. *Theol. mor.* n. 258). — 3) *Promissio divina* quodammodo complere debet operis dignitatem, ut praemium idque certum et determinatum ei stricte conveniat: alioquin ea, quae revera nobis tribuuntur, non essent vero sensu *debita*.

5. Meriti condigni objectum ad solum operantem restringitur; consistit in augmento gratiae sanctificantis et in consecutione atque augmento coelestis gloriae, ut habes ex Trid. sess. 6 can. 32.

116 6. Meriti congrui objectum sunt gratiae et auxilia Dei actualia ad diversos fines conferenda, eaque et nobismetipsis, et aliis de congruo mereri possumus; proin objectum meriti congrui sunt: 1) gratiae uberiores, et efficaces ad recipiendam gratiam sanctificantem, 2) ad eam

conservandam atque tentationes vincendas, 3) ad gratiam sanctificantem augendam; 4) finalis perseverantia; 5) fortasse etiam reparatio justitiae post lapsum, si futurus fuerit; 6) pro aliis certe etiam ipsa prima gratia actualis, quam pro nobis nos mereri impossibile est.

Ceteris tamen paribus, facilius nobis, quam aliis de congruo meremur. Meritum congruum intime cohaeret cum *impetratione*, eo tamen discrimine, quod in impetratione ratio largiendi dona Deo non sit *dignitas* actionis orandi, sed sua misericordia vel liberalitas et promissio propter Christi merita, in merito autem congruo ratio largiendi dona sit cum misericordia etiam dignitas quaedam operis ab homine oblati, quam Deus simul respiciat. Inde tamen patet, cum impetratione saepe meritum aliquod congruum conjungi, maxime in homine justo, atque ipsam impetrationem per conjunctum meritum faciliorem evadere.

7. Meritum congruum, ad quod opus aliquod bonum assumitur, nullatenus minuit meritum ejus condignum, ut apud theologos certissimum est. Neque enim ex eo, quod opera nostra bona Deo offeramus ad impetrationem gratiae alicujus promovendam, vel ad satisfactionem, etiam alienam, aliosque fines supernaturales, minorem coelestis gloriae gradum accepturi sumus, sed potius propter auctam operis bonitatem etiam abundantiorem.

Caput II.

Practica documenta circa meritum.

1. Quoniam meritum aeternae vitae summi momenti est, fideles 117
circa meritum bonorum operum maxime instruendi sunt, atque imprimis monendi, ut curent conservare gratiam sanctificantem, aut, si infeliciter lapsi fuerint, statim eam recuperare: quod actu caritatis et contritionis perfectae consequi possunt. Nam nisi homo in statu gratiae est, pro aeterna vita directe aliquid mereri nequit. Dein nihilominus etiam ipsi peccatores monendi sunt, ne propter statum peccati, ex quo se tam cito resurgere non posse putant, bona opera negligant: quae, etsi non ipsius coelestis gloriae meritum, tamen de congruo plenius et citius gratiam conversionis, modo ne ipsi desint, possunt mereri.

2. Meritum autem bonis operibus non solum indebitis seu supererogatoriis alligari, sed etiam iis, quae ex obligatione exerceri debent, modo reliquae conditiones adsint, doctrina fidei est ex Trid. l. c. cap. 16. — At ut constet de merito actuum, qui ex se seu sua natura supernaturaliter boni non sunt, subjiciatur motivum fidei seu *bona intentio* quam vocant, actionem ad Deum finemque supernaturalem referendo.

Quam bonam intentionem formaliter reformare quotidie mane circa totum diem ejusque actiones et casus in genere, etsi obligationis esse non probatur, tamen pius christianorum mos est, sedulo inter fideles fovendus; imo conandum est, ut saepe formaliter hanc bonam intentionem renovent, quo plenius et abundantius impleatur, quod Spiritus S. per Apostolum monet: „Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud

quid facitis, omnia in gloriam Dei facite". I Cor. 10, 31. Quod quo sensu *praeceptum* dicatur, S. Thom. declarat, sc. necessarium non esse, ut omnia in Deum *actu* referantur, sed *virtute, et habitu caritatis,* nisi quando necesse sit actum caritatis elicere. Cf. I. II. q. 100 a. 10.

118 3. Imo ut augeatur meritum perfectione operum bonorum, summum debet esse hominis studium. Eo majus autem est meritum: 1) quo dignior est persona operans per gratiam sanctificantem majorem; 2) quo dignior est ipsius operis interna perfectio: haec autem a fervore et intensitate pendet, et a perfectiore *motivo*. Quare ante omnia homo christianus studere debet, ut ex perfectissimo caritatis motivo frequenter agat; haec enim quantopere alia motiva superet, cogitari vix potest. Imo fervens caritas impellit, ut etiam alia motiva assumantur, atque ab iis vicissim augetur. Praeclarissimum exemplum Christianus habet in divino Salvatore, qui non solam mortem suam cruentam, sed omnia alia sua opera et actus aeterno Patri dicavit in summam Ejus gloriam et majestatis agnitionem, ad referendas gratias pro omnibus bonis sibi aliisque concessis et concedendis, ad expiationem peccatorum cujuscunque hominis, ad efflagitanda et comparanda omnis generis bona, quae ad salutem generis humani utcunque referrentur.

Haec affectuum dilatatio, atque impetrationis satisfactionisque transfusio in alios, mirum est, quantum Deo sit accepta, et quantum augeat pro nobis ipsis omnes coelestis gratiae thesauros. Plura vide *Theol. mor.* n. 264 sqq. et *ibid.* vol. II. n. 521 et 522.

Theologia moralis specialis.

Pars I.

De Virtutibus et Officiis vitae christianae eorumque laesione.

Theologiae moralis generalis erat, principia communia ratione per 119
fidem illuminata declarare, ex quibus actionum humanarum moralitas profluat atque dijudicetur; specialis theologiae moralis est, ad singula descendere, quae sint singula officia atque singulae leges, virtutes, adjumenta, quibus vita christiana dirigatur, quae sint ex altera parte horum officiorum virtutumque laesiones, quibus a recta morum norma declinetur.

Non omnes quidem virtutum actus lege vel praecepto continentur, atque hinc ratio peti possit, virtutes et officia distinctim tractandi; tamen utraque sic cohaerent, ut sine multa repetitione commode dividi non potuerint. Sic igitur universam theologiam moralem specialem dividimus, ut Parte I^{a} agamus de virtutibus et officiis vitae christianae eorumque laesione, Parte II^{a} de vitae christianae adjumentis.

Porro omnis vitae humanae, ideoque etiam christianae, virtutes et officia versantur circa bona divina et circa bona humana. Circa bona divina duplicis generis virtutes versantur, quibus similia officia respondent:

1. Virtutes, quae *Deum immediate* pro objecto habent — virtutes *theologicae.*

(Hae vero simul omnibus virtutibus et officiis, quae homo sive erga Deum, sive erga se, sive erga alios habet, quasi praesident eisque novum splendorem tribuunt; quare merito omnis tractatio theologiae moralis specialis a virtutibus theologicis incipit.)

2. Virtus, quae *cultum divinum* pro objecto habet — virtus *religionis*; quae est una ex praecipuis virtutibus *moralibus.*

Virtutes et officia, quae bona humana spectant, sive propria ipsius agentis bona, sive aliorum hominum, *commodius secundum diversa objecta* dividuntur; quare praemissa accuratiore notione earum virtutum

moralium, quarum est curae bonorum humanorum praesidere, objectorum ordinem sequemur, acturi

1. de virtutibus *moralibus;*

2. de singulis *objectis,* circa quae officia nostra versantur: bonum *sociale;* bonum *individuale* primarium, sive ipsa persona humana et vita corporalis; bonum *conjugale,* quod proxime complet bonum individuale fundamentale; bona *externa,* ut fortunae, famae.

Hac ratione id commodi etiam habetur, ut fere *secundum ordinem decalogi* officia singula et peccata explicare possimus. Neque id in compendio theologiae moralis, quod confessariis maxime usui esse debet, negligendum esse censui, quominus eundem ordinem, quantum commode fieri potuit, in officiis et peccatis tractandis sequerer, quem tum in excipiendis confessionibus tum in institutionibus christianis sequi oportet.

Partis I. Liber I.

De virtutibus et officiis circa Deum et divina bona.

Tractatus I.

De virtutibus theologicis.

120 Notiones praeviae. Virtus per se sensu philosophico et theologico significat habitum operativum bonum, ideoque semper respectum ad certos actus habet. Hos actus theologia moralis natura sua praecipue considerat. Distinguitur vero virtus *naturalis sive acquisita* et virtus *supernaturalis sive per se infusa.* Naturalis seu acquisita est, quae repetitis actibus acquiritur, et dat inclinationem atque facilitatem ad certos actus exercendos. Supernaturalis et per se infusa ea est, quae hominem reddit aptum ad actus, qui facultatem mere humanam seu naturalem excedunt, quaeque hominem ad finem supernaturalem, humanas et creatas vires excedentem, disponit. Hae supernaturales virtutes non ita facilitatem tribuunt, sed potius facultatem sive aptitudinem conferunt, ut homo ad finem supernaturalem destinatus actibus huic fini convenientibus sese disponere possit.

Principalem locum tenent virtutes theologicae, quae ipsum Deum immediate attingunt, ejusque attributa pro immediato motivo seu objecto formali habent. Ejusmodi theologicae virtutes a theologis tres enumerantur: fides, spes, caritas. Fides et spes inchoant hominis elevationem, caritas eam complet utpote inseparabiliter conjuncta cum gratia sanctificante, quae supernaturali et quodammodo divina natura ipsam animae essentiam transformat et immutat.

Nobis in tractandis et definiendis virtutibus ad habitus respicere opus non est, sed actus virtutum agnovisse sufficit. Quarum tum theologicarum, tum religionis praecepta ad I. decalogi praeceptum revocare possumus:

„*Ego sum Dominus Deus tuus . . . Non habebis deos alienos coram me.*“ Ex. 20, 2 et 3.

Caput I.

De Fide.

Hac de re praeclare scripsit S. Thom. II. II. q. 1—20, Lugo *de fide* disp^{es} 25; praeterea S. Alph. l. 2 (al. 3) n. 1—19, Suarez etc.

§ 1.

De fidei notione.

Fides actus supernaturalis est, quo homo iis, quae Ecclesia ut 121
revelata proponit, super omnia firmiter assentitur propter auctoritatem Dei summe veracis revelantis.

1. Fides igitur 1) non assentitur doctrinis quia intelligit, sed quia Deus eas revelavit; 2) super omnia firmiter assentitur; 3) nihilominus praerequirit notitiam Dei revelantis certam, qua supposita, in ipso actu fidei haec ipsa notitia Dei divinaeque revelationis majori firmitate quam antea apprehenditur. Cf. Joan. 20, 29; Hebr. 11, 1; Gal. 1, 8; thes. 19 ab Innoc. XI damnatam; Vatic. sess. 3 c. 3.

2. Dei divinaeque revelationis notitia *certa* quidem ante actum fidei haberi debet, at argumenta, quae mentem de hac revelatione facta convincant, non ab omnibus eodem modo intelligantur necesse est.

Pueri, rudes facili negotio ex aliorum relatione de necessariis illis veritatibus convincuntur atque vere certi redduntur. De cetero confer hac de re *Theol. mor.* n. 270: ubi etiam breviter explicatum habes, quomodo a judicio credibilitatis et credenditatis atque pio credendi affectu homo ad ipsum fidei actum transeat.

3. Ut igitur fides *primo* concipiatur, necesse est, ut formaliter et 122
explicite hominis cogitatio ac judicium prius in Dei veracitatem et in factum revelationis feratur: alias enim impossibile est fidem nasci. At qui consuevit veritatibus revelatis propter Dei auctoritatem adhaerere, verum actum fidei exercere potest et exercet, etsi formaliter de Dei auctoritate non cogitat. Sufficit enim ut ratio, cur assentiatur, vere sit Dei auctoritas, id quod esse potest sine formali illius auctoritatis cogitatione. Confer in hanc rem Suarez *de Voluntario* disp. 8 sect. 3 n. 4. — Aliqui hunc actum fidei vocant *implicitum*, quamquam minus recte. *Theol. mor.* n. 271 sqq.

4. *Ratio, cur* veritatibus propositis in actu fidei assentiamur, *objectum formale* dicitur; ipsae *veritates, quibus* assentimur, ejus objectum *materiale*. Objectum ergo materiale fidei omne id est, quod Deus nobis revelavit. Objectum formale est ipsa *Dei loquentis summa auctoritas*, seu divina revelatio Deique summa veracitas.

§ 2.

De excellentia et necessitate fidei.

123 1. Fides in se sola spectata est obsequium intellectuale Deo libere praestitum, atque propterea, si aliae conditiones adsunt, valde meritoria; imo, ut Trid. sess. 6 cap. 8 dicit, „fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis", ac proinde etiam radix et fundamentum omnis meriti: at etiam multorum meritorum est foecundissima parens. Qui enim rationibus ex fide haustis in quotidiana vita duci consuevit, frequentissime et uberrime merita aeternae vitae augere solet.

2. Fides ergo ad justificationem hominis adulti seu qui ad usum rationis pervenerit, omnino necessaria est, idque *necessitate medii,* ita ut, nisi quis vero fidei actu erga Deum moveatur, neque supernaturalem relationem suam ad Deum incipere neque eam perficere seu dolorem de peccatis ad justificationem aptum et sufficientem concipere possit. Cf. Hebr. 11, 6.

Quomodo vero cum tali absoluta fidei necessitate relate ad eos, qui de facto ad veram Ecclesiam nondum pertinent, possibilitas aeternae salutis consequendae consistat, theologo explicandum est quoad eos solos, qui *inculpabiliter* ad notitiam verae Ecclesiae non pervenerunt, aut nunc saltem inculpabiliter non perveniunt. De quo confer *Theol. mor.* n. 274.

§ 3.

Necessitas fidei quoad objecta credenda.

124 Nulli quidem licet ullam, etsi in se forte levissimam veritatem, quam a Deo revelatam esse certo cognoverit, rejicere; at non omnibus singularum veritatum revelatarum acquirendae notitiae eadem obligatio incumbit. Quoad hanc diversorum fidei objectorum obligationem distinguitur necessitas *medii* et necessitas *solius praecepti;* medii necessitas circa illa objecta est, quorum ignorantia etiam inculpabilis aeternae salutis dispendium secum fert; solius praecepti ea sunt creditu necessaria, quorum sola culpabilis ignorantia aeternam salutem in periculum vocat.

1. *Necessitate medii necessaria certo est fides explicita in* 1) *Deum unum* 2) *eumque remuneratorem bonorum et — quod consequens est — vindicem malorum. Hebr. 11, 6 et thes. 22 ab Innoc. XI. damn.: „Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris."*

125 2. *Quamquam probabile prorsus est, fidem explicitam harum veritatum tantum requiri, non est tamen certum, non requiri ulterius explicitam fidem* 1) *in mysterium SS. Trinitatis et* 2) *in mysterium Incarnationis et Redemptionis.* — Quoad modum, quo proponi ac credi debeant illa mysteria, haec noto: 1) De SS. Trinitate sane sufficit, *rudi modo* utrumque tenere, tres esse distinctos, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, quorum unusquisque sit Deus; nihilominus non esse tres Deos, sed tres illos esse unum eundemque Deum. Modum vero, quo una persona ab altera distinguitur, scire, necessarium non est, quum

quam plurimorum captum superet. 2) Circa Incarnationem autem, *objectum* quod credi explicite debeat, non est nudum Incarnationis mysterium, sed etiam, idque praecipue, munus redemptionis a Filio Dei incarnato assumptum, scilicet Filium Dei hominem factum sua morte nos a peccatis redemisse, eumque redivivum in coelis regnare omnesque homines esse judicaturum. 3) Ut tamen *modus,* quo tum SS. Trinitatis, tum Incarnationis mysterii veritates credi absolute debeant, amplius explicetur, ille sufficit, si homo rudis sensu harum veritatum intellecto divina fide eas assumat, etsi interrogatus ulteriorem rationem reddere non possit.

3. *Necessitas praecepti comprehendit omnes praecipuas veritates* 126
christianae religionis, quae ad vitam homine christiano dignam apte ducendam requiruntur. Summa eorum, quae credenda et scienda sunt ab homine christiano, nisi, ut cum Busenb. S. Alph. l. 2 (al. 3) n. 3, 1 approbat, impotentia excusetur, continetur in *Symbolo Apostolico,* in doctrina de *sacramentis,* in *oratione Dominica,* in *decalogo.* Nam, licet oratio Dominica et decalogus regulas *agendi* contineant, tamen utpote divina revelatione nobis data etiam objectum sunt, quod *credamus.* — Quare secundum communem doctrinam theologorum, de qua cf. Lugo *de fide* disp. 13 sect. 4 et 5 et Suarez *de fide* disp. 13 sect. 4:

1) Gravis obligatio est substantiam eorum scire, quae Symbolo Apostolico continentur —; memoriter symbolum ipsum teneri obligatio quidem est, sed venialis. Cf. etiam Elbel *de fide etc.* n. 22.

2) Idem de oratione Dominica teneto; nam hanc ipsam orationem memoria tenere et posse recitare, certe obligatio est, de obligatione gravi vero non constat. S. Alph. l. c. 3, 2; Suarez l. c. n. 12; Lugo l. c. n. 132. Gravis autem omnino obligatio est sciendi, Deum esse orandum cum certa fiducia, ut nobis conciliemus auxilia necessaria ad evitanda peccata, paucis omnia bona ad salutem conducentia sive supernaturalia sive naturalia. Ib.

3) Circa decalogum certe dicendum est, eum quoad substantiam plane sciri debere sub gravi: verum suo ordine ejus praecepta ex memoria recitare posse, minor etiam obligatio est, quam dictum est de symbolo.

4) Relate ad sacramenta gravis obligatio est cognoscendi ea, quorum susceptio est necessaria, ideoque maxime: (baptismum), poenitentiam, Eucharistiam; reliqua saltem suo tempore.

Fusior declaratio eorum, quae a fidelibus sciri debent in singulis articulis Apostolici Symboli, habetur passim apud theologos; breviter ea explicata habes in *Theol. mor.* n. 281 sqq.

§ 4.

Necessitas fidei quoad eliciendum fidei actum.

I. Obligatio actum fidei eliciendi adest 1) aut propter ipsam fidem, 127
aut tamquam medium ad alios actus rite exercendos necessarium; 2) idque vel *per se,* vel *per accidens.* — Per se dico obligationem adesse, si adest ex communi hominum conditione, seu communiter pro omnibus; *per accidens,* si obligatio ex peculiari singulorum quorundam hominum conditione temporumve circumstantiis oritur.

II. *Propter ipsam fidem* exsistit obligatio *eaque per se:* 1. Aliquoties in vita: quod ex natura ipsius fidei ut intellectuali obedientia erga supremam Dei auctoritatem et ex ejus necessitate ad omnem vitam supernaturalem colligitur; cf. thes. 16 et 17 ab Innoc. XI. proscriptas. 2. Praecipue, quando homo primo concipit certam notitiam revelationis divinae factae, videlicet: quando infideli homini revelatio divina sufficienter proposita sit et innotuerit; quando homo christianus ad perfectum usum rationis pervenerit; item, ut videtur, quando homini christiano nova fidei definitio proponitur, siquidem actum fidei tunc non elicere, vix differt a fide positive detrectata. 3. Circa tempus mortis idem a multis speciatim effertur, saltem quando diutius fides non fuerit exercita; at haec obligatio tum quoad tempus, tum quoad obligationem late sumenda est in eo, qui saepius in vita fidei obligationibus satisfecit.

Per accidens obligatio aderit: 1. Si quis in haeresim lapsus est: protrahere enim videtur ipsius haeresis peccatum vel in eo saltem perdurare, donec denuo verum fidei actum elicuerit. 2. Si quis tentationibus contra fidem agitatur, quas indirecte satis impugnare non possit: saepe tamen homini timorato potius expedit, ejusmodi tentationes indirecte atque contemptu abigere.

128 III. *Ut medium ad alias actiones* rite exercendas fidei obligatio adest: 1. Medium *per se necessarium* est fides, quoties actûs alicujus supernaturalis obligatio urget: debet enim homo per fidem motivum supernaturale concipere, quod tamen facili negotio sine reflexione fit, neque ullus cuiquam scrupulus hac de re faciendus est. 2. Item per se necessarium medium est non diu differre fidei exercitium, quia nisi homo supernaturales seu fidei veritates consideret, diu a peccato etiam gravi sese continere non potest. 3. Medium *per accidens* ad alias actiones necessarium erit actus fidei, si aliae tentationes praeter fidei tentationes urgent, quae sine supernaturali motivo nequeant superari: quae obligatio alia non est, nisi ut ad aeternas veritates homo mentem convertat. 4. Ejusmodi medium per accidens necessarium est fides, quando homo sacramenta suscipere vel 5. quando orare vult: cave tamen, ne putes, requiri ad hoc explicitam et reflexam cogitationem: nam impossibile est fidem non elicere, si quis pie oret.

129 IV. Illud autem discrimen est inter obligationem fidei, quae sive per se sive per accidens, tamen *propter ipsam fidem* exsistit, et eam obligationem, quae ad fidem solummodo ut medium ad alia obligat: ut, qui priorem obligationem laedat, *speciale peccatum contra fidem committat;* qui posteriorem obligationem negligat, non speciali modo contra fidem peccet, sed contra eam virtutem vel legem, ad quam implendam medium necessarium, i. e. fidem, non adhibuit.

§ 5.

De obligatione fidem externe confitendi.

130 1. *Nunquam licet externe fidem negare.* Id enim, etsi interne fides retineatur, gravissimum peccatum semper visum est.

2. *Aliquando etiam praeceptum grave est fidem positive profiteri;* Matth. 10, 32; Luc. 9, 26; videlicet in iis circumstantiis, in quibus taciturnitas aut negationi aequivaleret aut contineret erubescentiam fidei aut grave scandalum crearet. Quod obtinet, si v. g. silentium haberetur pro consensu cum aliis fidem negantibus, vel regulariter, si quis a publica auctoritate de fide sua interrogaretur: cf. th. 18. ab Innoc. XI. damnatam.

3. *Quando ejusmodi obligatio non urget, fidem etiam occultare licet ex gravi causa, seu dissimulare.*

4. Imo si ex una parte obligatio nulla fidem positive et palam profitendi adest, ex altera parte ex ejusmodi professione magna damna, ut perturbationem, fidelium vexationem, secutura esse praevidetur, fidem occultandi obligatio est, eaque gravis potest exsistere.

5. *Multo facilius occultare licet specialem aliquam conditionem seu statum inter christianos,* ut sacerdotium, statum religiosum; imo haec negare *per se non* est mendacium *mortale.* Lugo l. c. n. 32 cum Suar., Sanchez etc.

6. Occultatio fidei etc. fieri potest tum verbis tum signis tum aliis 131
quibusdam actionibus, in quorum usu, si de liceitate et illiceitate judicandum est, id spectari debet, utrum ex se vel ex circumstantiis directam fidei negationem erubescentiamve contineant, an potius audientibus atque spectantibus rationem solum praebeant suspendendi judicium, ita ut neque affirmare neque negare possint, illum hominem esse catholicum.

Ex simili ratione non licet uti signis, quae ex conventione statuta sunt ut professio falsae sectae, e. g. francomurariorum; neque adire templa haereticorum, schismaticorum, saltem in iis circumstantiis, in quibus suspicio haeresis etc. profitendae, falsi ritûs participandi inde oritur. Licet vero carnes edere alicui, ut catholicam fidem *occultet,* si aliter ipsi *gravia mala* timenda sunt, non autem ut irrisionem tantum evitet, neque licet ita fidem occultare, etsi gravissima mala impendeant, si ille esus carnium in odium fidei ab aliis postuletur.

§ 6.

Obligatio lege ecclesiastica inducta professionem fidei publicam emittendi.

Hanc fidei professionem emittere debent sequentes: 132

1. Provisi de beneficio curato intra duos menses. Trid. sess. 24 cap. 22 *de Ref.*

2. Provisi de canonicatu vel dignitate in ecclesia cathedrali, eodem modo. Ibid.

3. Primates, Archiepiscopi, Episcopi in prima synodo provinciali, cui intererunt. Trid. sess. 25 cap. 2 *de Ref.*

NB. 1. Ergo non obligantur: qui fiunt canonici in ecclesia collegiata, qui instituuntur parochi sine beneficio ecclesiastico.

NB. 2. Videtur haec obligatio sub mortali culpa imponi, nisi desuetudine abolita sit; ita Sanchez l. 2 cap. 5 contra Tamb. libr. 2 cap. 1 § 12 n. 4. — Poena restituendi fructus, quae pro 1 et 2 statuitur, probabiliter exigit sententiam judicis declaratoriam. V. Sanchez l. c.

133 4. In universitatibus initio cujuslibet anni magistri et doctores solemne juramentum fidei emittant; ib. Trid. sess. 25 cap. 2. (Imponitur rectoribus vel praefectis, ut id efficiendum curent.)

5. Pius IV. „Injunctum nobis“ extendit legem Trid. professionem fidei imponentem ad omnes praelatos regulares.

6. Idem Pius IV. „In sacrosancta“ constituit, ut hanc fidei professionem facere teneantur omnes, qui sive publice sive privatim se magistros quarumcunque artium vel disciplinarum profitentur, proposita poena gravissima in eos, qui aliter illos ad quamcunque cathedram promovent.

NB. 1. Obligationes n. 5 et 6 et fortasse etiam 4 in multis locis in desuetudinem abierunt.

NB. 2. Tamb. l. cit. n. 10 docet, ubi constitutio vigeat, promoventes quidem legem non servando graviter peccare; promotos vero vel docentes per se non peccare graviter, nisi a Superioribus urgeantur et jubeantur.

NB. 3. Probabile esse docet Sanch. ib. 11, 6, Tamb. l. c. n. 6, singulos, qui vi harum constitutionum obligentur ad fidei professionem, in rigore satisfacere seu satisfecisse, si jam antea propter aliquem titulum professionem fidei fecerint. Vid. tamen Craisson, *Manuale* n. 2368; Ferraris, *biblioth. ad vocem „Canonici“* art. IV.; Barbosa, *Decis. Apost., ad vocem „Fidei professio“*, qui referunt, S. Congr. Conc. decrevisse, in qualibet nova beneficii adeptione professionem fidei esse emittendam.

§ 7.

De peccatis contra fidem.

134 Brevi catalogo peccata specifice distincta contra fidem hîc enumero; quae omnia ex genere suo mortalia sunt; pleraque ex genere suo toto.

1. Professionem fidei ab Ecclesia praescriptam non facere;

2. Actum fidei lege divina necessarium non elicere, saltem quando fides propter se suamque internam honestatem praecipitur. (Laedit obsequium Dei loquentis auctoritati debitum negative.)

3. Negligere sufficientem instructionem in rebus fidei. (Praeterquam quod ille, qui haec negligit, peccat contra caritatem sibi ipsi debitam, indirecte laedit etiam divinum cultum modo negativo, se aptum non reddens ad Deum debite colendum per fidem et alios actus.)

4. Fidem suam lectione, conversatione etc. periculo exponere.

5. Fidem externe negare vel erubescere, negando, tacendo, aliquid agendo; v. supra.

6. Suborto dubio de propriae sectae sive religionis veritate, aut revelatione cum probabilitate proposita, non amplius inquirere: quo constituitur peccatum *infidelitatis privativae*, i. e., culpabiliter in infidelitate haeretur vel omittitur cultus divinae veracitati debitus *remote urgens*.

135 7. Revelata veritate sufficienter seu certo proposita, fidem detrectare, quo habetur peccatum maxime proprie contra fidem, quamquam non uno tantum modo committi potest: — vocatur *infidelitas positiva*. Diversos modos, quibus ita peccetur, hos habes: Raro quidem aliquis directe negabit veracitatem divinam — quod qui facit, sane cum infidelitate jungit horrendam blasphemiam. — Facilius accidere potest, ut aliquis nullatenus quidem *neget* divinam veracitatem neque revelationem, at nihilominus infidelitatis peccatum committat, quum non

propter divinam auctoritatem veritates revelatas velit admittere, sed propter rationis suae intuitum. — Communiter mediâ viâ homo infidelitate peccans procedit, negando sc. contra clara et sufficientia argumenta revelationis divinae factum vel hujus facti certitudinem: qui agendi modus simili modo Deo injuriam irrogat, sicut regi injuria a subdito irrogatur, qui illum certo pro rege probatum pertinaciter non vult agnoscere neque honorare.

Haec infidelitas in homine, qui fidem jam receperat, aut *haeresis* aut *apostasia* est, prout particulares tantum fidei articuli negantur, aut tota christiana et catholica doctrina rejicitur.

Haeresis ab apostasia *specie* non distinguitur, quatenus peccatur contra fidem: sed in defectione ad falsum cultum pro cultûs falsi diversitate diversa malitia contra virtutem religionis contrahitur.

Difficilior est quaestio, num infidelitas positiva et privativa specie distinguantur. Practice, si de confessione agitur, distinguendae sunt, saltem propter diversas sequelas et poenas.

Concludes etiam, haeresin committi ab eo, qui deliberate dubium de aliqua veritate revelata concipit seu admittit; haeresin committi ab eo, qui in haeretica secta educatus veritatem nunc edoctus nolit admittere, vel post conceptum probabile dubium de sua secta ita comparatus est, ut nolit veram fidem amplecti, etsi eam cognoverit: sed haeresin nondum committi a tali homine, si hanc voluntatem hypothetice rejiciendae veritatis non foveat (utut negligentiâ post prudens exortum dubium inquirendi peccare, imo graviter peccare potest); multo minus, quando de suae sectae veritate nondum dubitat.

8. Tandem indirecte plus minusve contra fidem aut contra religionem 136
peccari potest, si propositiones a S. Sede inferiore quam haeresis nota damnatae tenentur vel docentur. De quo fusius consule *Theol. mor.* n. 302 sqq.

9. Destruitur autem fides seu habitus fidei peccato haeresis (vel apostasiae) seu positiva infidelitate etiam circa unum fidei articulum tantum; paucis eo peccato, quod sive Dei veracitatem neget, sive ipsius articuli fidei certo propositi veritatem vel neget vel in dubium vocet, etiam actu mere interno.

Caput II.

De Spe.

Cf. S. Thom. II. II. q. 20 et 21; Suar. *de spe* disp. 2; Sporer *in decal.* tract. 2 cap. 4; S. Alph. lib. 2 n. 20 et 21 etc.

§ 1.

Quid sit spes.

1. Spes est virtus theologica, qua homo Deum ut beatitudinis suae 137
finem desiderat atque in Deo auxiliante, qui benigna et fideli sua promissione potentissimum auxilium suum praesens nobis fecit, innixus, animum firmum illius finis consequendi concipit.

Ut igitur vera spes concipiatur, animus 1) Deum desiderare debet tamquam supremum bonum *suum,* quo beatus reddatur; 2) firmari debet a) *bonitate seu benignitate,* qua Deus ad auxiliandum nobis propendet, b) *potentia,* qua auxiliari valet, c) *fidelitate in promissis,* qua revera auxilium nobis laturus est.

138 2. *Objectum* ergo *materiale* spei id omne est, quod per auxilium divinae gratiae nos consecuturos esse confidimus, scilicet: objectum *primarium* ipse Deus in altera vita visione beatifica possidendus; objectum *secundarium* omnia, quae ad hunc finem assequendum necessaria sunt et conferunt: gratiae actuales ad vincendas tentationes, ad cavenda vel delenda peccata, ad opera bona perficienda, alia dona gratiae habitualia eorumque augmentum, quae futurae beatitudinis sunt praeparatio et praelibatio; imo etiam alia bona spiritualia et corporalia, aeterna et temporanea, quatenus ad finem nostrum ultimum ejusque praeparationem conferant, atque specialis Dei providentia in avertendis malis et in bonis procurandis.

139 3. *Objectum formale* ab aliis quidem aliter assignatur. Controversia tamen non est tantopere in re quam in concipiendi et loquendi modo, quum alii Dei bonitatem seu perfectionem prout nos beare sui possessione potest, alii ejus erga nos benignitatem, alii Dei potentiam et Dei promissionem, alii omnia haec simul pro formali objecto assignent. Certo haec omnia sive ipsius spei actum, sive praevios actus necessarios informare debent. Cf. *Theol. mor.* n. 306.

4. Conditiones necessariae satis indicatae sunt, si tenes, spem, praeterquam quod supernaturalis esse debeat, i. e. ex motivo fidei concepta et ex principio divinae gratiae orta, debere esse ex sua parte certissimam et firmissimam, eam tamen non excludere ex parte nostra omnem timorem. — Nam Deus quidem, qui spei fundamentum est, nobis deesse nequit, sed nos deesse Deo possumus, neque tamen Deus vult nos sine nobis salvare.

§ 2.

De spei necessitate.

140 1. Circa spem eadem necessitas distinguenda est atque circa fidem, medii et solius praecepti necessitas.

2. Spem esse etiam *medii necessitate* necessariam, concludes ex Hebr. 11, 1 et 6 et I Joan. 3, 3. Rationem hîc sufficit eam dare, quod sine spe debito modo non possumus orare, oratio autem est salutis medium necessarium. — *Praecepti vero necessitatem* latius etiam extendi, eruitur ex divinis perfectionibus atque reverentia quam erga eas gerere debemus.

3. Ut igitur et medii et solius praecepti necessitas colligatur atque accuratius aliquid de obligatione eliciendi actûs spei statuatur, haec teneto: obligatio spei *per se et propter se* est: 1) saltem aliquoties in vita, cf. dicta de fide, 2) in exordio vitae moralis hominis, 3) circa vitae exitum (eo sensu et cum ea restrictione, ut *de fide* notavi); *per se, sed non propter se:* quoties adest communis et generalis obligatio ad actum, qui sine spe poni nequit; *per accidens propter se:* quando

tentatio contra spem sola indirecta oppugnatione vel contemptu vinci non potest; *per accidens, sed propter aliud:* 1) si aliae tentationes urgent, quia aut ipsa spe aut oratione vincendae sunt, 2) si quis libere actum vel exercitium supernaturale assumit, quod sine oratione et spe debite perfici nequit.

§ 3.

De peccatis contra spem.

1. Primum peccatum, quod contra spem committitur, est *omissio* 141
actûs spei, quando praeceptus est, saltem si per se et propter se obligat.

2. Secundo peccari potest *desperatione.* Quae consistit in fuga a Deo ut auxiliatore et a prosecutione ultimi finis, eo quod desperans judicat beatitudinem sibi comparari impossibile esse: ergo nititur in haeretico judicio, aut in ignavia; completur formaliter aut tristitiâ, qua homo se a fine suo ultimo ut obtentu difficiliore avertit, aut — quod pejus est — odio abominationis, quo homo Deum fugiat.

3. Tertio peccari potest *praesumptione* — quod dicitur peccatum 142
quasi per excessum, videlicet homo *indebito modo* finis assecutionem intendit, vel indebito modo Deum sibi fore auxiliatorem exspectat. Hinc *diversa* fit praesumptio: 1) ab eo, qui propriis tantum viribus in negotio salutis innititur — quod non fit sine *haeresi;* 2) ab eo, qui in sola divina misericordia nititur — quod qui serio et deliberato judicio facit, nolendo praecepta divina servare et nihilominus se salvum fore judicando, etiam ab *haeresi* non est immunis: verum tale judicium communiter non concipitur, sed practice homo ita agit, ac si illud judicium habeat; 3) ab eo, qui divinum auxilium sperat ad res illicitas: — quod vix sine haeresi, necessario cum magna fit *blasphemia;* 4) ab eo, qui sperat extraordinariam providentiam ultra divinam dispositionem, ita ut v. g. efficaci desiderio velit superare vel aequare sanctitatem B. M. V.: nam inefficax quaedam velleitas talis excellentiae, si fit cum subjectione erga divinam voluntatem, ex se non est mala, sed pro modo et circumstantiis valde bona et meritoria: (dein *peccatum* admittit parvitatem materiae); 5) ab eo, qui misericordiam divinam sumit non pro ansa quadam, sed vere pro motivo sive perseverandi in peccato sive peccata peccatis addendi: (admittit parvitatem materiae; insuper adverte, non committi hoc peccatum, si homo peccans concomitanter seu simul concipiat tantum spem, fore ut Deus postea sibi ignoscat; sed si progreditur, ut S. Thom. II. II. q. 163 a. 4 dicit, „usque ad contemptum divinae justitiae").

NB. A desperatione proprie dicta distinguenda est non solum 143
desperationis mera tentatio, sed etiam timor nimius atque diffidentia quaedam, quae spem non vere abjicit, sed nimia consideratione propriae infirmitatis occupatur, atque contra eam in divino auxilio remedium quaerere viresque et animum concipere *nimis negligit:* quo non adeo facile graviter delinquitur. De cetero confessario praesto esse debent remedia, quae tum contra desperationem tum contra nimiam dejectionem juvant, cujusmodi sunt specialis devotio erga Divinum Cor ac

dominicam passionem, devotio erga B. Virginem, quae a Patribus ut quoddam praedestinationis signum praedicatur, accessus devotus ad SS. Eucharistiae sacramentum. Verum qui desperatione agitatur, inquirendus est circa horum motuum originem, utrum oriantur ex inveterato vitio, maxime carnis, an ex melancholico ingenio, an ex diaboli tentatione.

4. Spes seu habitus spei destruitur illis peccatis, quae aut fidem destruunt aut formali objecto spei directe opponuntur, idque rejiciunt; ergo: 1) peccato desperationis; 2) peccato praesumptionis primo modo commisso; 3) destrui potest peccatis praesumptionis secundo et tertio modo commissis; 4) tandem destrui potest per aliquod desiderium perpetuo in hoc mundo vivendi: nimirum si revera homo hoc ita fovet, ut praeferat voluptates hujus mundi beatitudini aeternae.

Caput III.

De caritate.

Cf. S. Thom. II. II. q. 23—29; Suarez *de caritate;* Lessius *de summo bono;* S. Bonav., *stimuli amoris;* S. Franc. Sal., *Theotimus.*

§ 1.

Notio et objectum caritatis.

144 1. Caritas virtus theologica est, qua Deum propter seipsum suasque infinitas perfectiones super omnia amamus, atque nosmetipsos et proximum propter Deum diligimus.

Caritas est amor *benevolentiae* et *amicitiae*, cujus affectus sistit in ipsa persona amata propter se (S. Thom. l. c. q. 23 a. 5 ad 2 et q. 27 a. 3), atque ita distinguitur ab amore *concupiscentiae* seu spei, qui rem sive personam amat propter utilitatem, quae amanti oritur, qui proinde in persona amata non sistit, sed ad amantem redit vel declinat.

2. Affectus, quibus actu amamus, plures sunt (cf. S. Thom. q. 27 a. 2): *complacentia, benevolenia cum beneficentia* (quae erga Deum re ipsa haberi potest relate ad gloriam externam amplificandam), cui adde erga Deum *amorem obedientiae,* quatenus homo hanc in Deum benevolentiam maxime mandatorum observatione probare debet. — Alii actus, ut *gaudium, fruitio, unio* ad priores facile revocantur.

145 3. Objectum *materiale* duplici sensu sumi potest: 1° pro persona, cui bene volumus seu quam amamus. Hoc sensu objectum materiale primarium ipse Deus est, secundarium nosmetipsi atque reliqui homines, vel omnes rationales creaturae, quae ad consortium divinae amicitiae vocantur. Secundarium igitur objectum, seu personae, quas vera caritate praeter ipsum Deum amplectimur, omnes sunt, qui per gratiam sanctificantem vel beatificam visionem in divinam familiam transierunt, aut ad illius consortium divina destinatione et vocatione apti sunt. Vid. I Joan. 4, 20 etc.; 5, 1 et 2; 3, 14.

2° Objectum materiale sumitur pro re, quam dilecto volumus vel desideramus: quo sensu omnes creaturas, quatenus in eis divina perfectio relucet, aut quatenus ad divinam gloriam manifestandam et promovendam conferunt, per caritatem ad Deum referre possumus. Cf. S. Thom. q. 25 a. 11 et a. 3.

4. Objectum *formale* caritatis seu ratio motiva est ipsa Dei 146
summa perfectio ut Dei perfectio est, quae sive in omnibus ejus attributis simul sumptis, sive in singulis attributis, sive sunt attributa absoluta, sive relativa, resplendet. Quidquid enim divinum est, summe perfectum et summe amabile est, atque ad summum amorem merito nos potest provocare.

5. Ut igitur actus caritatis ad *speciem* perfecti amoris pertineat, sufficit, ut ex motivo modo indicato procedat; ut vero *in ratione actûs* perfectus sit, atque simpliciter vocari possit actus (perfectae) caritatis, necessario hae conditiones inesse debent:

1) debet esse non solum quaedam per modum velleitatis complacentia, sed per modum verae et *absolutae voluntatis* Dei ut personae amatae prosecutio; 2) debet esse *appretiative super omnia:* quum sane Deus omnibus anteponi debeat; 3) debet esse tendentia in Deum *efficax,* seu ut vocant, affective efficax, i. e. per voluntatem, quae non tantum divinas perfectiones super omnia aestimet, sed etiam *divinam amicitiam ut conservandam a nobis illaesam* omnibus praeferat, adeoque divina mandata saltem graviter obligantia, posthabitis etiam omnibus bonis vel malis, servare parata est.

Scholion. Ut doctrinam de caritate magis compleam, noto 147
aliquos scopulos, quos vitare debemus, ne aut nimis deprimamus caritatem aut nimis elevemus supra captum communem Christianorum.

Igitur 1. verum quidem est, attributa relativa, ut divinam beneficentiam, misericordiam erga nos, plane posse sufficere pro motivo caritatis dummodo *ut divina* ad Deum pertinentia considerantur: tamen dona a Deo nobis collata motivum non sunt. Neque cum caritate ex ejusmodi attributis oriunda confundi debet gratitudo, poenitentia, religio. Hae virtutes in se morales sunt; neque dolor de peccatis ex earum motivo conceptus peccatorem ante sacramenti realem susceptionem justificat, utut eum disponat, ut facile in actum verae caritatis et perfectae contritionis erumpat. Ita ex sententia saltem longe communiore et probabiliore.

2. Caritas seu amor perfectus et amor imperfectus spei nullatenus sibi adversantur, unus cum altero simul in homine exsistere potest; imo amor spei seu desiderium propriae beatitudinis peccatorem efficaciter movere potest ad actum perfecti amoris seu caritatis, eumque imperare; atque e converso caritas imperare potest amorem spei eumque sibi subjicere atque in Dei gloriam ordinare.

3. Caritas seu amor perfectus, qui ante sacramentum re susceptum peccatorem justificat, non necessario excludit omnem peccati venialis affectum; infimus gradus, qui jam perfectae et justificantis caritatis est, debet solum excludere omnem affectum ad quodlibet peccatum mortale. Longe perfectior autem gradus est, qui impellit ad deponendum omnem affectum venialiter malum; perfectissimus, qui instigat ad

ea quae Deo magis placeant, atque Christo duci nos magis similes reddant. Cf. *Theol. mor.* n. 314 sqq.

§ 2.

De caritatis excellentia et necessitate.

148 1. Caritatem esse homini necessariam, omnibus manifestum est, et colligitur ex I Cor. 13; I Jo. 3. Et quamquam necessitas medii *absoluta* non circa actum perfectum caritatis, sicut circa ejus habitum infusum exsistit: tamen necessitas praecepti ad actum caritatis refertur, atque ipsa medii necessitas re ipsa saepe occurrit, in omnibus iis saltem, qui sacramentum baptismi, sive post gravem lapsum baptismo posteriorem sacramentum poenitentiae suscipere nequeunt.

2. Sicut in fide obligationem interni actûs et externae manifestationis distinximus, ita etiam in caritate illa distinctio fieri potest, eaque tum in caritate erga Deum, tum in caritate erga proximum observanda est.

3. *Manifestatio caritatis erga Deum seu externa probatio ita fieri debet, ut caveamus ab omni peccato gravi.* Quae *animi praeparatio* ad ipsum internum actum necessario pertinet; revera id perficere, est quodammodo caritatis professio: cf. Joan. 14, 21. Praeterea actus externi caritatis erga Deum summopere commendandi omnino sunt, quibus incumbamus ad divinam gloriam quocunque modo promovendam.

149 4. *Internae caritatis obligatio est, ut aliquoties formalis actus caritatis eliciatur.* Sc. obligatio *per se et propter se:* 1) aliquoties saltem in vita, ut habes ex proposition. ab Innoc. XI. damnatis 5. 6. 7; 2) in principio moralis vitae, ut dictum est de fide et spe; 3) similiter circa finem vitae. — Illud autem, quod dictum est, aliquoties in vita obligationem propter ipsam caritatem exsistere, videtur omnino ita intelligendum esse, ut saltem una alterave vice in anno caritatis actus obliget, utpote quo solo plene satisfaciamus debito, nosmetipsos atque bona nostra in Deum dirigendi.

Obligatio caritatis non propter ipsam, sed *propter alia*, attamen *communis*, etiam frequentius urget, ut vix negari potest. S. Alphonso probatur, quolibet mense circiter praeceptum actûs caritatis urgere: quo efficacius sc. homo sese in officio suo contineat atque contra tentationes armet.

Tandem *per accidens* obligatio caritatis oriri potest: 1) ex speciali tentatione, quam aliquis hîc et nunc superare se non posse putat, nisi caritate cum Deo actu se conjungat; 2) ex speciali necessitate, in qua aliquis versari potest, post peccatum grave sese cum Deo reconciliandi, quam reconciliationem actuali sacramenti susceptione aut non potest aut non vult perficere.

5. Quamquam neque ad alia praecepta sine peccato implenda, neque ad meritum supernaturale colligendum caritatis actus necessarius est: tamen supra alias virtutes caritas incomparabiliter majus habet meritum atque ejus dominium adeo late patet, ut omnes aliarum

virtutum actus ex ejus imperio fieri possint. S. Thom. q. 23 a. 8. Cf. *Theol. mor.* n. 321 sqq.

NB. De actibus caritatis erga proximum postea sermo erit.

§ 3.

Peccata contra caritatem.

I. Caritas erga Deum graviter laeditur:

1. *Omissione actûs* caritatis, quando propter se praeceptus est. 150
Verum debuit ad gravem obligationem sufficienter attendi: quod raro fit; neque de gravi obligatione ita accurate instrui possunt fideles.

2. *Odio Dei,* tum si in sola abominatione Dei consistit, tum, idque magis, si in inimicitiam contra Eum formaliter transeat, qua homo de divinis bonis ut Deo bona sunt tristetur similesve affectus voluntarie foveat: est omnium peccatorum gravissimum.

3. *Quodlibet peccatum mortale* aliquo modo contra caritatem est, ut ex prima § patet, atque revera caritatis habitum demeritorie destruit, etiam si salva manet spes et fides. S. Thom. q. 24 a. 12.

II. Caritas erga proximum graviter laeditur:

1) *inimicitia* ejusve manifestatione; 2) *invidia;* 3) qualibet gravi *laesione* proximi, quae frequenter etiam contra justitiam est; 4) *omissione opitulationis* quae spectatis circumstantiis sub gravi debita sit: (ad haec refer *scandalum* sive directum, sive indirectum, atque alieni peccati *cooperationem*). Sed de his peccatis postea fusius.

Tractatus II.

De virtute religionis.

Caput I.

Natura religionis atque affectus intrinsecus ad eam spectantes.

Quamquam per virtutes theologicas, praecipue per caritatem, ad 151
intimum consortium cum divina natura translati atque *filii* Dei vere facti sumus: tamen naturalis conditio omnis creaturae id postulat, ut Deum Creatorem etiam pro domino habeamus atque nobis infinite superiore, et ut secundum hanc relationem etiam officia erga Deum impleamus. Hujus debiti, quod in divina excellentia atque superioritate nostraque omnimoda dependentia fundatur, solutionem respicit virtus *religionis,* quatenus ab ordine rectitudinis et honestatis postuletur. Id vero, quod postulatur, est supremus atque „specialis cultus, quo Deo ut primo omnium principio“ suae majestatis nostraeque dependentiae voluntariam agnitionem exhibeamus atque manifestemus. S. Thom. I. II. q. 81 a. 1.

Actus *intrinsecus* ad hanc virtutem spectantes atque ejus exercitium informantes sunt affectus varii, qui in illud rationale bonum, quod est in solvendo debito cultu erga supremum numen propter ejus summam excellentiam, tendunt, sc. amor illius rationalis boni, complacentia, propositum cultûs exhibendi, electio medii quo re ipsa Deo summam sui numinis aestimationem exprimamus.

Divina illa excellentia considerari potest *in se,* quatenus Deus est nostri atque omnis esse supremus fons, vel quatenus est summus noster benefactor. In *priore* casu habetur pura religio seu latria, in *posteriore* gratitudo, quae suo modo ad virtutem religionis referri potest. — Imo ad ejusdem virtutis ambitum, saltem quatenus infusum habitum spectamus, qui pluribus actibus similibus praesidet, referri potest *tertio fidelitas* erga Deum, si quid in ejus honorem specialiter promissum est, *quarto poenitentia,* quae Deo debitum solvit per divini numinis offensam contractum. Cf. *Theol. mor.* n. 330—335.

Caput II.

De actibus, qui principaliter seu per se religionis exercitium spectant.

Articulus I.

De ipso horum actuum exercitio.

Tres actus hîc recensendi sunt: 1) adoratio cum sacrificio; 2) oratio; 3) reverentia erga res divino cultui dedicatas. Breviter dicturus sum de primo et ultimo, paulo fusius de secundo.

§ 1.

De adoratione et sacrificio.

152 1. Adoratio id pure et directe praestat, quod postulat religio: alii actus id non exclusive faciunt, vel non ita directe. Est igitur adoratio actus, quo pure et directe manifestetur agnitio supremae divinae majestatis nostraque subjectio.

2. Signum obvium hujus supremae excellentiae agnitae communiter est *genuflexio* vel *prostratio,* non ita tamen, ut ex se solo et exclusive eam significet. Si vero dicimus „crucem adorare", haec adoratio „tendit in eum, cujus est imago". S. Thom. I. II. q. 81 a. 3 ad 3.

3. Signum, natura duce ubique ad agnoscendum divinum numen adhibitum, *sacrificium* est: de quo, quum in N. L. unum habeamus perenne sacrificium, Eucharistiae mysterium, postea sermo est. Cf. *Theol. mor.* n. 336 et 337; S. Thom. l. c. q. 85 a. 1 et 2.

§ 2.

De oratione.

Cf. S. Thom. q. 83; Suarez *de relig.* tr. IV; S. Alph. *de orat.* Insuper scriptores pluries citatos, qui de universa theologia morali tractant.

Oratio quae homini christiano imprimis maxime cordi esse debet, 153
quo loco sit habenda, quibusdam principiis breviter declarandis exponam:

1. *Oratio est actus religionis*, etiam ea oratio, quae hîc maxime sumitur, *petitio ad Deum:* nam est nostrae indigentiae et divinae excellentiae Ejusque ut omnium bonorum plenitudinis libera agnitio et professio.

2. *Oratio est necessaria tum praecepti, tum medii necessitate.* Nam per eam homo ratione utens sibi secundum communem Dei providentiam gratias supernaturales conciliare debet, quibus efficaciter difficultates tentationesque occurentes vincat atque in divina amicitia usque ad mortem perseveret. Cf. Luc. 18, 1; Coloss. 4, 2; Ephes. 6, 13. 15; Trid. sess. 6 c. 11; S. Aug. *de dono perseverantiae.*

3. *Oratio debitis conditionibus vestita infallibilis efficaciae est relate ad ea, quae ad orantis salutem conducunt.* — Conditiones praecipuae sunt, ut oratio fiat 1) circa res ad salutem utiles, 2) ex fide et cum fiducia, 3) in nomine Christi atque ejus meritis innixa, 4) cum perseverantia, 5) suo modo etiam cum voluntate divinae gratiae cooperandi. Hinc patet, *infallibilem* effectum restringi ad ipsum orantem; utilissime tamen oramus etiam pro aliis. *Theol. mor.* n. 340 sqq.

4. Orare igitur possumus et debemus pro omnibus necessitatibus, 154
neque solum pro propriis; nam omnes homines in hac terra degentes et animas defunctorum in purgatorio exsistentes oratione juvare possumus et debemus.

5. Oratio proprie et per se ad Deum dirigitur, attamen imploratio intercessionis ad Sanctos, atque etiam, ut pia est complurium opinio, ad animas in purgatorio patientes utilissime fertur. Cf. Bellarm. *de purgat.* l. 2 c. 15; Bonacina *de horis canon.* d. 192 p. 1 n. 81; Elbel tom. 2 *decalog.* n. 398 etc. Sanctos vero utiliter a nobis orari, fidei dogma est, Trid. sess. 25; imo communis sententia est, eum a peccato *saltem* veniali non excusari, qui Sanctorum, maxime B. Mariae V. intercessionem apud Deum non curet. *Theol. mor.* n. 345.

6. Oratio quidem aliquando *per se et propter se* lege divina prae- 155
cipitur, quatenus cultum divinum Deo deferendum continet; at *quoties sub hac ratione* praeceptum grave urgeat, difficulter determinatur. Neque opus est, hac in re immorari, quia sine ullo dubio, longe saepius ejus praeceptum *per accidens* urget ad victoriam de tentationibus orituris reportandam. Porro *hoc* praeceptum fidelibus inculcandum est quam maxime: qui hoc implet, impleverit sane etiam eo ipso illud; qui vero prius *diu omnino* neglexerit, aliis peccatis commissis statum suum miserum jam manifestabit.

De obligatione *veri praecepti* quidem quotidie preces matutinas et vespertinas persolvendi non constat: at christiani omnes exhortandi sunt quam maxime, ut sese hac in re, quantum possint, exhibeant diligentes: qui enim saepius haec omittere consueverit, ne alio quidem tempore, quum ingeritur tentatio, orabit; qui autem fideliter eas persolvere vult, studeat, cum gratiarum actione mane bonam et perfectam omnium actionum suarum intentionem facere et vespere discussa conscientia per contritionem perfectam sese cum Deo componere atque aeternam salutem suam in tuto collocare.

§ 3.

De reverentia rebus sacris Deove dicatis exhibenda.

156 Reverentia et digna rerum sacrarum tractatio in Deum, cui dicatae sunt, aut quocum connexionem habent, redundat, ac propterea recte ad religionis virtutem refertur. Attamen reverentia illa in plerisque rebus potius in negativo, quam in positivo cultu praescripto consistit; aliis verbis, reverentiae causa a quibusdam tractandi modis potius abstinendum est, quam ut certus modus praescribatur. Hinc est, ut de ea materia in sequenti capite potior tractandi locus sit. Certae autem res sacrae, ut sacramenta, quae specialis cultûs objecta sunt, postea ampliore tractatione indigent.

Quod hîc breviter indicem, est cultus sacrarum reliquiarum et imaginum et decreta Ecclesiae praecipua, quae circa hunc cultum ejusque modum versantur. Etsi enim, si Sanctos spectamus eosque propter *suam* excellentiam colimus, non religionem habemus sensu stricto, lato sensu habemus, quatenus comprehendit etiam *duliam*.

1. Ad fidem catholicam spectat credere, imagines et reliquias Sanctorum veneratione dignas esse. V. Trid. sess. 25 decr. *de invoc. Sanctorum,* Pii IV. *in profess. fid. Trid.*

2. Cultus, qui reliquiis, et magis etiam, qui imaginibus exhibetur, *relativus* est, sc. refertur ad eam personam, quae imagine vel reliquiis repraesentatur.

3. Quo fit, ut secundum praxim Ecclesiae alius cultus cruci Dominicae, alius reliquiis vel imaginibus Sanctorum exhibeatur: de quo confer praecepta *ritualia*.

4. Cultus publicus reliquiis exhiberi nequit, nisi ecclesiastica auctoritate recognitae fuerint, neque aliis defunctis hominibus eorumve imaginibus, nisi de quorum sanctitate per canonizationem aut beatificationem constat. — Quo cautius hac in re procederetur, Urb. VIII. Const. „*Coelestis Jerusalem*“ 5. Julii 1634 et seq. decretis plura sanxit tum circa ipsum cultum, tum circa libros, quibus revelationes, miracula ut per homines cum fama sanctitatis defunctos facta narrantur. Cf. Craisson, *Manuale* n. 4888 et 4889.

Articulus II.

De actibus, qui per virtutem religionis prohibentur, seu de peccatis contra religionem.

Cf. S. Thom. II. II. q. 92—100; S. Alph. l. 3 n. 1—120; Suarez *de religione* tract. III.

Religio positive laeditur — nam quomodo negative laedatur, dictum est, praecipue in § de oratione — duplici modo: 1) per superstitionem, qui modus „quasi per excessum“ dicitur, 2) per irreligiositatem, seu „per defectum“, ut vocant.

§ 1.

De peccatis superstitionis.

1. *Superstitio in genere est cultus religiosus vitiosus:* 157
Vitiosus autem esse potest *ratione modi*, quo Deus (Sanctusve) colitur, et ratione *rei*, quae colitur; unde habetur prima divisio in superstitionem *modi indebiti* et *rei indebitae.*

2. Hinc habes priore modo:

1) *Cultum superfluum* seu vanum, quando in cultu vero adhibetur inutilis, vana, inconveniens circumstantia: v. g. si *vim* vel infallibilitatem effectûs ponas in certo situ candelarum in Missa, in certi nominis sacerdote etc.

Ceterum determinatum numerum dierum pro speciali devotione eligere, in honorem SS. Trinitatis vel Christi vulnerum certum numerum precum, bonorum actuum offerre, non est inconveniens vel vanus cultus, sed usu Ecclesiae et piorum hominum consecratus.

Iste autem cultus inutilis plerumque peccatum veniale tantum est.

2) *Cultum falsum* — in quo per solam exceptionem ex materiae parvitate peccatum tantum veniale statuere potes; ex se omnes illi species et modi toti fere sunt peccata mortalia.

Huc igitur pertinet: Deum colere velle cultu a se reprobato, ut judaico, haeretico ritu; laicum arrogare sibi sacerdotales functiones; falsis vel fictis miraculis Dei cultum promovere velle: quae certe omnia infima specie diversa peccata sunt, atque manifeste mortalia. *Theol. mor.* n. 350—352.

3. Ratione rei indebitae habes:

3) *Superstitiosam observantiam:* quo nomine comprehendi possunt 158
omnia illa peccata, quae sive reductive et implicite, sive aperte et explicite in imploranda ope daemonis vel in habendo cum eo commercio nituntur (hinc opponuntur cultui verae orationis).

Neque ex se specie morali distinguuntur, prout est:

a) *vana observantia,* quae improportionatis mediis et vanis utitur ad certos quosdam effectus obtinendos, e. g. sanitatem, scientiam etc.;

b) *divinatio,* quae studet futuros eventus improportionatis mediis cognoscere;

c) *magia,* quae studet ope daemonis ea perpetrare, quae in hominum oculos insiliunt atque vires humanas superant.

Speciem *distinctam* superadditam habes, si suprahumana illa, quae quis patrare studet, in *infligendis malis* consistunt: sc. maleficium amatorium et maleficium veneficum.

Si quis studet aperte commercium cum daemone sustinere, id, si quando revera occurrerit, in confessione aperiri debere, clarum est; nam sive ex sese aliud specie peccatum est, quam implicite et reductive ad diabolum confugere, sive non: sane periculum inducit multorum gravissimorum peccatorum, quum interpretativum et implicitum illud commercium, eo quod propter simplicitatem non attendatur neque in-

tendatur, saltem in vanis observantiis, a peccato mortali saepius excusari possit. Cf. fusius *Theol. mor.* n. 355 sqq.

159 4) *Idololatriam simulatam sive materialem;*

5) *Idololatriam formalem et perfectam;*

6) *Idololatriam formalem sed imperfectam:* Scilicet idololatria est ipsa adoratio quae creaturae exhibeatur tamquam divino numini, sive per sacrificium, sive per genuflexionem, sive per aliud quodvis signum. Est autem *simulata,* si, qui sic adorare videtur, mente re ipsa significare non vult, quod externe exprimit aliisque videtur facere, sed forte metu perculsus. — *Formalis* idololatria est, si quis vere vult significare, quod externus adorationis actus exprimit, eaque est *perfecta,* si ex errore culpabili oritur adeoque et ratio et voluntas collineant, ut honor divinus creaturae praebeatur; *formalis, sed imperfecta,* si quis sciens esse creaturam, nihilominus eam ut Deum honorare (malitiose) intendit. — Ex quibus patet, idololatriam formalem imperfectam esse actum aliis graviorem.

160 Scholion. Quoniam dictum est, superstitionem sese prodere ex medio non proportionato abhibito, facile intelligitur, posse aliquando dubium exsistere, sitne medium effectui proportionatum annon. Quo in dubio, si aliqua probabili conjectura putari potest, naturali causae respondere illum effectum, licebit cum protestatione contra diabolicum interventum medio isto uti; si vero dubium sit, utrum effectus divinae, an diabolicae virtuti adscribi debeat, naturali certo non possit, medio isto uti non licet, quum non liceat Deum tentare. Hinc solves quaestionem, vel saltem in ea solvenda hinc principia petere debes, si agitur de *magnetismo* et *spiritismo,* quem vocant.

Quando enim neque ipse magnetizator serio praetendit, se aliquid suprahumanum agere, neque alia fiunt nisi aut lusoriae quaedam arte et dexteritate inductae sensuum deceptiones, aut ea, quae mira quidem videntur, sed fortasse naturalibus causis non sunt impervia (v. g. ea, quae in naturali somnambulismo accidunt): haec *ex se* peccati damnari non possunt; damnanda nihilominus sunt, si ad pravum finem adhibentur, aut pravis, fortasse impudicis circumstantiis involuta sunt. — Si vero facta ipsa — dummodo enarrationibus fidem adhibere liceat — naturalem explicationem non patiuntur, vel absurdam tantum, ut v. g. *quartae dimensionis* (prout revera quaedam acta esse dicuntur): haec agere aut his cooperari vel assistere, *ex se* peccatum est. Ubi enim moraliter certum est diabolicum praestigium, aut ubi ad illud tandem a praestigiatore sive *vere,* sive *falso provocatur:* ne de tentamine quidem, quo fit provocatio vel cooperatio ad peccatum, num liceat, quaeri potest.

161 Unde concludes: 1. spiritismum, quem vocant, semper gravissime esse peccaminosum, sive ex sese, sive ex praestituto sibi fine negandi veram religionem et praecipua mysteria christiana;

2. tabularum rotationem cum responsis per eas datis rectissime tulisse compluribus edictis ecclesiasticis justam condemnationem;

3. magnetismum vitalem seu animalem cum omnibus illis adjunctis, in quibus communiter nunc se prodet, aequali condemnatione esse comprehendendum; si vero aperta praestigia et morum gravia pericula aliquando abfuerint, approbandum quidem vix unquam, tole-

randum tamen vel potius silentio premendum esse interdum. Timendum est, ne *hypnotismus modernus* alia voce rem eandem dicat atque magnetismum. *Theol. mor.* n. 359—363.

§ 2.

De peccatis irreligiositatis.

Praeter peccata hucusque enumerata contra religionem per quasi-excessum, alia sunt contra religionem *per defectum,* i. e. quae ex *natura sua* aliquid cultui contrarium indicant, sc.: blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, simonia. Priora duo per se sunt *directe* contra Deum; alia directe contra res Deo sacratas, contra ipsum Deum igitur *indirecte.*

Punctum I.

De blasphemia.

1. *Blasphemia est derogatio excellentiae divinae Deo illata* (S. Thom. 162
II. II. q. 13 a. 1), praecipue quando cum erroneo intellectûs conceptu conjungitur detestationis seu contemptûs affectio. Communiter vero verbis vel signis ad alios directis profertur: quo habetur *locutio Deo contumeliosa* ut vulgaris blasphemiae definitio; modo attendas, etiam solum internum affectum vere blasphemum seu Deo *contumeliosum* esse posse. Est igitur ex genere suo toto peccatum contra religionem gravissimum.

2. *Specificâ malitiâ distinguitur:* 1) blasphemia *haereticalis,* si mentis judicio id re ipsa tenetur vel putatur, quod probrosum de Deo dicitur; 2) blasphemia *imprecatoria,* qua contumeliae erga Deum adjungitur mali adprecatio, sive ipsa mali adprecatio contumeliam in Deum continent, sive modus malum adprecandi Deo est contumeliosus (ut mortem, damnationem adprecari per vulnera Christi etc.); 3) blasphemia *mere probrosa,* quae praeter Dei contumeliam aliam malitiam non habet.

3. *Etsi blasphemia non admittat parvitatem materiae, eam tamen admittit mera in Deum irreverentia.*

Nota: 1. Non semper, quando verba objective haereticalem con- 163
tinent blasphemiam, re ipsa haeresis peccatum committitur, v. g. si quis dicat: „Deus mei plane oblitus est, injuste in me agit.“ Nam si loquens haec pro falsis habet, etsi non eo ipso excusetur a blasphemiae peccato, tamen ab haeresi immunis est.

2. Deo contumeliosum, proin blasphemum est, res divinas et sanctas Deove conjunctas, quae ex institutione vel natura sua sint ad hominum salutem, desiderio impio transferre in hominis perniciem, aut eas *contemptim* nominare, vel per contemptum vilibus verbis adjungere; non contumelia proprie dicta, sed sola irreverentia est, ejusmodi res sacras cum ira — non in ipsas res sacras — nominare. — Subjective aliquando homines gravius peccare possunt, quum habeant pro blasphemia ea quae non sunt: igitur dedocendi sunt.

3. Blasphemia in Sanctos *praeter* laesionem *duliae,* quae ad virtutem *observantiae* revocatur, etiam indirecte *religionem* laedit et sic veri nominis blasphemia est: etsi sunt multi, qui mortalem malitiam unam tantum, i. e. contra Deum, in ea esse atque ita in confessione eas distingui non esse necesse putent. *Theol. mor.* n. 369.

4. Blasphemia ex eo non cessat esse blasphemia, quod ad incutiendum terrorem, aut quod per jocum dicatur, si revera ille jocandi modus Deo probrosus est; aliter dicendum est, si propter jocum probrum erga Deum cessat.

164 5. In dijudicandis locutionibus, quas homines pro blasphemiis (vel maledictionibus) accusant, tum verba, tum affectus et advertentia loquentis consideranda sunt. — Si manca est locutio, quae tamen ex communi hominum usu vel acceptione ita consueverit suppleri, ut sit et conseatur blasphema, ut blasphemia tractanda est, saltem objective: si vero sensus plane corruptus est, neque a proferente neque ab auditore sensus blasphemus intelligitur, expressio non ut blasphemia est tractanda.

6. Qui consuetudinem habent verba objective blasphema proferendi, sub gravi tenentur adlaborare ad hanc consuetudinem exstirpandam: quod si serio faciunt, singulis vicibus, quibus prorumpunt in illa verba, facile sumi potest, abfuisse perfectam attentionem; qui vero non adlaborant serio, credendi sunt facilius habuisse sufficientem advertentiam; imo, etsi — id quod contingere potest — in singulis casibus non semper satis attenderint, semper tamen manserunt in peccato mortali continuato, eo quod causam peccati non sustulerint.

Punctum II.

De tentatione Dei.

165 1. *Tentatio Dei* secundum S. Thomam II. II. q. 97 a. 1 *est dictum vel factum, quo quis aliquam Dei perfectionem explorat,* vel quo quis experimentum de Deo sumit: haec aut *formalis* sive expressa esse potest, aut *interpretativa* tantum, sc. actio quae id non proprie *in*tendit, at natura sua in id tendit.

2. Formalis tentatio praeter ipsum Deo injuriosum tractandi modum, qui propria est malitia contra religionem, supponit gravissimum peccatum aliud contra fidem, infidelitatem vel haeresim: proin semper *mortale* peccatum est. Item mortale peccatum est, expresse et temere curiositatis causa miraculum a Deo petere. In reliquis modis Deum interpretative tentandi, ut in temeraria exspectatione specialis Dei auxilii, parvitas materiae et inconsiderantia peccatum reddere potest *veniale:* dico, reddere *potest;* quia nullatenus semper veniale redditur.

NB. Quando vero in periculis temere subeundis non adest illa specialis auxilii divini exspectatio, non tentatio Dei est, sed peccatum gravius vel levius contra quintum decalogi praeceptum. *Theol. mor.* n. 374—377.

Punctum III.

De sacrilegio.

166 Sacrilegium aliquando vocatur quodlibet peccatum contra religionem (v. Mazzotta tr. 2. q. 1 c. 3; S. Alph. l. c. n. 33—48), ut S. Aug. sacrificia idolis oblata sacrilegia vocat. Verum haec est lata et impropria vocis acceptio. Igitur:

1. *Sacrilegium* ut peccatum speciale contra religionem est *„violatio rei sacrae“, rem* sumendo late etiam pro personis seu pro *quolibet* quod *sacrum* est; est autem sacrum, quodcunque aut lege divina aut ecclesiastica ad divinum cultum destinatum est.

2. *Distinguitur* sacrilegium *reale, locale, personale: rem* sumendo pressius. Quae distinctio infert malitias sacrilegiorum specie distinctas; at eâ habes etiam probabiliter *infimam speciem* sacrilegae actionis, quatenus *sacrilegium* est, nisi forte quaedam actiones realis sacrilegii eximendae sunt. Cf. S. Alph. l. c. n. 34. Hoc autem non impedit, quominus plerumque actio ipsa, per quam sacrilegium commissum fuerit, in concreto accusari debeat in confessione, quia actio plerumquo aliunde jam suam malitiam habet.

3. *Reale sacrilegium* versatur contra diversas res sacras, quales 167
sunt: Sacramenta et sacramentalia, imagines et reliquiae Sanctorum, sacra Scriptura aliive libri sacri, caerimoniae ad cultum Dei destinatae, vasa et vestimenta sacra, bona ecclesiastica, i. e. quae sunt in dominio Ecclesiae: (quapropter agros ecclesiae occupare, sacrilegium est; decimas non solvere, quamquam est contra religionem, proprie sacrilegium non est). Diversimode igitur peccari potest reali sacrilegio, ut: Sacramentorum indigna susceptione, administratione, SS. Eucharistiae injuriosa tractatione etc., vasorum sacrorum profanatione, rerum sacrarum incuria, abusu S. Scripturae ejusque verborum etc.

4. *Locale sacrilegium* committitur: 1) per furtum rei ab ecclesia, cujus custodiae tradita erat; 2) per violationem immunitatis ecclesiae; 3) per quemlibet actum peccaminosum, quo ecclesia polluitur, et quolibet peccato luxuriae, saltem si manifeste est externe grave; 4) per actiones profanas, sive in se peccaminosae sunt sive non, quas exerceri sanctitatem loci specialiter dedecet. — Pro ecclesia autem sume etiam sacellum publicum auctoritative ad cultum divinum destinatum, etsi nondum consecratum vel benedictum: imo, restricto quidem sensu, etiam accessoria ecclesiae, ut coemeterium ejus, loca *sacra* sunt. — Plura de hac materia in tractatione SS. Eucharistiae et sacramenti Ordinis. Haec de *locali* sacrilegio ex genere suo mortali dicta sunt: nam venialis sacrilegii malitia longe pluribus peccatis in loco sacro commissis inest.

5. *Personale sacrilegium* committitur: 1) luxuriosa tractatione personae sacrae; 2) percussione sacrae personae ex canone ‚si quis suadente diabolo‘; 3) immunitatem personalem clericorum violando.

6. *Sacrilegium mortale quidem peccatum est ex genere suo, idque certe ex valde gravibus; nihilominus aliqua sacrilegia materiae parvitatem admittunt*, ut exemplum habes in furto. — Vide omnia fusius in *Theol. mor.* n. 378—385.

Punctum IV.

De simonia.

I. Simonia, singularis species sacrilegii, a Simone Mago dicta, 168
consistit in aequiparatione rei spiritualis cum temporali, vel in actione propter illius periculum prohibita.

1. Communiter definitur: *Studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquod spirituale sive spirituali annexum pro pretio temporali;* ita tamen ut sufficiat ad contrahendam labem simoniacam, etiam mediate tantum sibi viam parare ad habendam rem spiritualem.

2. Tria membra definitionis habes, quae sunt magis declaranda: 1) pretium temporale; 2) res spiritualis aut rei spirituali annexum; 3) studiosa voluntas etc.

Res temporalis est: a) munus a manu, b) munus a lingua, c) munus ab obsequio. Munus a manu intelligitur pecunia et quaelibet res, quae subjacet commercio et commutationibus inter homines. — Munus a lingua sunt: intercessio, patrocinium, laus et commendatio. — Munus ab obsequio sunt: famulatus, negotiorum gestio, humilis subjectio, et similia.

3. *Res spiritualis* diverso modo esse potest, ut: gratia sanctificans, gratiae gratis datae, sacramenta, sacramentalia etc., jurisdictio ecclesiastica sive spiritualis. — Res spirituali annexa, quae nequit temporali pretio comparari, sub reatu simoniae, est aut *concomitanter, sed intrinsece annexa,* ut labor in ipsa celebratione Missae necessario impendendus, aut *consequenter* annexa, ita ut illud spirituale antecedenter et principaliter exsistat, v. g. beneficia ecclesiastica, quae dantur consequenter ad sacra officia et functiones.

169 NB. 1. Igitur simonia ex se non est, accipere pretium temporale pro labore *extrinsecus* concomitanter rei spirituali annexo, v. g. pro longo itinere ad celebrandam Missam instituendo; neque pro re, quae antecedenter temporali pretio digna exsistit, et cui consequenter spirituale aliquid annectitur, ut agro jus patronatûs, modo ne propter spirituale rei pretium augeatur. — Nihilominus in rebus minoribus Ecclesia prohibuit — et sane propter simoniae periculum prohibere id juste potest — ne res (coronae, cruces etc.) benedictae indulgentiisve ditatae vendantur.

NB. 2. A simonia immune est, accipere aliquod — *si tamen justus titulus adsit* — tantum *occasione* rei spiritualis: sicut justus est titulus sustentationis, esse potest redimendae injustae vexationis etc.

NB. 3. Si res temporalis et spiritualis connexae sunt: fit, ut hoc idem objectum conjunctim consideratum et temporalis et spiritualis res dici possit et debeat, et ut per commutationem eorum sine legitima potestate factam simonia committatur: sicut re ipsa fit permutatione beneficiorum ecclesiasticorum.

170 4. *Studiosa voluntas emendi vel vendendi etc.* varie exerceri potest; hinc distingue: Simonia *mentalis* est, qua exhibetur alteri aliquod temporale ea intentione, ut obligetur ad dandum spirituale, aut vice versa; ita tamen, ut haec prava intentio exterius non prodatur, neque alter ullo modo ostendat, se id suspicari atque in ea re consentire[1]. — *Conventionalis* dicitur ipsa pactio utrimque facta. — *Realis* simonia est, si simoniacae pactionis impletio ab utraque parte saltem inchoata est. —

[1] Attamen re ipsa quaedam externa commutatio rei sacrae cum non sacra fieri debet; alioqui non est ullo modo simonia; „studiosa illa voluntas“ semper aliquo modo exsecutioni data esse debuit.

Additur *confidentialis* circa beneficia ecclesiastica. Haec habetur, si quis beneficium ecclesiasticum conferens seu procurans sibi (vel tertio cuidam, cui favet) aliquid beneficii illius reservat, nimirum *partem* redituum, vel totius beneficii in futuro *receptionem*. Quodsi non solum beneficium ecclesiasticum sic acceptum sit, sed etiam ex altera parte simoniaca pactio coepta sit impleri, simonia evadit etiam *realis*.

Concludes, simoniam esse: *pro* pecunia aliave re temporali tamquam 171
pretio Missam dicere, sacramenta conferre, absolvere a censuris etc., verbum Dei praedicare; interdum, stipendium justo majus *exigere* (aliud est, oblatum recipere): spirituali potestate seu jure etiam contra aliquem uti, v. g. pro pecunia ab altero oblata tertio cuidam denegare absolutionem, a suffragio excludere; eos, qui conferendo beneficio ecclesiastico prodesse vel obesse possunt, re temporali sibi gratos et faventes reddere; nolle conferre beneficium, nisi alter se humiliet, obsequium praestet; examinatores synodales aliquid rei temporalis pro examine accipere.

Neque excusat a simonia palliata emptio et venditio, ut si sub specie gratuitae donationis implicite justitiae contractus attentatur. — Simonia autem non est: stipendium Missae sive sustentationis, sive eleemosynae titulo accipere; pro dispensationibus taxam pecuniariam imponi a supremo Ecclesiae principe vel cum ejus consensu ad causas pias impendendam; ab injustis Ecclesiae vexatoribus Ecclesiae libertatem oblata pecunia vindicare (committunt tamen simoniam ipsi illi, qui injuste vexant, si aliter nolint desistere). Vide plura in *Theol. mor.* n. 390—400.

II *Poenae* contra simoniam latae sunt multae et diversae. — 172
Praecipuae sunt hae:

1. Censura excommunicationis lata est 1) in simoniam *realem* a) *in beneficiis eccles.*, vel b) in *ingressu religionis;* 2) in simoniam *confidentialem;* 3) in quaestum ex certis gratiis spiritualibus; 4) in mercimonium cum *stipendiis Missarum;* 5) quaelibet censura jam antea constituta in simoniam circa S. Pontificis electionem lex manet. De his omnibus accuratiora vide P. II. *de censuris* n. 1170.

2. Nullitas collationis beneficii simoniacae et inhabilitas ad illud ita statuitur, ut ne ipse innocens quidem tali collatione beneficium valide acquirat, sed summum triennali pacifica possessione.

3. Privatio beneficiorum jam obtentorum et inhabilitas ad alia statuitur contra: 1) reos simoniae realis in benef. eccl., 2) simoniae confidentialis; 3) in examinatores synodales munera accipientes; 4) in eos, qui pro gratia vel justitia obtinenda apud S. Sedem munera admittunt vel promittunt sive dant; quae poenae *aliquam* saltem sententiam judicialem supponunt, nisi excipias in n. 3) poenam privationis beneficiorum jam obtentorum.

4. Infamia juris et proin irregularitas incurritur ex *qualibet* simonia *utcunque notoria*.

Caput III.

De actibus, qui secundarie ad exercitium religionis pertinent, de voto et juramento.

Quae secundo decalogi praecepto attinguntur: „*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*“ Ex. 20, 7.

Cf. S. Thom. II. II. q. 88 et 89; S. Alph. l. 3 n. 133—263; Suarez *de relig.* tract. V. et VI.; Sanchez *in decal.* lib. 3 et 4.

Articulus I.

De juramento.

§ 1.

De natura juramenti.

173 1. *Juramentum est invocatio Dei in testem veritatis.* — Quod si nude in se sumitur, habes juramentum *mere assertorium.* — In juramento *promissorio* id ipsum habetur, sc. veritas, pro qua Deus ut testis invocatur, est, promittentem habere animum implendi; verum insuper contrahitur obligatio coram Deo, quasi ut fideijussore, standi promissis. — In *exsecratorio* juramento Deus invocatur ut testis veritatis, et simul ut vindex mendacii, vel fidei fractae.

2. Deus invocari ut testis potest *explicite* in se, aut *implicite* in creaturis, in quibus divina attributa peculiari modo relucent, ut si juratur per crucem, Evangelium etc. — Si quis vero in creatura sistere vellet, jurando committeret insignem blasphemiam et idololatriam, ut ille, qui jurat per falsos deos.

3. Principaliter quidem juramentum pendet ab intentione jurantis, ita ut verba per se ambigua ex jurantis intentione vere evadant juramenta, imo ipsa verba ex se non apta: tamen necessarium est videre, quaenam verba *objective* juramentum exprimant. Ab hoc enim inter alia v. g. pendet, utrum qui contra mentem ejusmodi verba effutire consueverit, obligari sub gravi debeat ad eam consuetudinem exstirpandam, necne.

Igitur *objective* juramentum non est, dicere:

„Per fidem meam“ (i. e. per fidelitatem; aliud, si dicas: „per fidem catholicam“; — „per fidem sacerdotalem“, non est verum juramentum, at *loco* juramenti sumitur, atque in promissis gravem solet secum ferre obligationem), „per juramentum meum“ (deest *Dei* invocatio); „Deus novit, coram Deo loquitur“ (deest Dei *invocatio*); „spondeo caput meum, vitam meam“.

Formula: „Deus me puniat, nisi ita sit“ objective apta est, quae constituat juramentum exsecratorium; „diabolus me rapiat, moriar, etc.“ *possunt* idem constituere, si attentio et intentio dirigitur in Deum divinamque providentiam vel permissionem.

4. Jurare *sine animo sese obligandi* (in promissione), non est verum, 174
sed fictum juramentum; jurare cum animo sese obligandi, sed *sine animo implendi,* perjurium est. — *Fictum igitur juramentum promissorium pro circumstantiis modo veniale, modo mortale peccatum esse potest.*

Est veniale, si de fictione aliis constat et locutio ista sola vana usurpatio nominis Dei apparet; item si sic ficte juraus vult omnino promissionem implere neque tamen vere in se sumere obligationem *religionis.* Mortale peccatum est, ficto juramento divinoque nomine abuti ad aliorum gravem deceptionem. Plura vide in *Theol. mor.* n. 409.

5. Juramentum debitis conditionibus munitum actus religionis est, 175
utpote qui exhibeat divini numinis ejusque omniscientiae et sanctitatis agnitionem; sed carens debitis conditionibus, peccatum est: quae sunt *judicium, veritas, justitia.*

Defectus *judicii seu causae proportionatae,* i. e. levitas jurandi, ex se *veniale* est peccatum.

Defectus *veritatis* tum in assertorio, tum in promissorio juramento (quatenus assertionem continet) grave peccatum est, neque admittit parvitatem materiae. — Attamen nota, 1) sufficere posse moralem certitudinem, ut jurare liceat; 2) esse causas, in quibus liceat uti restrictione non pure mentali.

Defectus *justitiae* diverso modo potest committi: 1) Si quis utitur juramento, ut promoveat veram, sed *injustam* assertionem eamque graviter peccaminosam, vel ut utcunque finem graviter peccaminosum promoveat, novo peccato gravi contra religionem peccat. 2) Si *promittit,* rem peccaminosam se facturum, in se veram puto omnino sententiam, esse semper mortale peccatum, sive res promissa ex se mortaliter, sive venialiter mala est. Attamen jurantes, se rem venialiter malam facturos, practice saepe a mortali peccato excusentur, saltem si res promissa non *manifeste ut peccaminosa* promittitur. Cf. *Theol. mor.* n. 413.

§ 2.

De obligatione juramenti promissorii.

1. Juramentum promissorium *supponit* alium actum, i. e. aut 176
solum propositum (etsi verbis enuntiatum), aut promissionem vere dictam sive Deo sive homini factam. — In posteriore casu jam alia obligatio (justitiae vel fidelitatis) adest, cui accessoria religionis obligatio per juramentum adjungitur; in priore sola religionis obligatio stricta est.

2. *Juramentum,* quamquam auget et acuit obligationem, tamen ex regula communiter agnita *„sequitur naturam actûs“,* i. e. ejus, qui supponitur, ita ut obligationis extensio et interpretatio, caducitas, revocabilitas a suppositi illius actûs natura pendeat.

3. Si voluntas implendi juramentum adfuit, quando committebatur: ejus *impletio parvitatem materiae,* ex sententia omnino communiore et practice tenenda, *admittit.*

Explicationis causa adverte ad 2 et 3.

177 1) Promissio etiam jurata, quae ad absentem dirigitur, ante acceptationem non valet, imo interim juramento non obstante, revocari potest.

Similiter si promissarius *remiserit* obligationem, ne juramenti quidem obligatio amplius subsistit.

2) Notabilis rei promissae, vel conditionis promittentis mutatio, efficere potest, ut juramentum corruat. — Quae in contractibus de errore, dolo eorumque in obligationem influxu dicuntur, fere huc ad juramentum refer.

3) Gravior quaedam quaestio est de juramenti metu extorti obligatione, sitne obligatio standi promissis: quamquam jus statim repetendi certo adest. Quibusdam igitur videtur, hanc lusoriam esse et proin nullam obligationem; aliis, reverentiae erga Deum causâ standum esse promissis, aut — quod sane liceat — quaerendam juramenti dispensationem per Ecclesiae ministros. — Si, qui juravit, restrictionem ex circumstantiis non pure mentalem fecerit, res sine negotio componitur. *Theol. mor.* n. 417.

4) Quam late extendatur objectum promissum, intelligi debet ex intentione jurantis sive certo sive per justam conjecturam investigata: ad quam investigare, *finis intentus* quis fuerit, multum juvat, v. g. sitne ab eo, qui juravit, se non amplius lusurum, mortificatio, an evasio periculi finis intentus. *Theol. mor.* n. 418.

178 5) Obligatio juramenti secretorum servandorum graviter vel leviter laeditur si quid revelatur, prout grave aut leve nocumentum sequi posse jure putatur: generatim non amplius est obligatio, si res aliunde notae evaserunt.

6) Juramentum statuta, leges etc. servandi intelligitur de generali voluntate iis subjacendi, manente obligatione singulorum sub peccato gravi, sive levi, sive sub poena tantum, quatenus sine juramento aderat; neque leges vel regulae jam abolitae vel vi sua destitutae per tale juramentum resuscitantur. — Si vero quaedam leges injustae seu iniquae cum aliis conjunctae sint illaeque *efferantur*, juramentum praestare non licet sine protestatione, qua illae *expresse* rejiciantur. *Theol. mor.* n. 420 et 421.

179 7) In genere vero, si quid illicitum jurejurando promissum esset, non solum non esse obligationem implendi, sed esse obligationem non implendi, clarum est. Qui religionis causa promissum, quod tamquam malum et illicitum cognoscit, conaretur implere, novam eamque *per se* omnino gravem injuriam Deo irrogaret.

8) Ex omnibus illis jam patet, saepe juramenta, quae in commercio humano ex levitate fiunt, propter plures causas non obligare, ut accidere potest in juramentis: pluris non vendendi, filios puniendi, alterum non praecedendi etc.

9) Juramenti obligatio, quatenus solius *religionis* obligatio spectatur, ex justa causa solvi potest per *dispensationem* ecclesiasticae auctoritatis; obligatio autem justitiae, si qua est, solvi aliquando potest non solum ab eo, cui interest promissum impleri, sed etiam cui forte potestas competit sive in rem promissam, sive in voluntatem hominis promittentis. Cf. ea, quae postea de voti dissolutione per dispensationem et irritationem dicentur.

Articulus II.

De voto.

Votum ex doctrina S. Thomae II. II. q. 88 a. 1 et 2 est „pro- 180
missio Deo facta"; quae definitio totam voti essentiam declarat; alia, quae adduntur, tantummodo explicatio quaedam sunt. Ut penitius rem inspiciamus, agendum est: 1) de actu promittendi; 2) de re, quae promittitur (seu de materia, objecto voti); 3) de obligatione hujus promissionis; 4) de voti seu ejus obligationis cessatione.

De acceptatione, quae alioquin in promissione requiritur, nihil dicendum est, quia Deus, omniscius et ubique praesens, rem sibi bene placentem statim acceptare censetur.

§ 1.

De actu vovendi.

1. Promissio, qua Deo aliquid vovemus, debet esse *seria et vera*, i. e. susceptio obligationis in conscientia sub peccati reatu, non merum propositum: quod nota apud rudes, qui propositum et promissum non satis distinguunt; nec verbum „promitto" semper indicat verum votum. S. Alph. n. 199.

2. Promissio debet esse satis *deliberata;* quae scilicet procedat et ex cognitione tum verae promissionis tum rei promissae, et ex libera voluntate: quare tum ignorantia et error, tum defectus libertatis voto obstant. S. Alph. n. 196 ex Busenb. et communi sent. V. g.: si quis puer nesciens quid sit peccare, aliquid promitteret; si quis peregrinationem certam pedestrem promittat, quam putat esse trium leucarum, quum sit decem leucarum, quas non fuisset promissurus.

3. Promissio debet *Deo* fieri, seu in honorem Dei: quare si quis aliquid promittit Sanctis, sistendo in ipsis, est actus voto similis quidem, sed inferior, nimirum actus *duliae;* plerumque autem promissio erga Sanctos ita sumitur, ut ad honorandos Sanctos Deo aliquid promittatur — quod votum est (Suarez tr. 6 *de relig* lib. 1 c. 16; S. Thom. l. c. a. 5): imo de harum promissionum imperfectiorum dispensatione etc. idem dic, quod de votis.

4. Promissio haec est simplex aut solemnis; absoluta aut conditionata; pura aut cum alio fine conjuncta; personalis, realis, aut mixta: unde diversi nominis vota habes.

Hinc resolves: 181

1. Qui *dubitat,* utrum votum fecerit, an merum propositum: si ex adjunctis res rationabiliter certa fieri nequit, non obligatur; nam ut legis, ita etiam voti exsistentia probari debet.

2. Qui *ficte* vovet, nolens se obligare, per se ad votum non tenetur, neque *per se graviter* peccat; potest graviter peccare ex circumstantiis. S. Alph. n. 201 Q. III. cum aliis.

3. Requiritur ad vovendum aetas discretionis: quare post septennium aetatis in *dubio* praesumitur pro valore voti, antea pro nullitate. S. Alph. n. 196.

4. Qui habitualiter nescit, quae sit voti obligatio, etsi verbotenus promittit, verum votum non facit: nisi forte post annos plenae discretionis per voluntatem praevalentem omnino ita facere intendat, ut alios facere audivit vel vidit. Reuter p. 2 n. 328. — Qui vero habitualiter novit voti obligationem, atque deliberate aliquid Deo promittit, votum verum facit, etsi forte in actu vovendi ad obligationem non expresse attenderit, vel non attendisse sibi videatur.

182 5. Qui *erravit* in re promissa, ad votum non tenetur, si error erat: a) de substantia rei utcunque; b) de circumstantiis rei talibus, quas si cognovisset, non vovisset; c) circa causam finalem (id quod in votis puris et perfectis non potest accidere). — At in votis, per quae vitae status assumitur, nullus error votum invalidum reddit, nisi versetur de rei *substantia*. S. Alph. n. 198, 7. — Leviores errores nulli voto per se obstant.

6. Votum emissum *ex metu gravi* injuste incusso ad votum extorquendum ex sententia practice tuta invalidum est (v. S. Alph. n. 197): sive id repetis ex natura rei, sive ex positiva Dei declaratione.

Metus *levis*, si de voto in foro publico Ecclesiae agitur, admitti nequit tamquam causa excusans; neque in votis privatis facile credi potest, eum fuisse totam causam vovendi: quod si tamen constat, vota privata, si solum res agitur inter voventem et Deum, in foro conscientiae non certo obligant; magis etiam ratio habetur dispensandi. Imo etiam metus gravis, sed non injuste incussus voti obligationem essentialiter intactam relinquit, etsi causam dispensandi facilius subministret.

183 7. De distinctione voti simplicis et solemnis infra, tractantes de statu religioso, dicemus. Hic noto distinctiones sequentes:

1) Votum *absolutum* et *conditionatum* quid sit, ex ipso nomine intelligitur. Conditionatum igitur votum, impleta conditione, evadit absolutum. Quoniam vero postea de faciliori conditionatorum votorum dissolutione aliquid dicetur, hîc moneo, non omnia, quae per modum conditionis (etsi per barbarismum) exprimuntur, veras esse conditiones, sed saepe temporis dumtaxat determinationes; v. g.: promitto vitam religiosam, „si parentes mortui fuerint“, vel „si convaluero“, pro diverso sensu sunt aut verae conditiones, aut solum temporis determinationes.

2) Votum est *determinatum* aut *disjunctivum*, prout res aliqua certa et determinata promittitur, aut unum aliquid ex pluribus juxta electionem et arbitrium (plerumque ipsius voventis) determinandum.

3) Votum *purum* aut *ex alio fine* factum est, prout solus amor ad rem promissam et intentio ad Deum re illa promissa honorandum voti causa motiva est, aut alius finis proxime movens est, v. g. si ad implorandam a Deo conservationem amici voveo piam peregrinationem. (Attende discrimen talis voti a voto conditionato: „si amicus salvus redierit“. In utroque casu salus amici finis est; sed in uno casu statim me obligo ad rem piam praestandam, in altero postquam rem optatam a Deo obtinuero.)

Ad ejusmodi vota etiam pertinent vota *poenalia*, per quae aliquis promittit certum aliquod opus pium pro casu, quod tale vel tale

peccatum commiserit. Dicuntur etiam *poenalia praeservativa,* quatenus homo tali voto sibi ipse intendit fraenum injicere, quo in suo officio facilius contineatur, ne peccet: v. g. „voveo jejunium, si temperantiam laesero." — Ejusmodi vota sunt aut *mere poenalia,* aut *poenalia mixta,* prout non omissio peccati seu defectus, sed sola poena objectum voti est, aut utrumque; posterioris exemplum habes: „voveo servare temperantiam, quam si laesero, jejunare."

4) Votum dicitur *personale, reale, mixtum:* prout aut actio ipsius voventis promittitur, aut res aliqua utcunque danda, aut res danda per ipsam personalem voventis actionem; v. g. orare, eleemosynam dare, propriis manibus pauperem ad convivium recipere.

§ 2.

De re, quae promittitur in voto.

Quum votum sit promissio Deo facta, objectum promissum debet 184
tum in potestate voventis esse, tum Deo placere: alioquin a Deo accipi nequit.

1. *Ut igitur ex parte rei votum subsistat, res debet* 1) esse *possibilis,* tum physice, tum moraliter loquendo; 2) debet esse res *moraliter bona,* imo *majoris boni non impediens* — quod vocant *„de bono meliore".* Cf. S. Alph. n. 202 et 207.

2. *Quare valet* quidem *votum ejus rei sive actionis, quae aliunde jam obligatoria est,* adeoque votum non committendi hoc vel illud peccatum; sed votum suscipiendi statum contra evangelica consilia communiter non valet. Cf. Wirthmüller *de voto* § 70, 20.

3. *Factum alienum voti objectum proprie esse non potest.* Qui autem jus in alios habet, voto sese obligare potest ad impendendam omnem suam potestatem et auctoritatem, qua alterum ad pium opus permoveat. S. Alph. n. 216. Multo magis parentes, qui filios suos statui clericali vel religioso devovissent, vi voti tenerentur nullum obstaculum ponere, si filii forte sponte eum statum eligerent.

Unde fluunt multa practica consectaria: 185

1. Non valet votum *de re plane inutili;* non de re objective moraliter indifferenti, quae ex circumstantiis indifferens manet; minus etiam de re mala (— quam vovere, blasphemia est); idem dic de re in se quidem bona, sed quae ad finem malum dirigitur, v. g. si quis voveret procurare Sacrum, quo juvaretur in profligando adversario in duello — (aliud esset, si solum intenderetur propria incolumitas; item si motivum non finale, sed impellens malum sit, v. g. si quis ex vana gloria vel ira rem in se bonam voveat).

2. Similiter votum *rei* a legitimo Superiore *prohibitae* non valet; neque generatim urget votum, quando ejus impletio collidit cum impletione alicujus legis.

3. Votum *non peccandi,* si sic indeterminate et generaliter sumitur, 186
non valet; — valet de vitandis peccatis mortalibus, atque etiam de certo peccatorum venialium genere. Verum ejusmodi vota nisi cum discretione facienda sive permittenda non sunt, quum fieri possit, ut ex temeritate vovendo graviter peccetur, etiamsi votum valeat.

4. Votum *faciendi* semper id, quod *perfectius* visum fuerit, quod miramur in aliquibus Sanctis, permitti nequit nisi hominibus diuturna sanctitate probatis; idem dic de voto non committendi certum aliquod peccatum in iis speciebus, in quibus difficile valde est, quemlibet venialem defectum vitare, ut in cogitationibus internis, in cibo et potu sumendo, in verbis otiosis vitandis etc.; v. Sanch. l. c. n. 18.

5. Votum *non petendi dispensationem* voti, *sensu limitato valet, illimitato non* valet. Nam si justa causa dispensationis deest, imo nisi melius et utilius sit, dispensationem peti, votum valet. S. Alph. n. 208.

Attamen, interdicta dispensationis petitione, commutatio peti potest, imo etiam dispensatio ex justa causa a Superiore non petenti *offerri,* atque tunc ab eo qui vovit *accipi* potest: siquidem non vovit, se votum suum manifestare vel dispensationem oblatam acceptare nolle.

6. Votum *communitatis* celebrandi quotannis festum, jejunium etc., vi voti obligat voventes; potest, accedente lege ecclesiastica, ex ea pro posteris obligatio esse: praeterea illis beneficium a Deo olim impetratum obligationem quasi gratitudinis potest imponere.

§ 3.

De voti obligatione.

187 I. Generaliter observa:

1. Ut votum additum actionis bonae meritum multum auget, ita ejus *violatio est ex genere suo peccatum grave contra religionem, admittens tamen parvitatem materiae.* Specifica autem malitia voti laesi probabiliter non mutatur, *qua peccatum est contra religionem,* pro rerum promissarum diversitate: quod observandum est ad alleviandam confessionis integritatem hac in re.

2. *Vovens ipse* autem, sicut non vovere potuit, ita etiam *potest imperfecte vovere, seu rem gravem sub obligatione levi,* exceptis votis illis, quibus ecclesiasticus status assumitur (S. Alph. n. 213): verum haec imperfecta promissio non praesumitur, sed vovere censetur vovens secundum ipsam rei gravitatem, nisi contrarium constiterit.

188 3. Quaenam res sit gravis, quae levis, aut quo sensu res promissa sumatur: haec aestimanda fere sunt, praeterquam ex voventis intentione clara, secundum gravitatem et levitatem legis ecclesiasticae circa ejusmodi rem versantis, consideratis tum re in se, tum fine ad quem promittitur. Del Vecchio t. 1 n. 710.

Quare jejunium, Sacrum, rosarium vovere, ex se inducit gravem obligationem; qui vero vovit quotidie per annum Sacro assistere, non tenetur diebus festivis nisi contrarium certo voluerit, bis Sacro assistere, sed semel ex duplici obligatione.

4. Materia voti etiam coalescere potest, ita ut obligatio singulis vicibus levis, si pluries non impletur, reddat reatum gravem. Quod censetur fieri in votis realibus; in votis personalibus censetur non fieri: verum contraria voluntate voventis expresse in alterutro votorum genere statui potest contrarium. Reuter n. 345, 9 et 10; S. Alph. n. 212.

189 5. Impletio voti fieri debet operis promissi exsecutione voluntaria, voluntate saltem interpretativa: quare qui expresse non vult per actionem

praesentem voti obligationem exstinguere, videtur adhuc teneri; qui vero voti immemor objectum voti posuit, non amplius. — Dilatio in implendo voto, sine causa commissa, peccatum est: S. Alph. n. 221, Reuter n. 342. Sed nisi agatur de votis, quibus homo pro tota vita deinceps Deo obstringitur, gravitas peccati fere desumenda est ex periculo oblivionis vel impossibilitatis illud postea implendi; — hinc aliquorum annorum, aliquando brevioris temporis dilatio gravis erit.

II. Circa certa votorum genera imprimis notanda sunt haec: 190

1. In *conditionato* voto, quamquam perfecta non fit obligatio, nisi impleta conditione, tamen interea obligatio religionis est, non impedire fraudulenter vel malitiose, quominus conditio impleatur: v. g. qui promisit ingressum in religionem, si pater consenserit, potest quidem rogare patrem, ne ille consentiat, sed non potest fraude eum circumvenire, ut dissensum extorqueat vel consensum impediat. Si vero, fraude manifestata, pater nihilominus nunc non consentit, etsi antea, cognita veritate, certo consensisset: filius de peccato poenitere debet, voto vero non adstringitur.

2. In voto *disjunctivo*, etiam electione facta, adhuc in libertate voventis est, praestare rem, quam mavult, nisi ipse post electionem factam aut novo voto *eam* firmaverit, aut alterum opus impossibile evaserit. S. Alph. n. 224. Imo aliquando impossibilitas alterius rei talem mutationem induxisse censeri potest, ut voti obligatio urgeri non amplius possit.

3. In *poenali* voto praeservativo, si poena exorbitans promissa est, probabiliter is non tenetur ad poenam, qui *poenae* immemor peccavit; neque in aliis casibus ille, qui in peccando *voti nullatenus memor* erat, multo minus qui ex causa aliqua excusante subjective graviter non peccavit, quando votum *ut* peccati gravis praeservativum emissum est. Cf. Reuter p. 2 n. 347, 2; Tambur. *in decal.* l. 3 c. 12 § 7.

4. Votum *religionis* (i. e. *ingrediendae*) potest pro diversa intentione 191
voventis obligare aut ad serium *tentamen* religiosae vitae, aut ad moralem diligentiam curandi ipsam vitae religiosae *professionem*.

Sc. tenetur 1) mediocrem diligentiam adhibere ut admittatur: quare si ab uno monasterio non admittitur, tenetur, si spes est, adire aliud una alterave vice: utrum autem extra patriam tentamen facere debeat, necne, a variis circumstantiis pendet; saltem in feminis id generatim videtur negandum.

2) Mediocri diligentia frustra adhibita, vovens liber manet.

3) Si admissus postea sine culpa dimittitur, ad nihil tenetur, si vovendo intellexit tentamen facere; imo nisi *constet*, eum vere intellexisse futuram professionem, stricte obligari ad novum tentamen non potest; quodsi professionem vitamque religiosam perpetuam intellexit, pro spe, quam habet, suae admissionis, debet alibi admissionem quaerere: (raro id accidit, si vovit ingressum in *certum* ordinem, facilius si indeterminate *aliquem* ordinem ingredi vovit).

4) Si ad novitiatum admissus vitam religiosam molestiorem esse experiatur: liber manet, si solum tentamen facere intendit; si vero perpetuam vitam religiosam, quum voveret, intellexit, non ex qualibet molestia se liberum censere potest, attamen ob nimiam et prorsus in-

exspectatam; quodsi de intentione voventis non ita constat, a fortiori obligatio manendi non est nimis urgenda: quamquam ex altera parte si praesumptio est pro voto de perpetua vita religiosa intelligendo, etiam cavendum est, ne forte cum magno periculo salutis vovens liberius et facilius vocationi suae valedicat. (Cf. de vocatione statûs religiosi infra.) V. S. Alph. n. 122 et lib. 4 n. 72.

§ 4.

De voti seu ejus obligationis cessatione.

192 Votum ejusve obligatio cessare potest tum *ab intrinseco,* ut dicunt, i. e. mutatione rei, ita ut vovens in illis circumstantiis vel eventibus sese obligare noluisse dicendus sit; tum *ab extrinseco,* i. e. interveniente auctoritate humana. De priore modo quid sentiendum sit, ex jam dictis patet; de posteriore modo hîc est agendum.

Potest autem votum sic cessare 1° per irritationem directam (i. e. ipsius actûs vovendi), 2° per irritationem indirectam (i. e. quae directe afficit rem promissam), 3° per dispensationem seu condonationem nomine Dei, 4° per commutationem.

Punctum I.

De irritatione directa, et indirecta, quae etiam *suspensio* vocatur.

1. *Directa irritatio est actio, qua ipse voventis actus vi sua destituitur:* quae igitur exerceri nequit nisi a Superiore relate ad eos, qui sui juris non sunt, seu in quorum *voluntatem* dominativam potestatem exercet. V. S. Thom. l. c. a. 8.

2. Hanc potestatem exercet Papa, Superior religiosus vel Superiorissa in subditos religiosos post emissa vota substantialia religionis; ergo 1) nullatenus in novitios, 2) neque quoad religiosos (professos) in vota ipsa tria substantialia eave, quae in certis ordinibus forte iis adduntur.

Pater, mater (patre aut absente, aut si praesens est non contradicente), avus aliive, in quos defectu patris paterna potestas transiit, relate ad *quaelibet* vota filiorum ante pubertatem emissa, neque postea confirmata.

Maritus relate ad vota uxoris, quae stante matrimonio emiserit, idque probabiliter a S. Thoma l. c. a. 8 ad 3, S. Alph. n. 234, Sanchez l. c. cap. 34 aliisque defenditur.

3. Haec potestas pleni juris non est nisi per ecclesiasticam legem, attamen imperfecte in jure naturali continetur, ita ut dici possit esse ‚ex jure naturali cum adminiculo juris positivi', aut ‚juris positivi cum fundamento ex ipso jure naturali'.

193 4. *Indirecte irritare est ipsam materiam voto subtrahere, eamque reddere prohibitam vel minus honestam.*

5. Indirecta irritatio fieri potest — atque plerumque fit — *ex potestate dominativa* seu jure *in rem* promissam; sic uxor mariti, maritus uxoris, herus famuli etc. vota quaedam irritare potest. Videlicet in

iis, quae alterius jus tangunt, vovens sese nequit amplius obligare independenter ab illius voluntate, cujus jus tangitur. Potest etiam indirecta voti irritatio fieri *per potestatem jurisdictionis* (legiferam) in *personam* quae vovit, praecipiendo rem voto contrariam.

6. *Potestas igitur directe irritandi minus late patet quoad personas,* quarum vota sic exstingui possint, quam potestas indirecte irritandi, *sed latius quoad ambitum rerum, quae promissae fuerint;* posterior haec potestas indirecte irritandi ex jure naturali perfecta exsistit.

7. *Irritatio directa et ea indirecta irritatio, quae in dominativa potestate nititur, valida est etiam sine causa,* atque si sine causa fit, communiter, i. e. ex se, veniale peccatum non excedit; *ea autem indirecta irritatio, quae per potestatem jurisdictionis exercetur, sine causa facta, invalida est,* utpote per legem vel praeceptum invalidum attentata, ac proin in re gravi, si voluntarie fit, graviter culpabilis.

8. Professio religiosa (solemnis) vota antecedentia exstinguit; votis religiosis simplicibus quamquam per se non exstinguuntur antecedentia vota, haec tamen, manente statu religioso, facile *‚pro suspensis'* haberi possunt, possuntque etiam in ea plane *commutari.*

Punctum II.

De dispensatione et commutatione votorum.

1. *Dispensare in voto est obligationem ex voto ortam nomine Dei condonare.* 194

2. Potestatem dispensandi Ecclesiae competere, plane constat: 1° ex perpetua et universali praxi Ecclesiae, quae, si esset erronea, errorem perniciosum circa mores contineret: quod plane repugnat Ecclesiae infallibilitati; 2° confirmatur ex verbis Christi Matth. 16, 19 ad B. Petrum directis: „Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis"; quod effatum ad quodlibet spirituale vinculum refertur, quod ex natura rei aut divino jure prorsus indissolubile non est.

3. Hanc potestatem exercet 1° Summus Pontifex circa omnes Christi fideles; 2° Episcopus ceterique praelati quasi-episcopalem jurisdictionem habentes erga suos subditos, cum dependentia tamen a Summo Pontifice (probabiliter vero Episcopi dispensare etiam possunt cum peregrinis in votis privatis et occultis quae ad forum publicum non trahuntur); 3° alii ex proprii praelati delegatione atque secundum hujus delegationis limites. — Regularibus quaenam potestas data sit *communi* privilegio, vide postea occasione *Sacram. Ordinis.* — Parochi per se facultatem dispensandi in votis non habent, nisi forte delegatam potestatem acceperint ab Episcopo. — Quamquam natura rei non postulat, ut votorum dispensatio vel commutatio fiat in confessione, potest id tamen postulari ex modo communicatae potestatis; quare videri debet modus et restrictio, quae a delegante apposita sint. Et revera *in jubilaeis* confessarii solummodo in tribunali confessionis eam facultatem habent.

4. Quamquam suprema potestas ecclesiastica in votis dispensandi 195
ratione objecti seu materiae latius pateat, quam irritandi potestas:

nihilominus eatenus restricta est magis, quod ne Summus Pontifex quidem valide dispensare possit sine justa causa; ac proin quod dispensatio multo difficilior evadat in votis factis *principaliter* ad favorem tertii, aut per onerosam promissionem acceptatam, saltem ea dispensatio, qua omnis, etiam justitiae, obligatio exstinguatur.

5. De sufficientia causae autem *probabile* Superioris judicium sufficit, ut dispensatio valeat, ita ut in *dubio* Superior licite et valide procedere possit, saltem ubi jus tertii non est in quaestione, imo pro valore dispensationis stari debeat, si causa aliqualis adfuerit, quam bona fide judicavit sufficere, postea minus sufficientem esse detexerit. — Cf. Tamb. l. c. § 4. n. 3 cum Lessio, Sanch., S. Alph. n. 251 (qui vix dissentit), siquidem ad suavem gubernationem Ecclesiae pertinere videtur, ut Deus actus Superiorum approbet, nisi error *omnino* appareat.

Verum ad subditum, qui dispensationem petit, spectat, sincere rem exponere secundum ea, quae dicta sunt de dispensatione legum.

196 6. Causas dispensandi in votis privatis, sive cum aliqua commutatione, sive pro diversis adjunctis sine illa, praestat ex doctrina S. Alph. n. 252 et 253 recensere: quae fere concordant cum iis quae Laymann lib. 4 tr. 4 cap. 8 n. 5, Lacroix lib. 3 p. 1 n. 541, Reuter v. 2 n. 361 habet. Quo gravior tamen est res voto promissa, eo gravior etiam, ceteris paribus, causa requiritur.

„Sufficit pro causa ad dispensandum 1) periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem hominum fragilitatem."

2) „Sufficit etiam magna difficultas in exsecutione, non solum si praevisa non fuit, sed etiam si fuit praevisa, tum quia tunc etiam adest periculum transgressionis, tum quia res multo difficilior apprehenditur, *dum instat exsecutio.*"

3) „Si vovens vexetur magnis scrupulis."

S. Doctor cum aliis in hisce adjunctis tamen recte vult aliquam commutationem fieri, quando prudentia id permittit.

4) „Etiamsi absit periculum transgressionis, et magna difficultas in exsecutione, sufficit pro causa, quod votum emissum sit *immature,* sc. cum nimia facilitate, imperfecta deliberatione, imperfecta libertate (ut: in aetate puerili ante pubertatem, ex tristitia, ira, metu intrinseco): ideo potest in iis dispensari sine commutatione. Si autem constaret, maturam adfuisse deliberationem, tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio."

A fortiori igitur causa dispensandi est ratio publici boni, vel spes majoris honoris divini.

197 7. *Commutatio est subrogatio alterius objecti loco rei promissae.* Quam sine dubio efficere possunt ii, qui dispensandi potestatem habent. Requiritur autem etiam legitima auctoritas ad faciendam commutationem in opus minus aut aequale, etsi levior sufficiat causa: nam ad commutationem in opus melius proprium arbitrium voventis sufficit, nisi excipias vota reservata secundum ea, quae nunc dicturi sumus. — Si autem legitima *auctoritate* facta est commutatio, postea re substituta evadente impossibili, omnis obligatio exstinguitur; si vero propriâ auctoritate privatâ commutatio facta erat, necesse est redire ad opus

prius. — De cetero facultas „commutandi“ non intelligitur „in opus *notabiliter* minus.“ [1]

8. *Potestatem dispensandi et commutandi Summus Pontifex circa quae-* 198
dam vota sibi reservavit, vid.: 1) *religionis ingrediendae,*[2] 2) *perpetuae castitatis,* 3) *peregrinationis tum Hierosolymitanae ad sepulchrum D., tum* 4) *Romanae ad limina Apostolorum Petri et Pauli, tum* 5) *Compostellanae ad S. Jacobi.* Quare si vota haec *perfecta* fuerint ratione *finis* et *objecti,* nemo praeter *Summum* Pontificem aliquid potestatis in ea vota habet, nisi *specialem* licentiam ab illo acceperit: possunt tamen omnia vota commutari in *assumptionem statûs religiosi.*

Reservatum igitur non est: votum ingrediendae congregationis religiosae non approbatae ut veri ordinis; votum *transitûs* ad strictiorem ordinem; votum temporaneae castitatis; votum non nubendi etc.

Neque reservatus est peculiaris *modus* instituendi reservatas illas peregrinationes.

Non est reservatum votum castitatis vel religionis etc., si vere conditionate emissa sunt, si per modum poenae, si ex metu, si sub levi tantum, si sub disjunctione cum materia non reservata.

De cetero ut facultas delegata dispensandi in hisce votis reservatis 199
habeatur, specialis eorum expressio necessaria est; neque ex eo quod detur facultas dispensandi a voto castitatis, datur facultas circa votum religionis, nec vice versa. — Quamnam habeant facultatem sive Episcopi, sive regulares in votis reservatis, quando necessitas urget, vide de *privilegiis clericorum* occasione *Sacramenti Ordinis.*

9. *Quae dicta sunt de potestate dispensandi commutandive vota, intellige etiam de juramentis, quia par est ratio: juramenta tamen, nisi accedat votum, non sunt reservata.*

---

[1] Reuter l. c. n. 374 collegit ex probatis scriptoribus Gobat, Sporer, Tambur., Lohner quaedam exempla commutationum in votis, i. e. in opera fere aequalia; quae afferri, utile esse duxi, quum hac in re a prudenti aestimatione multum pendeat:

1) Commutari potest votum peregrinationis pedestris unius diei in jejunium semel faciendum simul cum expensis peregrinationis pio operi applicandis; in idem commutari potest peregrinatio *aliquot* dierum equo vel curru peragenda. 2) Jejunium unius diei in unam confessionem; jejunium in pane et aqua in confessionem et communionem. 3) Votum vitandi externa peccata luxuriae in confessionem menstruam per vitam, vel pro circumstantiis ad aliquot annos [imo puto in quaelibet remedia ex se efficacia coërcendi luxuriam, siquidem melius est sine voto castitatis ab illis peccatis efficacius abstinere, quam cum voto peccare]. 4) Votum non nubendi in confessionem et communionem menstruam per vitam vel saltem pro tempore statûs matrimonialis. 5) Votum non peccandi mortaliter, vel non venialiter deliberate (in pluribus materiis) in confessionem et communionem menstruam [si esset votum non committendi ullum peccatum plene deliberatum, commutationem vix puto esse, etsi fiat in hebdomadariam confessionem et communionem]. 6) Jejunium quolibet sabbato peragendum in confessionem et communionem bis in mense. 7) Recitatio quotidiana rosarii in confessionem hebdomadariam [adderem: vel in Missam ter quaterve in hebdomada devote audiendam].

[2] Magis etiam reservari ipsa religiosa vota atque solemne castitatis votum sacris ordinibus adnexum, vix est, quod notem.

Satis probabile est, eos, qui ex *delegata* potestate possint dispensare a votis, idem posse etiam a juramentis; imo probabile est, id extendi etiam ad vota jurata. Cf. *Theol. mor.* n. 377 et 379.

Caput IV.

De exercitio religionis homini, ut socialis est, adaptato.

200 Externum Dei cultum homines, ut creaturae sensibiles, naturali lege exercere debent: idque, quum homo socialis sit, non privato tantum, sed etiam sociali cultûs exercitio.

Sociale vero religionis exercitium duplicis generis est: 1) commune ab Ecclesia omnibus praeceptum, 2) singulare per statum perfectionis in Dei honorem voluntarie assumptum, maxime per eum statum, quem qui amplectuntur, in familiam certam coadunati totam suam vitam divino servitio consecrant, quemque propterea Ecclesia „religionis" nomine seu *„status religiosi"* insignivit.

De hoc peculiari virtutis religionis exercitio primo agam, quum maxime cum votis, de quibus modo disputavi, cohaereat, utpote quae in statu religioso summam perfectionem adipiscantur; sequenti articulo de sociali religionis exercitio communi, quod per tertii decalogi praecepti tractationem explicabitur.

Articulus I.

De religionis exercitio per statum religiosum.

Cf. Suarez *de relig.* tract. VII.—IX.; S. Alph. l. 4 n. 1—82; aliosque in decursu tractationis laudatos.

§ 1.

De essentia statûs religiosi.

201 Status religiosus dicitur status perfectionis christianae. Verum id intellige de perfectione *acquirenda*, non per se de *acquisita*. Quamquam etiam alii status sunt, qui suo modo perfectionem christianam sectantur, tamen status religiosus sic vocatur simpliciter: nam perfectio christiana in caritate divina consistit, status igitur perfectionis acquirendae caritatem ejusque exercitium promovere debet; at status religiosus, isque solus, adhibet media illa omnia generalia, a Christo Domino perfectionis causa commendata, quibus et impedimenta caritatis communia auferuntur et occasiones caritatis frequentius exercendae praebentur et ipsum exercitium caritatis excellentius continetur.

1. Essentia statûs religiosi in tribus votis paupertatis, castitatis, obedientiae consistit, quae, approbante Ecclesia, emittuntur, atque nomine Dei vel Ecclesiae visibili modo et visibilis regiminis causa accipiuntur.

Nimirum tribus illis votis obstacula illa humanae naturae communia, quae impediant divinam caritatem ejusque exercitium, abjiciun-

tur, suscipiuntur vero omnia illa consilia universalia, quae Christus Dominus in suo evangelio perfectionis amatoribus commendavit. — Ut autem in illis christianis documentis sequendis stabilitas et firmitas exsistat, visibilis et coram Ecclesia, Ecclesiam intervenire necesse est, quae nomine Dei et suo obligationem illam votorum susceptam ratam habeat ejusque exsecutionem urgere et dirigere possit.

Illa ratihabitio seu acceptatio ex parte Ecclesiae definitiva et summa reservatur infallibili Summi Pontificis oraculo, eaque sola Ordinem stricte dictum *ex hodierna praxi Ecclesiae* constituit: antea potest esse Congregatio religiosa tolerata, commendata, etiam certo modo approbata.

2. Status religiosus essentialiter sumptus divinae institutionis est. 202
Nam Christus Dominus saltem: 1) summopere commendavit et suasit voluntariam paupertatem, castitatem caelibatûs, statum subjectionis; 2) voluit haec *evangelica consilia* suscipi perpetuo et irrevocabiliter (cf. Luc. 9, 57; 18, 28); 3) contulit Ecclesiae facultatem suo et proprio nomine intuitu divini servitii et christianae perfectionis in plenam potestatem recipiendi eos, qui se obtulerint. — Accidentalia autem religiosi statûs, videlicet certae leges pro diversis ordinibus diversae, certique peculiares fines, quos diversi ordines prosequuntur, humanae institutionis sunt, etsi specialem Dei providentiam atque impulsum etiam hac in re non possumus non agnoscere.

3. Ad statum religiosum, etiam vere et stricte sumptum, votorum 203
solemnitas non requiritur absolute: quamquam re ipsa ordines religiosi stricto sensu non exsistunt, qui in aliquibus saltem membris vota solemnia non habeant.

Votorum solemnitatem non requiri ad faciendum hominem vere religiosum, jam diu extra omnem controversiam est. Greg. XIII. *„Ascendente Domino“* et *„Quanto fructuosius“* solemniter declaravit, sodales Societatis Jesu votorum simplicium emissione veros religiosos fieri, fuisse et esse. Si vero breviter indicandum est, in quo votorum solemnitas consistat, dico, eam consistere in traditione et acceptione ex utraque parte (i. e. tum voventis tum Ordinis acceptantis et Ecclesiae) firma et ex se irrevocabili: id quod convenit cum definitione S. Thomae, qui eam collocat in quadam consecratione, qua sc. vovens irrevocabiliter usibus mundanis subtrahatur. II. II. q. 88 a. 7 et 9. — Esse autem solemnitatem votorum ecclesiasticae institutionis, decretis R.R. P.P. definitum est.

In omnibus ordinibus stricte dictis emitti saltem ab aliquibus vota solemnia, res facti est. Sed hujus rei convenientia potest ostendi. In ordinibus stricte dictis intervenit definitiva approbatio Ecclesiae, facta a suprema *infallibili* auctoritate. Quare convenit, ut Ecclesia illud institutum, quod definitive approbaverit, ejusque membra aliqua etiam supremo et definitivo modo, i. e. non revocabiliter, sed quodam modo irrevocabiliter ad divinum cultum et servitium acceptet, ita tamen ut solutio per supremam potestatem Ecclesiae possibilis sit.

4. Libertas jure naturali vel jure positivo necessaria est ad 204
vota religiosa. Quae quomodo imprimis metu et errore impediatur, alibi satis dictum est. Quare recole, quae hîc cap. III. art. II. § 1 habes. Quae autem ad tuendam atque explorandam libertatem monialium Ecclesia statuit, ex jure canonico disci debent.

Ex parte religionis acceptantis quo modo libertas necessaria possit deficere, collige ex iis, quae de contractibus et de errore dolove in iis occurrentibus dicentur. Ceterum in singulis ordinibus attendendum est, quaenam fortasse essentialia impedimenta statuta sint.

205 Ecclesiastico jure statutum est, ut professio sit invalida, nisi 1) annus novitiatûs *integer* praecesserit, v. Trid. sess. 25 c. 15 *de ref. reg.*, isque post susceptum habitum; nisi 2) vovens annos sedecim aetatis compleverit. Quae autem major aetas aliquando sive ad valorem, sive ad liceitatem requiratur, v. in jure canon.

Nota. 1. Concessum tamen est a S. Pio V. monialibus S^{i} Dominici, et per communicationem aliis tum monialibus tum regularibus, ut „in casu morbi ex judicio medici letalis" liceat, anno novitiatûs nondum expleto, professionem emittere, modo adsit legitima aetas. Craisson, *Manuale* n. 2649.

2. Novitiatus requisitus debet esse continuus, i. e. *non interruptus per discessum deposito habitu et animo relinquendi ordinem,* sive fiat proprio marte, sive jussu praelati qui novitium ineptum judicaverit.

Non raro autem etiam praescribitur, ut novitiatus in certo loco et domo peragi debeat.

3. Generatim requiritur, ut novitiatus in *habitu ordinis* peragatur, idque sub poena nullitatis: v. Craisson n. 2663; ex particularibus autem statutis, vel subsistente causa necessitatis (ut dispersionis, vexationis etc.), id non requiritur, sed saecularis etiam habitus sufficit.

4. Quando novitiatus interruptus est, denuo annus integer peragi debet.

206 Novissimo jure Pius IX. plura decrevit circa admissionem novitiorum, eorumque probationem. Praecipua sunt haec:

1. Ex decr. 25. Jan. 1848: Nemo admitti potest sine literis testimonialibus Ordinarii tum originis tum loci, in quo candidatus ultra annum commoratus est post aetatis suae annum 15^{um} completum: in quibus literis, etiam si opus sit secreta informatione suscepta, exprimi debet relatio de aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate irretitus, aere alieno gravatus, reddendae administrationis rationi obnoxius.

2. Pro Italia et insulis adjacentibus etiam sequentia severâ lege praescripta sunt; alibi sint pro directione:

1) Qui duplici scrutinio, juxta formam in ordine praescriptam, probatus non fuerit, ad habitum nullo modo admittatur.

2) Superior religionis quolibet semestri ad ‚*S. Congreg. super stat. regularium*' (— quae Congreg. ad hunc finem a Pio IX. erecta est —) summarie referat de singulis novitiis ad habitum receptis, de aetate, patria, moribus, de actis confectis pro receptione etc.

3) Prope terminum cujusque trimestris novitiatûs magister novitiorum scripto referat Provinciali de agendi ratione cujusque novitii.

4) Duobus mensibus ante professionem (i. e. votorum simplicium) Provincialis voluntatem novitii diligenter exploret; et per secreta suffragia interroget ceteros de domo, an ad professionem admitti possit; hancque relationem examinatoribus communicet, ut et illorum suffragia habeat.

207 3. Dein 19. Martii 1857 Pius IX. quoad votorum professionem in iis institutis, in quibus solemnia vota emitti solent, haec constituit:

1) Peracto novitiatu secundum praescriptum Concilii Trid. novitii *vota simplicia* emittant, postquam 16m aetatis annum compleverint, et quoad laicos et conversos potquam pervenerint ad eam aetatem, quae in Constit. Clem. VIII. *„In suprema“* praefinita est.

2) Professi (votorum simplicium) post triennium, a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad votorum solemnium professionem admittantur. Quodsi Ordinis constitutiones longius tempus requirunt, id non rejicitur. Poterit vero Superior Provincialis (aut alius, cui facultas competit) ex justis et rationabilibus causis professionem solemnium votorum differre, non tamen ultra aetatem 25 annorum.

Ad quae decreta explicanda 17. Julii 1858 S. Congr. haec 208
declaravit:

1) Vota simplicia, de quibus agitur, erunt perpetua ex parte voventis.

2) Eorundem votorum dispensatio reservata est Rno Pontifici.

3) Eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis, ita ut, *data dimissione,* professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

4) Facultas dimittendi professos votorum simplicium spectat pro circumstantiis ad diversos Superiores Ordinis cum consilio generali . . . Poterit tamen in casibus extraordinariis subdelegari aliis religiosis probis et prudentibus.

5) Licet ad dimissionem decernendam . . . judicii forma non requiratur, tamen Superiores procedere debent summa caritate, prudentia . . . Nemo autem ex causa infirmitatis, quae post professionem simplicium votorum supervenerit, dimitti poterit.

6) Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium; sed quoad suscipiendos ordines nondum uti possunt titulo paupertatis.

7) Literas dimissorias hujusmodi professis votorum simplicium Superiores concedere non poterunt, nisi ad *tonsuram* et *ordines minores.*

8) Anni professionis, qui in Ordine requiruntur ad jus vocis activae et passivae etc., a die emissionis votorum simplicium computantur . . .

9) Professi votorum simplicium dominium *radicale* suorum bonorum retinere possunt; sed interdicta est eis administratio et redituum erogatio et usus etc.

10) Professi votorum simplicium remanere debent in domibus professoriis et studiorum, et vitam communem perfectam observare.

11) Ad valide emittenda vota solemnia requiritur professio *expressa,* et ideo quoad ea professio *tacita* omnino abrogata est. Cf. Scav. l. c., Craisson n. 2690.

§ 2.

De vocatione ad statum religiosum ejusque amplectendi obstaculis.

Specialem quandam providentiam et motionem divinam exsistere, 209
qua Deus certos homines permovet ad perfectionis statum, imprimis ad religionem, tum ex ipso divinae providentiae conceptu, tum ex

verbis Christi Domini habemus, qui Matth. 19, 11, loquens de voluntaria continentia, dixit: „Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est."

I. Praecipua, quae de hac divina vocatione atque ejus sequela vel neglectu observanda sunt, breviter contraham:

1. Vocatio divina ad statum religiosum consistit in aptitudine tum interna tum externa, et in motione supernaturali, qua homo impellitur ad religiosum statum amplectendum: cui non obstat naturalis quaedam repugnantia, si modo voluntas spem firmam concipiat, divina gratia adjuvante naturalem timorem vincendi.

2. Externam aptitudinem intelligo illam circumstantiarum conditionem, qua fit, ut homini non objiciatur insuperabile obstaculum, quod impedit, quominus aut possit, aut ei liceat religioso fieri. Internam aptitudinem intelligo eam corporis animique conditionem, qua idoneus sit ad labores atque onera religiosae vitae sustinenda, et ad finem proximum peculiaris instituti promovendum.

210 3. Vocationem divinam ad religiosum statum impellentem non sequi, *ex se* non est peccatum: alioquin confundis praecepta et consilia. Per accidens non raro peccatum est, insuper multorum peccatorum ansa atque occasio potest evadere: nam cur homo invitantem gratiam non sequatur, plerumque est inordinata, proin peccaminosa affectio in creaturas; ex parte Dei autem justo judicio uberiores gratiae ei negari possunt, qui tantum donum repulerit.

211 4. Ut igitur non sine periculo vocatio Dei negligitur, ita etiam periculosum est, sine vocatione ad statum perfectionis transire; verum ut aliquis statum religiosum tuto amplecti possit, sufficiunt *probabilia* vocationis indicia conjuncta cum firma voluntate implendi obligationes votis assumendas: in ceteris candidatus sese committere potest iis, qui eum ad religionem admittunt. Hi vero aliquando majorem certitudinem vocationis juste requisiverint, quam quae ipsi candidato est necessaria; atque sane inquirere tenentur de intentione et aptitudine candidati spectato fine peculiaris Ordinis, ne institutum ipsum inutilibus membris oneretur.

5. *Certo* sine vocatione divina statum religiosum assumere, grave peccatum est: quod raro committitur, nisi aut 1) externa impedimenta sint, quae gravem obligationem, in religione impletu impossibilem, implendam relinquunt, aut 2) voluntas desit implendi ea, quae per vota atque ipsum religiosum statum obligatoria evadunt. — Verum non solum perpendenda est vocatio ad vitam religiosam in genere; sed etiam videri debet, quis Ordo in specie eligatur, ut, adhibito consilio peritorum, ille eligatur, in quo vigeat religiosa disciplina, et cujus fini peculiari inclinatio et vires candidati adaptatae sunt.

Quoniam de internis obstaculis vix aliquid addendum est, me restringam ad indicanda obstacula externa.

212 II. Obstacula externa ad tres titulos revocari possunt: defectum libertatis, justitiam, pietatem.

1. Ex *defectu libertatis* prohibentur:

1) Servi proprie dicti, quos dominus possit repetere intra triennium (juxta leges praescriptionis).

2) Qui matrimonio juncti sunt, nisi aut sit matrimonium ratum tantum, nondum consummatum, aut assensus conjugis debito modo accesserit, aut illius jus sit exstinctum. (Cf. quae de matrimonio dicturi sumus.)

3) Qui jam in aliquo Ordine professus est, non potest sine licentia praelati vel Sanctae Sedis transire ad alium Ordinem, nisi forte strictiorem. Imo plerumque vi privilegii variis Ordinibus dati ne ad strictiorem quidem Ordinem transire licet, nisi obtenta licentia praelati; attamen ut ad laxiorem transeat, non praelatus ex se, sed S. Sedes concedere potest.

4) Qui suscepto Episcopatu (vel acceptata electione eaque a S. Sede confirmata) ecclesiae alicui addictus est, non potest religionem ingredi sine licentia S. Sedis; quod extenditur ad Episcopos auxiliares, qui habent titulum ab ecclesiis, quae olim in catholica unione exsistebant. (Craisson n. 2615.) — Simile quid dicendum est de iis sacerdotibus, qui in sacerdotii susceptione aut admissione ad studia promittere sive jurare debebant, se per certum tempus huic vel illi ecclesiae servituros esse: nam ante tempus illud elapsum indigent dispensatione S. Sedis vel legitimi Superioris. — Alias autem sacerdotibus saecularibus prohibitum non est, neque ipsis parochis, quominus transeant ad religionem; Episcopum suum *monere* debent, non autem ejus licentiam rogare; quodsi putet Episcopus, sacerdotem Ecclesiae vere necessarium esse, interposita sententia S. Congr. sacerdotem suum retinere vel revocare potest, alias non potest. V. Const. Ben. XIV. *„Ex quo“* 14. Jan. 1747.

2. Ratione *justitiae* obstantis religionem ingredi nequeunt, qui 213
debitis gravibus gravati sunt.

Nimirum Sixtus V. Constitutionem edidit *„Cum de omnibus“*, qua inhabiles reddiderat ad professionem religiosam 1) dilapidatores bonorum suorum, qui ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravati essent, aut 2) qui rationibus reddendis obnoxii essent, i. e. valde intricatis litibus causam daturis; tales esse censentur administratores rerum publicarum vel privatarum, tutores, procuratores, executores testamentorum, antequam rationes redditae sint. — At Clemens VIII. *„In suprema“* 2. April. 1602 nullitatem professionis sustulit, prohibitionem reliquit.

Quae constitutio, quum solos religiosos nominet, qua *positivae* seu *humanae* legis est, non adstringit 1) moniales[1], neque 2) religiosos lato sensu, neque 3) eos, qui inculpabiliter aere alieno gravati sunt. Quare ut universalis regula de iis, qui debitis tenentur, habeatur, ad legem *naturalem* respicere debemus; ex qua (v. S. Alph. l. 4 n. 71) haec teneto:

1) Qui brevi habere possit neque cum magno incommodo, unde magna debita eorumve notabilem partem solvat, videtur exspectare debere, nisi forte in saeculo periculum salutis subeat.

2) Si quis reapse tale salutis aeternae periculum subiret, aut diu (aliquot annos) exspectare deberet, potest tuto etiam cum praeviso damno creditorum religionem ingredi, idque etiamsi ex delicto et gravi

[1] Quamquam Ben. XIV. constituit, omnia quae decreta sint de viris religiosis, comprehendere etiam feminas, ubi eadem causa subesset (v. Constit. *„Si datam hominibus“*): tamen hîc par ratio non est.

culpa debita contracta fuerint. — Imo prohibitio positiva Sixti V. et Clem. VIII. intelligitur de iis, qui spem habent intra tempus non adeo longum debita solvendi.

3) Qui contraxit „debita incerta“ (de quibus v. tract. de jure et justitia), statim ingredi potest, atque eo ipso debita, quae solvere non potest, exstinguuntur.

4) Alias qui utcunque debita contraxit erga certam personam, sive licite sive illicite professus est, solvere debet ex iis, quae postea forte casu ei obveniunt, ut haereditate, legatis etc. Cf. de just. *infra.*

Imo tenetur ejusmodi religiosus, si impetrat licentiam, ad laborandum *secundum suam conditionem*, ut possit creditoribus satisfacere: attamen praelatus non ex justitia, sed summum ex caritate — modo ne sit incommodum — tenetur ad licentiam hanc dandam, nisi forte ipse fraudulenter religiosum admiserit. Cf. S. Alph. l. c.

Nihilominus in plerisque locis practice non omnia ea permitti possunt iis, qui utcunque aere alieno gravati sunt: nam quum leges civiles religionis jura negligant, certe summum odium et detrimentum et Ordini et religioso oriri potest, si creditor civiles leges invocaverit.

214 3. Ratione *pietatis:* 1) parentes tenentur differre ingressum in religionem, si educationi filiorum nondum provisum sit, neque per alios satis provideatur. S. Alph. n. 69.

2) Filii teneri possunt ad differendum ingressum propter necessitatem suorum, sc. a) si parentes sunt in necessitate vere gravi atque per filium tantum videntur ex illa eripi posse, filius tenetur manere in saeculo, nisi forte — quod practice vix occurrere potest — offenderet in aeternae salutis periculum extra religionem evitatu impossibile. S. Alph. n. 66; Suarez tr. 7 lib. 5 cap. 5 et lib. 6 cap. 9.

b) Si alii cognati, puta fratres, sunt in *gravi* necessitate, in saeculo manendi obligatio non est, nisi urgeat *extrema* necessitas (NB. hanc a quolibet, quem offendo, si possum, repellere debeo). S. Alph. n. 70. Expedire tamen potest, ut ingressus differatur.

215 3) Verum si quis jam professus est statum religiosum, quoad necessitatem parentum sublevandam haec circa obligationem valent:

a) Si de necessitate magna seu valde gravi non satis constat, religiosus contra voluntatem Superioris nihil potest.

b) Si de necessitate *magna* constat, filius tenetur omni modo succurrere, quo potest, *salvo suo statu statûsque decentia.* Quare primo rogare debet Superiorem, qui si licentiam injuste negaverit — id quod nullatenus supponi debet — filius nihilominus sine decentiae laesione laborando, eleemosynam petendo etc. licite succurrit, et, si potest, per se debet.

c) Cum statûs ejusve decentiae jacturâ (*statûs jactura* intelligi potest solum de iis, qui vota simplicia tantum emiserunt) egrediendo, dimittendo habitum etc. contra Superioris licentiam nihil potest; cum ejus licentia succurrere parentibus *potest,* sed *non tenetur;* idque etiamsi illicite, necessitate parentum jam exsistente, professus esset; *neque* hanc licentiam *Superior* dare *tenetur.*

Haec, consideratis diversis scriptorum opinionibus, *practice* colliguntur ex Suarez l. c. cap. 9 n. 28; Sanchez *in decal.* l. 4 cap. 20; S. Alph. l. c. n. 67; S. Thom. II. II. q. 101 art. 4 etc.: susceptio

enim statûs religiosi aequiparatur matrimonio, quod solvi non debet, ut parentibus graviter pressis succurratur.

d) Quae hîc dicta sunt, intelliguntur etiam de professis votorum simplicium. Nimirum illi ex *sua* parte plus non possunt; tamen Superioribus longe facilius, maxime si fraudulenter religiosus texisset necessitatem suorum jam exsistentem, *facultas* datur ejusmodi religiosum dimittendi; quod si factum fuerit, tota obligatio pietatis erga parentes reviviscit. *Theol. mor.* n. 515.

§ 3.

De obligatione religiosi generatim sumpta.

Hanc obligationem intelligo, quae ex statu religioso ut statu evan- 216
gelicae perfectionis oritur. Cf. *Theol. mor.* n. 516—519.

1. Religiosus tenetur *tendere ad perfectionem* per votorum et proprii instituti constitutionum observantiam.

2. Quare graviter peccat contra hanc obligationem, si ita frequenter laedit vota, vel regulas infringit, ut aut communi votorum obligationi, aut peculiaris instituti assumpti regimini censeatur nolle subjacere; atque etiam si hac violatione sese conjicit in grave periculum patiendi ejectionem. Laym. lib. 4 tr. 5 cap. 9 n. 9. Hoc intellige de peccato, quod *praeter* malitiam in singulis actionibus ex se contentam contrahatur.

3. Transgressio frequens et notabilis regularum, etiam earum, quae ex se sub peccato non obligant, peccaminosa fieri potest, idque graviter ratione scandali seu relaxandae disciplinae religiosae, et ut jam innui, ex periculo patiendi dimissionem. Etsi in singulis transgressionibus solum venialis culpa fuerit: quando hoc periculum idque grave attenditur, neque diligentia in minuendis culpis adhibetur, peccatum contrahitur grave. Multo facilius ex parte Superioris graviter peccaminosum evadere potest, ejusmodi notabiles transgressiones impune transmitti: quare et inquirere de servata disciplina et corrigere debet; at, licet cum fortitudine, etiam cum prudenti dissimulatione.

4. Obligatio statûs religiosi provectione ad altiorem statum Episcopatûs non exstinguitur, tamen ex natura novi statûs multum temperatur. Tandem ipsius provecti judicio relinquitur, utrum censeat, *regulae* observantiam cum dignitate et officiis episcopalibus convenire. Votorum quidem obligatio quoad substantiam manet, exercitium autem paupertatis et obedientiae moderationem subit.

§ 4.

De obligatione singulorum votorum.

Punctum I.

De voto religiosae paupertatis.

1. *Votum religiosae paupertatis, quamquam non aufert necessario* 217
omne dominium, et quamquam omnem rerum temporalium usum ne potest quidem auferre: tamen saltem usum rerum temporalium pretio aestima-

bilium a voluntate Superioris independentem illicitum reddit. — Communiter a materia paupertatis excipiunt propria scripta: quod tamen pro diversis scriptis non tam ex natura rei, quam ex usu et consuetudine esse repetendum videtur. — Possideri autem aliquid *in communi* ab Ordine vel domo religiosa, non est per se contra paupertatem; quamquam certae quaedam restrictiones hac in re ad perfectiorem paupertatis formam pertinere possunt.

2. *Illud est discrimen inter votum paupertatis simplex et solemne, ut communiter cum voto simplici non pugnet dominium radicale, pugnet vero aliquo modo cum solemni;* attamen ex factis ecclesiasticis constat, neutram conditionem esse essentialem. Nam votum simplex inhabilitatem dominii patitur, et votum solemne ex dispensatione R. Pontificis patitur dominium. (Cf. *Theol. mor.* n. 524.) Quare *essentiale* discrimen ponendum est in obligatione usum rerum temporalium ad leges religiosae paupertatis componendi, prout illa obligatio aut irrevocabilis et ex utraque parte prorsus firma, aut non ita firma nec irrevocabilis est.

218 3. *Ut autem in usu rerum temporalium et in dispositione circa illas paupertatis laesio absit, requiritur et sufficit legitima Superioris licentia sive expressa, sive tacita, sive aliquando etiam praesumpta:* S. Alph. n. 17 et 18.

Legitima licentia est, si datur a legitimo Superiore et legitimo modo. Verum prohibitio altioris Superioris dandae licentiae nondum efficit, ut, si tandem detur, sit invalida: attamen altior Superior praeter prohibitionem etiam licentiae nullitatem aliquando constituere potest.

Ad *tacitam* licentiam referri potest *consuetudo*, eaque tanta est, ut singuli Superiores locales non semper possint hanc consuetudinis licentiam retrahere. — Ad consuetudinem pertinet *peculium*, quod in aliquibus Ordinibus seu monasteriis permittitur: sed ut id non sit contra paupertatis essentiam, adeoque ut consuetudine firmari potuerit, necessarium plane est, ut religiosus ad nutum Superioris peculium dimittere paratus sit, si modo ipsius necessitatibus alio modo provideatur.

219 *Praesumptam* licentiam paulo fusius tractare convenit. Nota praecipue haec:

1) Licentia *rationabiliter* praesumpta excusat a paupertatis laesione certe, si Superior adiri nequit, et res differri nequit; idque eo facilius, quo minoris momenti sit res, de qua agitur.

2) Si Superior adiri potest: nihilominus paupertatis laesio non adest, si rationabiliter puto, Superiorem non solum daturum esse licentiam, si peterem, sed eum etiam contentum esse de petitionis omissione.

De quo si displicentiam habeat tamquam de ordine domestico laeso, non tamquam de defectu paupertatis, contra *hanc* graviter saltem non peccatur. — Imo si utcunque vera est persuasio, Superiorem daturum esse licentiam, si peteretur, non facile peccatur contra paupertatem *graviter;* at sane, si facile adiri potest Superior, hac in re omnino cavendum est a fraude et hallucinatione; atque talis licentia certe sumi non potest generatim.

Tandem — id quod licentiae praesumptae simile est — dispositio circa rem conditionata (sub conditione „si Superior consenserit"), quando agitur de re facile recuperabili, neque Superiori difficultas creatur, per se a laesione paupertatis immunis est.

4. *Contra paupertatem igitur est non tantum, animum veri proprie-* 220
tarii gerere, sed quoslibet actus exercere, qui dispositionem proprio marte factam continent. Praecipui ejusmodi actus sunt:

1) Aliquid sibi accipere, ut inscio Superiore retineatur; 2) comedere et bibere, non solum ex rebus monasterii, sed etiam apud amicum, sine licentia; 3) dare vel alienare aliquid; 4) commodato vel mutuo dare aut accipere: quod autem commodato datur vel recipitur, ut peccatum mortale constituat, multo majoris valoris esse debet, quam quod simpliciter datur: 5) re uti ultra tempus concessum, eamve occultare, ne a Superiore sumatur; 6) rem *ad certum usum* datam ad alium adhibere, *si* prior facultas ita restricta erat; 7) in administratione rerum sive largius sive parcius procedere, quam scitur esse ex voluntate Superioris; saepe etiam 8) expendere sumptus in res illicitas et superfluas; 9) negligenter custodire res concreditas.

In genere autem quoad peccati gravitatem fere ea materia pro gravi 221
habetur in laesione paupertatis seu religionis, quae in materia justitiae pro gravi habetur, ita tamen ut monasterium mediocriter dives sic aestimetur, ut homo privatus dives simpliciter. — In rebus autem comestibilibus *ordinariis*, si statim consumuntur, non ita facile fit adunatio singulorum furtulorum ad peccatum mortale, etsi *materia* in rigore ad ejus limites demum pervenerit. Cf. S. Alph. n. 25.

Difficiliores quaedam quaestiones: 1) quando graviter laedi incipiat paupertas, si forte superflua cum licentiâ habeantur: R. ad id requiritur ex complurium sententia *notabilis excessus;*

2) deposito rem alienam accipere: R. id tum contra paupertatem est, si involvit usum rei depositae sine Superioris licentia, vel talis usûs periculum, vel onus cavendi pro illa re monasterio impositum;

3) accipere res in pauperes distribuendas: R. id certe contra paupertatem est, si religiosus non est merum instrumentum alterius; imo severius hoc propter periculum laedendae paupertatis prohiberi potest: quod si factum sit, qui agat contra prohibitionem, etiam contra religiosam paupertatem delinquit, at *ita* factum esse videtur nuspiam.

5. Peccata interna contra paupertatem eatenus committi possunt, quatenus desiderium aliquid contra votum faciendi fovetur.

Punctum II.

De voto castitatis religiosae.

1. *Voto castitatis ob motivum religionis non solum prohiberi externos* 222
actus luxuriae, sed quemlibet etiam internum, adeo compertum est apud omnes, ut in eo immorari necesse non sit.

Id enim patet tum ex sensu, quo semper et ubique votum illud intellectum est, tum ex rei natura, siquidem ex internis actibus imminens periculum externae laesionis inducitur, quod etsi non in singulis casibus ita grave fuerit, tamen in genere suo gravissimum est, ita ut omnis aditus praecludatur oporteat.

2. *Discrimen inter votum solemne et simplex disce ex iis, quae de paupertate dicta sunt.* Unum quidem *effectum* voti solemnis hîc habemus, qui nulli unquam simplici voto castitatis annexus fuerit, nimirum

quod dissolvat matrimonium ratum nondum consummatum. — Plerumque etiam solum solemne votum infert impedimentum dirimens matrimonii subsequentis. (Vide, qua dicentur in tract. de matrim.)

223 3. *Ad custodiam castitatis inducta est clausura, quae quo sensu et quibus limitibus intelligatur, v. „de censuris“.*

Prohibentur etiam religiosi, quominus *exeant* e monasterio sine licentia: quam quidem licentiam generalem, vel sine socio exeundi, Clem. VIII. *(de ref. regular.)* vetuit ulli dari; at videndum est, quid hac in re valeat consuetudo; quum jam suis temporibus Salm. tract. 15 cap. 5 n. 163 dubitent, num ordinationes Clementis VIII. pro praeceptivis, an directivis tantum ex usu et consuetudine habeantur.

Id certum est, quoad religiosos viros non quemlibet egressum sine licentia esse mortale peccatum. Ex sententia plurimorum *egressus diurnus* (nam de nocturno aliud prorsus est) mortalis tum est, quando fiat 1) *ex contemptu,* 2) *cum scandalo,* quod refer sive ad *modum* exeundi, sive ad *frequentiam,* qua notabilis relaxatio oriri possit.

Punctum III.

De obedientia religiosa.

224 Obedientiae votum est omnium praestantissimum, cujus prae ceteris excellentiam viri sancti non satis possunt efferre. Unde facile patet, ad hujus virtutis perfectionem multo etiam graviora et difficiliora requiri, quam ad aliorum votorum virtutem. Continet enim ejus perfectio plenam totius hominis atque maxime spiritualis partis subjectionem atque abnegationem, ita ut homo et propriam voluntatem et propriam opinandi atque sentiendi libertatem Dei causa relinquat iisque sese prorsus abdicet.

Quapropter nihil humanae fragilitati communius, quam *contra hujus virtutis perfectionem* in defectus quosdam et imperfectiones impingere: nihilominus peccata proprie dicta, eaque *gravia contra votum* obedientiae non ita facile committuntur, imo haec rarius accidunt, quam aliorum votorum pericula, nisi forte — id quod in recentioribus Ordinibus non obtinet — regulae multae sub peccato eoque gravi obligent. V. Laym. l. 4 tract. 5 cap. 9 n. 3.

1. *Votum solemne obedientiae a simplici in religioso non distinguitur, nisi subjectionis promissae et acceptatae majori firmitate ex utraque parte, ut ex S° Thoma per modum consecrationis explicatur.*

225 2. *Vi voti obedientiae religiosus obligatur, ne in genere subjectionem excutere conetur, et ut ea, quae Superior legitime vi voti exegerit, adimpleat.* Quare gravissimum peccatum *generale* contra votum obedientiae est apostasia ab Ordine. Aliud peccatum generale inobedientiae grave committitur formali obedientiae seu subjectionis denegatione, vel contemptu auctoritatis: mortale peccatum est, etiamsi res praecepta levis sit, nisi forte *expresse* denegatio obedientiae ad rem levem restringatur. — His praetermissis, in singulis casibus non censetur Superior sub gravi aliquid exigere, nisi et res injuncta gravis est et ipse utitur verbis jubendi: ‚vi voti, in virtute S. obedientiae, nomine Jesu Chr. etc.‘ Ex

adjunctis de gravi praecepto constare aliquando potest etiam alias, v. g. si ex violato praecepto clare secuturum est grave damnum. — E contrario autem contingere etiam potest, ut Superior, licet utatur solemnioribus istis formulis, nolit stricte ex vi voti obligare: quod tamen constare debet.

3. *Exigi possunt quaelibet, quae sunt secundum regulas; non vero, ut ajunt, infra, contra, supra regulas,* i. e. 1) non res undequaque inutiles; 2) non ea, quae regularum observantiae contradicunt, nisi Superior in iis ex justa causa possit dispensare; 3) non ea, quae nullatenus fine Ordinis comprehenduntur. Quare eo latius patet facultas Superioris jubendi, quo latius patet finis specialis Ordinis, et quo magis ejus exsecutio manibus Superioris ejusque arbitrio commissa est. — In dubiis generalis regula est, standum esse pro Superiore, ideoque esse obediendum: quod sic scilicet intellige, ut certum quidem sit, in hoc genere rerum seu negotiorum Superiorem posse praecipere, dubium vero sit, utrum in et cum hisce circumstantiis praecipi possit, an causa excusans habeatur.

Ceterum perfectio obedientiae requirit, ne praeceptum exspectetur, sed ut solum desiderium Superioris manifestatum inferior praeveniat, quoties de rebus licitis agitur.

4. *Inobedientia religiosi, quam quantamque malitiam contineat, pendet* 226
a potestate seu diversitate potestatum, quibus Superior utitur.

Superior enim habet potestatem 1) *domesticam,* etiam in novitios et famulos; 2) *dominativam religiosam* in eos, qui emissis votis religiosi facti sunt; 3) *jurisdictionis,* quoties Superior ut praelatus ecclesiasticus quasi-episcopali potestate fungitur in *omnes* sibi subditos.

Verum quia haec jurisdictionis potestas in Praelato religioso non primo loco, sed consequenter ad potestatem dominativam adest: hâc, non illâ, censetur uti, nisi forte ex subjecta materia vel ex agendi et dicendi modo constiterit, eum *simul* jurisdictione ecclesiastica uti. E contrario autem S. Pontifex jurisdictionis potestate, non dominativa uti censetur, nisi constet de contrario.

Hinc patet, in inobedientia hominis religiosi contra praeceptum 227
sui Praelati semper committi 1) *sacrilegium et infidelitatem* contra Deum; 2) *injustitiam* quandam contra Ordinem, cujus instituti fines se juvaturum esse voto promisit. — Accedere potest 3) *scandalum* vel *damnum* insuper causatum; 4) *formalis contemptus* auctoritatis; 5) — si praeceptum ex potestate jurisdictionis latum est — malitia contra eam virtutem, ad quam res praecepta ex natura sua spectat.

Ut autem peccatum mortale committatur, requiritur, siquidem excipias contemptum formalem, res gravis, eaque si de sola domestica potestate agitur, sane *gravior.* — Si de potestate sive religiosa dominativa sive jurisdictionis agitur, res ea censetur gravis, quae in lege ecclesiastica gravis est: ita tamen ut, quando vi voti exigatur, res gravis non possit exigi sub levi; *possit,* quando vi solius jurisdictionis exigitur.

Id unum in fine de professione statûs religiosi addam, eam com- 228
parari a sanctis viris secundo baptismo, quum meritum actûs tantum sit, ut etiam poenarum temporalium reatum coram Deo plene solvat. Ex jure ecclesiastico professio religiosa exstinguit vel suspendit obligationem quorumlibet votorum praecedentium.

Articulus II.

De sociali religionis exercitio communi ab Ecclesia praecepto.

Cf. imprimis S. Alph. l. 3 n. 263—332; Elbel t. 3 n. 329—420; Suarez *de relig.* tr. 2 lib. 2; Del Vecchio I. n. 190—200 et 749—763.

229 In nova lege praeceptum tertium decalogi, de sociali religionis exercitio agens, quum sit ex parte caerimoniale, non totam vim suam retinuit, sed tum die tum modo colendi Dei mutatis ab Ecclesia temperatum atque suppletum est. „*Memento, ut diem Sabbati sanctifices.*“ Ex. 20, 8.

Spectandi igitur sunt *dies* speciali modo divino cultui dicati, et *modus*, quo hisce diebus Deum colamus oporteat.

Dies speciali modo divino cultui dicati sunt dies Dominici, seu primus quisque hebdomadarum dies, et plura alia festa ab Ecclesia indicta[1]. Modus hos dies specialiter sanctificandi est 1) abstinentia a servili opere, 2) participatio SS. Missae sacrificii: de quibus duplici § seq.

§ 1.

De requie festiva ex praecepto servanda.

1. Quamquam ipsius diei Dominicae electio, imo septimi cujusque recurrentis diei sanctificatio non jam ex lege divina, sed ex ecclesiastica Christifideles probabilius obligat: tamen hujus legis abrogatio generalis fieri posse non videtur; dispensatio particularis utique fieri potest.

2. Multo magis *modus sanctificationis* ecclesiasticae auctoritati subjacet, ita ut adstringere atque relaxare possit sive expressa lege vel dispensatione, sive consuetudinis tacita approbatione.

230 3. *Lege autem universali prohibentur diebus dominicis et festivis* (a media nocte ad mediam noctem) 1) *opera servilia*, sicut a primaevis statutis Ecclesiae potius supponitur jam praeceptum, quam formaliter praecipitur, cf. c. 3 de ‚Feriis‘; praxi universali idem evidenter eruitur.

2) *Opera forensia seu judicia, quae cum strepitu exercentur;* v. Jus can. ib. et C. „conquestus“ 5 de ‚Feriis‘: nisi aliter requirat necessitas vel pietas, v. ib. cap. ult. de ‚Feriis‘ — S. Alph. n. 284.

3) *Mercatus et nundinae, quae publice cum strepitu fiunt;* v. ibid.: nisi nundinae, quae certo diei affixae sunt, suo tempore in diem festivum incidant ex Bened. XIV. Const. „*Ab eo tempore*“. Imo nunc videndum plane est, quid consuetudo permittat, quia rigor antiquae legis hac in parte non amplius servatur. S. Alph. n. 286.

4. *Opera quaenam censeantur inter servilia, videndum est tum ex natura actionis, si mentem vix occupat, sed corpore exercetur, tum ex consuetudine.*

[1] Dies festivos praeter Dominicos ex praecepto celebrandos ab Urbano VIII. constitutos, infra habes, ubi agitur *tract. VI* de praceptis communibus Ecclesiae.

A. Quaedam generalis regula statui potest, qua discernatur, quid *prohibitum non sit:* 231

1) opera principaliter mentalia, quae scilicet ad excolendum animum diriguntur vel ab eo potius exercentur, etsi corporis exercitium ut aliquid accessorium conjungi debeat;

2) opera communia, quae ad quotidianum corporis cultum pertinent, etiamsi praeveniri poterant: quod ut fiat, pro circumstantiis utique consultum est;

3) opera, quae immediate ad divinum cultum proxime exercendum pertinent.

B. *Ad dignoscenda opera servilia* non servit: 1) gratuitas laboris, 232 quia et servilia opera gratuito exerceri possunt nec licite, et opera non servilia licite pro mercede exercentur; 2) intentio laborantis: sive enim pro se, sive pro altero ex mera caritate laborat, opus conditionem servilitatis propterea non exuit; 3) corporis defatigatio: nam sunt opera leviter servilia, quae corpus minime fatigant, v. g. labores feminei manibus texendi tibialia etc., e contrario organum pulsare et similia corpus multo magis fatigant, servile opus tamen non sunt.

C. *Servilia* igitur opera *ex se prohibita* sunt: exercitia opificum, fabri ferrarii, lignarii, sive etiam aurifabri, sutoris, sartoris; similiter aliorum operariorum labores, ut agros colere, metalla fundere, etc.

D. *Licita* sunt, sive ex natura sua, sive ex consuetudine: 233

1) Scribere, etiam solummodo transscribere: Suar. l. c. cap. 24 et 25; libros corrigere, etsi fiat cum aliquo levi labore accessorio superpositam chartam conglutinando; delineationes artificum efformare; notas musicas scribere et lineas necessarias ducere; verum occupari in solis lineis ducendis erit servile. Gury I. n. 357; Reuter v. 2 n. 292.

2) Pingere, nisi fiat cum magno apparatu et colorum sordibus: S. Alph. n. 280; etiam licet feminis, si cum arte fit, acu pingere: S. Alph. n. 281. Alia autem levia opera (ut stricken, häkeln etc.) solum permitti aliquantulum possunt, si alicubi consuetudo est, quia ex se sunt servilia. — Similiter sculpere non licebit, nisi forte de ultima operis perfectione agitur.

3) In imprimendis libris characteres collocare, complures probabiliter excusant, ut Laym., Busenb., S. Alph. n. 282; non autem alia opera, ut praelum versare etc.

4) Iter agere, etiam curru, lectica, non censetur servile. Sed currum onustum ducere, si identidem labor necessarius est in levandis portandisque oneribus, servile censetur; at si exiguus labor tantum necessarius est, permittitur. Facilius quidem aurigae licet prosequi, quam incipere iter: v. Suarez l. c. c. 27; attamen etiam incipere iter, non jam certo prohibitum dici potest: Gury I. n. 358, S. Alph. n. 276.

5) Venari, piscari, si fit cum sat magno labore et apparatu, censetur servile; at si magnus labor non intervenit, sive ex natura actionis, sive ex consuetudine, non jam censetur illicitum. S. Alph. n. 283.

6) Molere licet, si labor humanus est modicus, quod praecipue obtinet, si mola vento, aqua agitur. S. Alph. n. 277.

7) Cibos praeparare, coquere, etiam majore arte conficiendos, ut pastillas, placenta, licet; item lectum sternere, vestes scopulis extergere.

Imo etiam eae actiones praeparandi cibos ad coquos pertinentes, quae ex se magis rationem servilis operis habent, licitae evadunt aut ex consuetudine, aut ex quadam necessitate melioris praeparationis et conservationis rerum, ut minora animalia occidere, excoriare: si commode pridie fieri non potuerunt. Si tandem pridie factum non est, etsi cum peccato veniali omissum, ipso die festivo tamen sine peccato fit.

8) Quod tamen ad ipsos laniones attinet, illi in occidendis animalibus excusari possunt potius ob necessitatem; nimirum 1) si pridie non poterant necessitati populi providere, 2) si propter plures dies festivos continuos tempore aestivo periculum est, ne carnes prius praeparatae corrumpantur. S. Alph. 298.

9) Pistores quoad panum coctionem etiam non tam ex natura rei, quam aut ex consuetudine, aut ex necessitate excusantur, eo quod non possint sufficientem copiam praeparare antea, aut quod, nisi recentem panem habeant, damnum subeant notabile, emptores a se avertendo. S. Alph. 299. — Quare, ubi consuetudo diebus Dominicis coquendi panem non est atque pridie satis provideri potest, non puto, licere contrariam consuetudinem inducere, eumque peccare censeo, qui, ut ad se emptores attrahat, ab aliis retrahat, incipere velit cum ista consuetudine: aliud est, si necessitas jam exsistit.

10) Opifices, qui praecipue diebus Dominicis res suas venales habent propter frequentiam emptorum, licet adaptent res suas emptoribus cum parvo labore, ut calceos, pileos: — ipsius materiae parvitas et quaedam necessitas excusat.

11) Barbitonsores ex quadam necessitate et ex consuetudine excusantur. Nam sibi ipsi barbam radere, ex alia ratione non censetur inter opera illicita; quapropter facilius id aliis praestare licitum evadit, etsi propter mercedem fiat. S. Alph. n. 290.

234 5. Ut de gravitate peccati judices, adverte: 1) Si opus est graviter servile, S. Alph. n. 305 ad materiam objective gravem requirit notabilem excessum ultra duas horas, sc. $2^1/_2$ horas, vel, ut alii dicunt, circiter tres horas: quare nisi ad 2—3 horas producitur labor sine necessitate, de peccato objective gravi non constat. — Verum de peccato subjective commisso judicari debet ex conscientia poenitentis, num videlicet notabiliter se laborare putaverit.

2) Quando igitur labor leviter servilis est, facilius ad tres usque horas produci potest, antequam graviter peccetur: idem dic, si aliqua necessitas, etsi non plene excusans, accedat.

3) Qui per alios laborat, iis laborem servilem imponendo, peccat eodem modo, etsi ipsi laborantes fortasse propter suum grave damnum declinandum excusantur. Verum si nemo ex iis, quibus labor imponitur, per notabile tempus laborat, etsi labor omnium simul sumptus diuturnus sit, mandans per se venialiter solum peccat (ut herus mandans sex famulis, ut singuli per horam laborent. S. Alph. n. 306): nisi forte ratio scandali et publica quietis Dominicae perturbatio peccatum reddat grave. Quae ultima adverte etiam, si quis labores serviles imponat infidelibus: nam *per se* id non est illicitum, quum illi non subjaceant, ut haeretici vere subjacent, Ecclesiae legibus.

6. In ipso jure can. locis cit. pro *causa excusante* afferuntur *necessitas* et *pietas*. Ex quibus jam communiter haec deducuntur:

A. Ratione necessitatis propriae excusantur: 235

1) Qui alias se suosque alere non possunt, non habentes, unde vivant.

2) Matres familias pauperes, qui vestes suas filiorumque suorum reficiunt, quum per hebdomadam victum quaerere debeant; neque necesse est, ut cum majore incommodo diebus ferialibus de somno necessario sibi subducant. Attamen si possint sine mediocri incommodo aliter providere, debent facere. Scav. II. n. 133 nota.

3) Idem fere dic de ancillis, quibus tempore dierum ferialium otium non conceditur ad res suas reficiendas lavandasque: at domini deberent — modo possint — potius extra Dominicam tale tempus concedere.

4) Opifices, qui propter emptorum extraordinariam frequentiam iis satisfacere nequeunt, nisi etiam diebus Dominicis vel festivis aliquod tempus labori impendant: quando, si denegarent, aut damnum sibi timere deberent, emptores a se avertendo, aut ipsis emptoribus magnum incommodum crearent.

V. g. sartores vestes conficere possunt pro nupturientibus, pro iis qui decente veste pro Dominico die assistendoque Sacro carent: at si ante diem festum perficere poterant, peccaverunt differendo; nunc autem, necessitate instante, licite laborant. — Dein etiam procurare debent, ut tot adjutores assumant, quot sufficiunt ad *consuetos* labores, ita ut labor die Dominica non evadat necessarius communiter; alias peccant. V. Reuter vol. 2 n. 295.

B. Ratione necessitatis alienae: 236

1) Fabri, qui instrumenta reparant iis, qui sequenti die indigent.

2) Operarii, qui ad damna communia avertenda, pontes . . . restaurant.

3) Ii, qui in necessitate extraordinaria et urgente, ut incendio, inundatione, succurrunt: imo caritas ad id obligat.

4) Etiam ii, qui ex caritate gratis laborant pro determinato paupere, cui ratione necessitatis propriae laborare liceat.

5) Quod aliqui extendunt ad labores pro pauperibus in communi, saltem si conficiuntur ipsae res, quae pauperibus distribuendae sunt, ut vestes etc. Nam laborare, ut lucrum pauperibus detur, non potest pro licito haberi.

C. Ratione pietatis excusantur: 237

1) Qui laborant, ut jam supra dictum est, in iis, quae immediate ad cultum divinum referuntur; ut ornare altaria, „quamquam“, ait Suarez l. c. cap. 21, „consulendum, ut quantum fieri possit, praeveniatur“.

2) Imo „mundare scopis templum, vestire parietes tapetis, etc. non fit quidem sine aliqua culpa; at non credo mortale (esse), secluso contemptu, ut bene notat Cajetanus: unde si omissum fuit (pridie), negligentia, si adfuit, est veniale peccatum; sed nunc jam licite fiunt“,

idem ib. n. 11: S. Alph. ab *omni* peccato haec excusat n. 292; notat tamen, ea, quae remotius spectant divinum cultum, ut tabulata praeparare ad videndam processionem, de se peccatum grave esse, ad dies festivos differre; verum si facta antea non fuerint, licite etiam ea fieri die festo. Ib.

3) Secundum plures licite fiunt, si paupertas ecclesiae accedit, gratis ea, quibus ecclesia ad decentem statum cultumque divinum indiget, ut: ornamenta conficere, utensilia sacra parare, saltem si ille, qui ecclesiae pauperi sic concurrere vult, aliis diebus suo lucro vult intendere, ne pietas in damnum ipsi vertatur; S. Alph. n. 293 in fine ne hanc restrictionem quidem, si de stricta obligatione sermo est, facit.

4) Pro ecclesia paupere autem agros colere, lapides secare, ipsam ecclesiam construere, quamquam nonnulli scriptores haec permittunt, tamen puto esse actiones ex se non licitas; at Episcopum jus habere per dispensationem haec agendi licentiam concedere. S. Alph. n. 293, Suarez l. c. n. 12.

238 D. Ratione publicae utilitatis vel necessitatis etiam conceditur in publica solemnitate profana ratione laetitiae et splendoris ea praeparare et conficere, quae antea confici non poterant, aut re ipsa praeparata non sunt: at si anteverti potest necessitas, ea de consulto ad diem festum differre, ex se objective grave peccatum esse potest. V. S. Alph. supra in simili re n. 292 et 304 „conficere vestes, ornatus, praeparare ignes etc.“

239 Ad **necessitatem** etiam refertur, si laborem omittendo aliquis notabile damnum pateretur, aut *magnum* lucrum amitteret. Quare:

1) Excusantur famuli et similes homines, qui a dominis adiguntur ad laborandum, nisi velint male tractari, aut expelli, neque habent alium famulatum, quo se sustentent. At semper supponitur, non juberi eos in odium religionis vel Ecclesiae. Alias si raro in anno id accidit, ut laborare debeant, potest id praetermitti; si autem frequenter sine causa necessitatis, serio inquirere debent alium famulatum; interim excusantur.

2) Excusantur tum domini, tum operarii et famuli in pluribus artibus, quarum labores sine gravi damno interrumpi non possunt, ut in fundendo metallo, vitro etc.

3) Excusantur ruricolae, qui, ingruente mala tempestate, segetes colligunt: quodsi necessitas certa est, possunt proprio marte agere; alias petant consilium vel dispensationem parochi. S. Alph. n. 303, Reuter n. 295.

4) Ob lucrum non diurnum quidem, sed pro conditione laborantis *magnum* seu *extraordinarium* excusatio admitti potest; quia operariis non leve incommodum est, transmittere debere opportunitatem magni lucri, quo sibi suisque diutius providere possint. S. Alph. n. 301.

5) Ratio otii vitandi pro excusatione haberi vix unquam potest. Verum si otium probabile periculum succumbendi tentationi induceret, quam aliter homo se victurum esse non speraret, utique sine peccato labor assumeretur: quod certe rarum est. S. Alph. n. 302.

Qui habent causam excusationis ex se non plane sufficientem, quaerant dispensationem, quam Superiores ecclesiastici concedere tum possunt.

§ 2.

De participatione Ss. Missae sacrificii.

1. *Actio positiva praecepta idque graviter pro omnibus diebus Dominicis et festivis obligatoriis est haec una, ut Christifideles* (ab aetate discretionis, i. e. a septennio, nisi constet aliquem etiamtum usum rationis nondum habere) *Ss. Missae sacrificio intersint. Theol. mor.* n. 556. 240

2. *Assistentia talis esse debet*, 1) *ut moraliter praesentes sint liturgicae actioni*, proin aut in ecclesia, aut ita prope, ut humano modo sint participes: quod quousque extendatur, utique saepe pendet a turba reliquorum, qui Sacro adstant; 2) *ut formaliter actioni sacrae participes, non materialiter tantum sint.* Formaliter igitur praesentes sunt seu participes, qui cum intentione colendi Deum ita intersunt, ut aliquo modo sibi rationem reddere possint eorum quae fiunt in altari atque illam saltem levem et confusam attentionem retinuerint. Praestat tempore Missae precibus ad Deum sese occupare atque sacerdotem sequi seu mente comitari; at severe id non praecipitur, neque distractiones solent *necessariam* attentionem impedire, nisi forte externis et a Missa alienis actionibus homo se tradat, ut sunt: serio res profanas legere, curiosa lustrare, dormire.

Confessio brevis, quae relinquat facultatem attendendi ad partes Missae principales, necessariae attentioni non obest; imo longior non raro potest ei, qui diu confessus non est, tantae necessitati vel utilitati esse, ut, nisi utrumque praestare possit, et confessionem instituere et Missam audire, prius praeeligere liceat: siquidem Ecclesia cum tanto incommodo obligare non censetur. *Theol. mor.* n. 558.

Minus etiam impediunt actiones illae, quae ad praesentem Dei cultum spectant, v. g. pulsare organa et similia.

Moraliter praesens est 1) qui est in ipsa ecclesia, ubi Missa celebratur, etsi longe distans a sacerdote et reliquis fidelibus, si aliquo modo discernat, quid agatur; 2) qui cum reliqua turba fidelium Missae adstantium est conjunctus, etsi intra ecclesiam non exsistat: (distantia tamen circiter 30 passuum facile impedire potest legitimam assistentiam); 3) qui non ita plane conjunctus cum reliquis, tamen ipsum sacerdotem Sacris operantem percipit, v. g. videt e vicina fenestra, audit ejus vocem interposita quidem janua eaque clausa etc. Attamen quilibet videt, si quis in loco separato subsistit, longe facilius impediri legitimam assistentiam, quam si distat quidem longius, loco tamen junctus est. S. Alph. n. 312. 241

3. *Quamquam integrae Missae quilibet assistere debet, nihilominus partialis omissio admittit parvitatem materiae, quae non ex sola temporis diuturnitate, sed etiam ex majore minoreve dignitate repeti debet.* 242

Subjective quidem graviter peccat, qui, quando supplere nolit aut non possit, cum advertentia libere periculo sese exponit eam Missae partem negligendi, quam notabilem judicat. Verum instructionis causa

et ut sciatur, quandonam sit obligatio gravis supplendi vel iterandi Missae assistentiam, referendae sunt illae omissiones, quae probabiliter non censentur notabiles et quae e contrario censentur.

Grave igitur censetur, omittere: omnia a principio Missae ad offertorium inclusive; omnia usque ad evangelium inclusive simul cum iis quae post Communionem sequuntur; vel omittere Consecrationem et Communionem simul, etsi omnia intermedia audiuntur; imo idem videtur dicendum de utraque Consecratione sola: (contraria sententia complurium scriptorum practice ex eo videtur valere posse, quod *solius* Consecrationis omissio fieri nequeat, quin *maneat* moralis unio cum reliquis, si quis tam brevi intervallo cogatur corpore recedere); grave erit etiam omittere omnia a Consecratione exclusive usque ad „Pater noster".

Grave non censetur: omittere omnia ab initio ad offertorium exclusive; omnia usque ad epistolam exclusive et simul omnia post S. Sanguinis sumptionem. Cf. S. Alph. n. 310.

Simul diversas partes diversarum Missarum audiendo, non satisfit praecepto; si vero *successive* id fieret, atque ex una eademque Missa haberetur Consecratio et Communio utriusque speciei absoluta, essentialiter satisfieret praecepto, atque si rationabilis causa accederet, nullum esset peccatum. S. Alph. n. 311.

243 4. *Quoslibet fideles per se in quacunque ecclesia aut oratorio publico satisfacere posse, jam certum est* ex S. Alph. et Benedicto XIV. *de syn. dioec.* l. 11 c. 14. — Potest autem per accidens *propter necessariam instructionem* aliquis obligari, ut quaerat ecclesiam sive parochialem sive aliam atque eam Missam, in qua concio vel instructio christiana habeatur.

Alioquin oratoria publica relate ad legitimam assistentiam Missae non solum ea censentur, quae ab Ordinariis pro publico cultu fidelium erecta sunt et omnibus ingressu per viam publicam patent, sed etiam oratoria in domibus, quae non sunt plene privatae, legitime erecta, v. g. in nosocomiis, in domibus religiosorum.

In sacellis autem *domûs privatae* ii soli satisfacere possunt, de quibus indultum (S^ae^ Sedis) mentionem facit, atque iis tantum diebus pro quibus Missae celebratio ibidem conceditur. — „Cognati de familia" intelliguntur consanguinei et affines usque ad quartum gradum, si cum domino privilegiato in eadem familia vivunt. — „Hospites nobiles" ii sunt nobiles, qui utcunque apud dominum divertunt, etiam invitati solummodo ad prandium. — „Famuli actu necessarii" ii sunt, qui pro tempore Missae (sive quo dominus Sacro assistit, sive quo ipsi ad audiendam alibi Missam uti deberent) absentes esse non possunt, quin decor domino privilegiato conveniens detrimentum patiatur.

244 5. *Etiam ab hoc praecepto causa mediocriter gravis excusat; quae si plene non excusat, dispensatione supplenda est.*

Notabile seu mediocriter grave incommodum sufficit, sive in anima, sive in corpore, sive in bonis fortunae, sive in honore, fama, pudoreve rationabiliter timetur. S. Alph. n. 324 cum communi sententia.

Hinc excusari censentur:

1) Qui aliquoties ad vitandum scandalum alienum Missam omittit, S. Alph. n. 331. — Similiter permittit S. D. n. 327 cum aliis, ut

pater ex justa causa filium in poenam domi retineat reclusum, etsi ille Missam non audiat. Quod dicendum est etiam relate ad filios, quos pater scit in accessu ad ecclesiam peccatis se daturos esse vel grave peccandi periculum incursuros, quando eos secum ducere alteriusve viri fidi custodiae committere nequit: filii tamen peccant, nisi emendationem ostendant.

2) Qui notabile incommodum valetudinis timent: v. g. reconvalescentes; aut qui ob paupertatem ab aëris inclementia se protegere non possunt et propter hiemalem vel pluviosam tempestatem timere rationabiliter debent, ne infirmitatem contrahant (ut qui tempestate humida laceratis calceis etc. incedere deberent).

3) Qui custodiunt domos, greges, infantulos, quos sine aliorum 245
perturbatione secum ducere nequeunt: verum si fieri potest, ut, quando plura Sacra celebrantur, unus alterum excipiat in custodia laboreve, id fieri debet: alias diebus Dominicis et festivis alternare debent; quamquam non ita rigorose, ut uxor toties accedere debeat, quoties maritus.

4) Qui aegros curant iisque magno solatio sunt, qui cibos parare debent: (intellige in loco, ubi ab ecclesia longius distant, et quantum fieri potest cum restrictione modo n. 3) notata) S. Alph. n. 326.

5) Qui gravem indignationem sive parentum, sive domini, sive mariti incurrunt, etsi haec indignatio in justa causa non fundatur: modo ne fiat, ut in odium religionis jubeantur domi manere, neve frequenter accidat. Nam si frequenter id fit, tandem de alio remedio laborandum est.

Attamen caveri debet, ne ob levem indignationem vel leve incommodum incurrendum famuli filiive ex respectu humano jussioni acquiescant. S. Alph. n. 327.

6) Qui damnum subire deberet in itinere, amittendo expensas etc.; qui lucri *extraordinarii* opportunitatem amitteret, ratione habita conditionis ejus, de quo agitur. — Imo si cujus conditio muneris vel officii id secum fert, ut Sacrum audire nequeat, facilius etiam *notabilis jactura* excusat, ut accidere potest aurigis, nautis. S. Alph. n. 332.

7) Qui longe distant ab ecclesia: secundum S. Alph. n. 329 cum 246
Mazzotta et aliis distantia bonae leucae vel pedestris itineris per horam cum quadrante absolute excusat, ita ut urgeri non possit *ecclesiasticum* praeceptum quolibet die Dominico et festivo Missam audiendi; minor etiam distantia, si accedit aut debilitas virium, aut tempestatis itinerisve inclementia.

Quare si quis tanto spatio ab ecclesia distat, potius exhortandus, quam obligandus est, ut quando id disponere possit, conetur ad Sacrum accedere. Aliud tamen intelligo de eo, qui sine novis expensis currum paratum habet, quo vehatur.

8) Qui notabilem pudorem subire debent, etiam excusantur. Unde 247
excusant eos, qui decentes vestes non habent pro conditione sua, nisi summo mane sine pudore et sine alio graviore incommodo accedere possint: idem de femina indecenter gravida aliquando permitti potest; etiam de iis, quorum banna proclamantur, si vera pudoris ratio sive ex consuetudine sive ex peculiari circumstantia adest, atque opportunitas alterius Sacri audiendi deficit.

Similiter ratione luctûs vidua, filia sororve defuncti excusari ad tempus possunt, si consuetudo est alicubi per tale tempus domo non exeundi.

Cf. de omnibus hisce S. Alph. n. 330.

Verum hîc attendas velim, praeceptum divinum adesse, aliquoties saltem, si fieri possit, Sacro interesse. Hinc, qui ordinarie impediuntur, quominus Sacro diebus praeceptis intersint, aliquoties in anno incommodum *gravius* ferre debent, ut possint assistere; atque qui per totum annum impeditus esset, aliquoties diebus ferialibus deberet supplere.

Liber II.

De virtutibus et officiis circa homines humanaque bona.

Divisio I.

De extensione theologicae caritatis virtutis ad ipsum hominem tamquam objectum secundarium.

Caput I.

De caritate et amore quem homo sibi ipse debet.

248 Sola caritas ea theologica virtus est, quae extendi possit ad creaturas. Cur et quomodo id fiat, quaere fusius apud theologos dogmaticos; breviter indicatum habes *Theol. mor.* n. 568 et 593.

Hîc aliud vix pertractari potest, nisi *cura illorum bonorum,* quam homo sibi debet, nisi debitam caritatem ejusque ordinem velit laedere. Quae cura ad tria potissimum bonorum genera sese extendit:

Primum bonum, quod, etsi non omnium summum in se, tamen omnium fundamentum est, consistit in vitae nostrae nostraeque personae, ut homines sumus, conservatione.

Secundum bonum illud est, quod est in se summum atque summe necessarium: divina amicitia quae fruitivae cum Deo in altera vita unionis germen est et arrha, atque hujus amicitiae acquisitio, conservatio, augmentatio: brevi, vita supernaturalis ejusque augmentum.

Tertium bonum ea complectitur, quae ad priora genera servanda vel comparanda media quaedam sunt, quibus pro divina voluntate in hac terrena vita ut homines et christiani, sive ut individui homines sumus, sive ut sumus membra societatis, vivamus digne. De singulis speciatim plura.

§ 1.

De cura circa corpus vitamque propriam.

1. *Quilibet tenetur mediis ordinariis consuetis vitam suam conservare;* idque eodem jure et officio, quo jubetur, ne se occidat. 249
Mediis enim quibusdam non adhibitis, ut cibo et potu etc., vita illico declinabit atque brevi exstinguetur: quare natura ipsa impellit ad ea media arripienda, nisi quis reus esse velit propriae vitae exstinctae. — *Non ita tamen quoad media extraordinaria:* haec enim non quaerere, est mortem potius permittere, quam sibi eam inferre.

Sic communiter docent theologi: 1) Hominem generatim *non teneri* adhibere remedia pro statu suo cum extraordinariis expensis conjuncta, ut a morte se liberet (esset revera magnum damnum suis illatum); 2) neque tenetur ad subeundos magnos cruciatus, neque ad quodlibet malum sibi valde magnum, v. g. ad subeundam magnam deformitatem, vel virgo ad subeundum magnum pudorem.

Possunt nihilominus extrinsecus rationes graves accedere, v. g. magna hominis utilitas pro bono publico, quae obligent ad conservandam vitam etiam cum magno incommodo.

2. Magis etiam *licet* homini ea subire vel exercere, ex quibus 250
mors quidem non imminet, sed aliqua mortis acceleratio seu vitae abbreviatio timetur: quod tamen pro majore timoris fundamento et pro causa, ex qua aliquod periculum subitur, aut nullum peccatum erit vel etiam opus meritorium, aut peccatum plus minusve grave vel leve.

Si igitur vitae abbreviandae periculum remotum est et longe distans, grave peccatum committi non censetur, etsi aliquot annorum abbreviatio probabilis est; at veniale peccatum erit, nisi justa causa adfuerit: qua exsistente, e. g. conatu edomandarum passionum virtutumque christianarum exercitio, erit opus valde meritorium, sicut videmus in sanctis viris, qui corporis maceratione cruciatus sibi inferre atque vires suas frangere studuerunt.

3. *Nullatenus cuipiam licet, proprio marte sibi positive necem inferre.* 251
Id enim tum ratio, tum Ecclesiae auctoritas tamquam gravissimum crimen damnat: quamquam in quibusdam difficilioribus circumstantiis hac in re invincibilis ignorantia possibilis est. Suicida enim actum veri dominii in se suamque humanam personam exercet, quod re ipsa soli Deo competit atque competere potest: cum qua divini dominii usurpatione cohaeret officiorum multiplex neglectus, quae homo habeat tum erga se suamque familiam, tum erga humanam societatem.

Num vero reus juste capitis damnatus debeat aut possit, judice volente, se ipsum necando sententiam exsequi, non una est scriptorum sententia. Eum non teneri, practice certum est; eum nihilominus posse, practice est probabile. Cf. *Theol. mor.* n. 576.

Certius etiam est, hominem juste capitis damnatum, ut fame pereat, etsi possit, tamen non teneri clam cibos sibi allatos sumere, ut ita paulo diutius vitam suam protrahat. Amore justitiae vindicativae potest plane cibos respuere, qui secundum juris sententiam sibi denegantur.

4. *Eodem jure, quo prohibetur suicidium, etiam propria mutilatio prohibetur.* At in una causa hanc sibi inferre homini licet, scilicet si aliter totum corpus seu ipsa vita periclitatur: pars enim toti cedere debet.

Ad alios autem fines, etiam spirituales, non licebit mutilationem facere: quamquam hac in re bona fides aliquando excusare potest.

252 5. *Cum autochiria confundenda non est periculi propriae mortis susceptio, quam,* si periculum in verum damnum transierit, *indirectam occisionem vocant.* Nimirum *tale periculum subire, ex causa relative gravi licebit,* eo tamen graviore, quo gravius est periculum seu quo minor est spes vitam servandi incolumem.

Unde licebit: 1) se projicere e fenestra cum *magno* periculo pereundi, ad evadendam sententiam mortis, vel durissimum carcerem, modo spes etiam evadendi mortem adsit.

2) Licet virgini ad evadendam laesionem sui sese conjicere in *certum mortis periculum,* modo ne sit in certam mortem: nam si plane impossibile est vitam servari, sed illico necesse est, ut ex actione, quam virgo ponat, mors sequatur, sicut ex projectione ex alta turri, id *agere* non licet; *pati* vero potius mortem, quam violari, omnino licet, imo consilii est. S. Alph. n. 367 et 368.

3) Licet ad duriorem mortem incendii evadendam sese in flumen seu mare, navi conflagrante, conjicere, etsi non sit vera spes servandae vitae: nam periculum mortis adeo certum subire, quod alias suicidium putari debet, in ejusmodi circumstantiis plane aliam rationem habet. Cf. S. Alph. l. c. cum Lugo *de just. et jure* d. 10 n. 50; Less. *de just. et jure* l. 2 c. 9 n. 35.

4) Licet in naufragio amico tabulam jam arreptam cedere et ita ejus vitae potius quam propriae consulere, nisi propria vita prae vita amici forte necessaria sit. Lugo l. c. n. 48; Less. l. c. (dub. 6) n. 29 et 31.

5) Licet in bello justo navim aut turrim accendere etiam cum propriae vitae *certa jactura,* si hostibus grave damnum per hoc infertur aut magnum bonum eripitur, quia magnum bonum publicum praevalet malo privato: non licet haec agere ad privatum incommodum, captivitatem, mortem, quae inferatur etc., evadendam. S. Alph. n. 367.

6) Licet periculosam chirurgicam operationem subire non solum, quando aliter ex infirmitate seu morbo vitae periculum imminet; sed etiam ad tollendos magnos cruciatus, vel magnam deformitatem quae *valde* molesta sit.

253 7) *Non licet* audaciae causa vel ad ostentandam dexteritatem sese in grave vitae periculum conjicere, idque graviter peccaminosum est, sive fit ex sponsione, sive quaestûs causa, ut a funambulis aliisve gesticulatoribus: nisi tamen consuetudo et praecautiones adhibitae periculum pro actore ita diminuant, ut grave amplius non sit.

8) Neque licet quaecunque pericula vel actiones, quae utcunque vitae abbreviandae causa esse possunt, *ea intentione* suscipere, ut vita citius finiatur. Aliud est, si quis in ejusmodi periculo ex justa causa suscepto simul desiderium brevioris vitae fovet, divinae providentiae sese committendo. Nam:

9) Desiderio inefficaci desiderare mori, est pro diversis motivis et diversis modis, quibus fit, aut meritorium, aut peccaminosum idque

leviter aut graviter. — Nam levi de causa ad malum non ita grave evadendum id facere, peccaminosum est; sed vix graviter, nisi fiat cum oppositione seu rebellione contra divinam voluntatem et providentiam: si fit propter mala valde dura atque cum resignatione in Dei voluntatem, peccatum non erit: si fit ex desiderio caritatis divinae, meritorium est.

§ 2.

De cura hominis circa vitam suam supernaturalem.

1. In quolibet peccato mortali gravis laesio caritatis hominis erga 254
seipsum continetur: quae tamen vix unquam constituit malitiam specialiter in confessione declarandam.

2. Speciale peccatum grave contra hanc caritatem sibi debitam homo committit, quando in mortis periculo exsistens reconciliationem cum Deo, si indiget, sibi procurare omittit.

3. Augmentum vitae spiritualis seu sanctificantis gratiae et meriti per actus sive supererogatorios, sive non graviter praeceptos, negligere, in se et per se grave peccatum non est, nisi fiat — id quod fieri non solet — *ex contemptu.*

4. Quare licebit etiam propter proximum bonis spiritualibus non necessariis eorumve adeptione sese privare: quamquam id ex caritate proximi facere, non tam est spiritualis boni privatio, quam potius unius in aliud commutatio. Aliud plane est, peccatum aliquod subire, ut proximus spiritualiter juvetur: quod sane non licet, etsi de supremo bono proximi et de levissimo peccato proprio ageretur.

Haec in hac re sufficiunt, quoniam particularia, quae homo circa bona sua spiritualia agere debet, in singulis ejus officiis continentur.

§ 3.

De cura bonorum illorum, quibus homo in hac vita tamquam mediis indiget.

Bona illa, in quae homo in hac vita tamquam in media praecipue 255
intendere debet, sunt:

1. *Bona externa* tum fortunae, tum bonae famae: quorum ea cura necessaria est, quae aliorum officiorum rectam impletionem possibilem reddat: ceteroquin a nimia cura homo animum refraenare debet. Peculiaria officia et peccata cum hisce bonis connexa in septimo et octavo decalogi praeceptis explicabuntur.

2. *Interna bona* et voluntatis et mentis culturam respiciunt, qua homo sibi expeditiorem reddat ultimi finis assecutionem et se idoneum faciat membrum humanae societatis: quam sane non ab omnibus eandem intendere convenit, neque expedit.

3. *Electio statûs* vitae: nam neque in corpore humanae societatis 256
omnia membra eundem actum habent, et Deus ita officia, vires, inclinationes singulorum hominum divisit, ut in suo quisque ordine et communem utilitatem et propriam salutem aeternam possit promovere. Hîc nota pauca sequentia:

1) Plerique ex eo, quod quaerere debent, unde vivant, tenentur aliquam artem utilem addiscere, ut se suosque sustentare possint.

2) Etiam ei, qui habet abundanter, unde vivat, plane desidi esse non licet, sed utili quadam occupatione vitam agere debet: quod jam magna ex parte fit cura familiae, magis cura et participatione associationum piarum, vel utili labore in publicis comitiis etc.

3) Obligatio ad *certum* aliquem vitae statum potest a. negative adesse, ne eligatur unquam status qui sit in se inhonestus, neve is, cui vires tum physicae tum morales impares sint; b. etiam aliquando positive, si aut unicum medium censetur esse salutis, aut obligatio *jam exsistens* in alio statu impleri nequit.

Caput II.

De caritate erga proximum positive exercenda.

Cf. S. Thom. II. II. q. 25—33 et q. 36—44; S. Alph. l. 2 (3) n. 25—80; Laymann l. 2 tr. 3 c. 3 sqq.; Tambur. *in decal.* l. 5 c. 1; Castrop. tract. 6; Elbel p. II. n. 207—390; Suarez *de caritate.*

257 Ut jam modo praecedenti capite dixi, divina caritatis virtus extenditur non ad solum Deum, sed propter Deum ad eos etiam, qui ad divinam quasi familiam pertinent, scilicet quos Deus ipse in eadem intima unione bonorumque divinorum communicatione instituit, quos divinae naturae participes fecit, filios adoptivos membraque de familia reddidit, aut ad hanc supremam dignitatem vocavit.

Quare caritas nostra complectitur 1) Beatos cum Angelis in coelo, 2) animas sanctas in purgatorio patientes, 3) justos in hac terra, 4) reliquos homines peccatores utpote qui vocentur et invitentur ad amicitiam divinam. — Excluduntur a caritate ii soli, qui irreparabiliter Dei inimici sunt, aeternis poenis addicti, daemones atque animae damnatae: quos amore amplecti velle licere nequit.

Articulus I.

De interno actu caritatis erga proximum.

258 Circa internum caritatis actum haec pauca noto:

1. Actus, quo proximum diligimus, ad eandem caritatis virtutem pertinet, qua diligimus Deum: quod colligere licet ex I Joan. 4, 11 sqq.; 3, 14; 4, 7. 19.

2. *Actus internus caritatis erga proximum ut aliquando exerceatur, praeceptum est.* Cf. hac de re theses ab Innoc. XI. damnatas 10 et 11. — Affectus caritatis revocantur ad hos: 1) ut *complaceamus* nobis in bonis proximi, 2) ut ejus bonum seu felicitatem *desideremus*, 3) ut data occasione in necessitate *velimus eis opitulari.*

3. *Attamen huic praecepto per se satisfit omnes homines in communi diligendo, neminem excludendo: nisi aliunde singulorum hominum specialis vel singularis dilectio evadat necessaria.*

Rationes ergo, ex quibus obligatio gravis aliquem in particulari 259
interno dilectionis actu prosequendi exsistere potest, sunt:

Prima, ne dilectionis omissio sit positiva exclusio a communi amore.

Secunda, ne succumbam odii tentationi, quam aliter me victurum esse non confidam, nisi positivo actu caritatis.

Tertia — quae cum prima cohaeret ad eamque reducitur — obligatio peculiares homines honorandi, juvandi, ut parentes, Superiores, extraneos necessitate pressos. Videlicet affectus in eos peculiariter ferri debet, etsi non quavis occasione, qua illis debitus honor praestatur, tamen aliquando, ut humano modo procedatur. Nam moraliter impossibile est, ut saltem, quando in communi omnes homines diligo atque memoria eorum occurrit, quibus peculiari vinculo conjungor, eos non peculiari benevolentia prosequar, nisi rancore vel odio contra eos me impediri sinam.

4. Praeceptum est diligendi proximum *sicut* nosmetipsos: quod 260
nihilominus non dicit omnimodam aequalitatem, sed ut eodem ordine bonis proximi diversis provideamus, quem caritas erga nos postulat, servato tamen certo gradu pro diversa proximorum necessitate diversaque nobiscum conjunctione.

Proximum igitur magis diligere debemus relate ad ejus aeternam felicitatem, quam nosmetipsos relate ad bona inferiora: verum simpliciter et in eodem ordine, saltem in supremo illo ordine, nosmetipsos magis diligere debemus. Ad quod refertur, quod supra dictum est, nos nunquam animae nostrae detrimentum subire licite posse, ut proximi saluti prospiciamus. Si autem alia bona inferiora in quaestione sunt, licebit proximum sibi praeferre, nisi aliae rationes obstant: nam qui ita ex caritate agit, pro detrimento boni inferioris commutat supremi boni incrementum. — Sed haec jam de actibus externis potius, quam internis caritatis valent. Cf. S. Thom. II. II. q. 26 a. 4.

Pro diversis caritatis actibus diversi etiam *ordines* diligendi varios varie assignari debent. Nam prout sermo est de complacentia in bonis jam habitis, aut desiderio augendi bona, aut de voluntate succurrendi bonorum protectioni: non idem semper ordo est alios prae aliis diligendi. Complacentia major debetur *melioribus*, desiderium crescendi in bonis imprimis debetur *magis conjunctis*, voluntas succurrendi maxime debetur *majore necessitate pressis*. At accuratior determinatio postea in sequenti articulo dabitur.

Articulus II.

De externis actibus caritatis erga proximum.

§ 1.

De obligatione proximis opem ferendi generatim spectata.

Actus ille internus, quo proximum prosequi tenemur, inermis esset 261
velleitas, nisi, occurrente necessitate, externa bonorum proximi procuratione sese proderet. De qua generatim sumpta haec dicenda sunt:

1. *Opem, si quam proximo ferre debemus, necessarium non est ferri ex motivo caritatis.* Quamquam enim caritas postulat, ut indigenti opem feramus, sicut caritas erga Deum postulat, ut Ejus mandata servemus: in exsequendo illo debito optimum quidem est, sed non necessarium, motivo caritatis duci.

2. *Obligatio opem ferendi proximo, quatenus sola communis est, respicit casus necessitatis cuivis occurrentes, non imponit legem inquirendi:* haec aderit ex lege *pietatis* sive specialis conjunctionis, vel ex munere *Superioris.*

3. *In ipsa opitulatione, si omnibus provideri nequit, tum pro majore necessitate, tum pro majore conjunctione proximi servandus est certus ordo.* Quod regulis quibusdam declarari debet.

262 Scilicet I. *Diversae necessitates* distinguendae sunt, pro quibus major minorve obligatio proximum ex necessitate eripiendi adesse potest eamque tum secundum gradum, tum secundum rerum ordinem distinguimus. Necessitas *extrema* dicitur, quando alter sine meo auxilio salvari nequit, i. e. si neque seipsum salvare potest, neque alius adest, qui auxilium laturus sit: dicitur *quasi extrema,* quando valde difficile est, proximum sine meo auxilio effugere extremum malum; aut si premitur malo, quod fere extremo comparatur, et brevi ad illud ducere videtur.

Necessitas *gravis* dicitur, quando aliquis sine magna difficultate sibi res *necessarias* procurare nequit, aut quando ipsi imminet periculum gravis mali, quod sibi relictus vincere vix potest.

Necessitas *communis* tum ea dicitur, ex qua homo seipsum sine magna difficultate eripere potest, tum quae, etsi maneat, vitam non adeo miseram et molestam reddat, spectata uniuscujusque conditione.

Quaelibet ex diversis necessitatibus, considerato rerum ordine, in quo versatur, est aut spiritualis, aut temporalis seu corporalis; posterior vitam, bona fortunae, denique omnia bona hujus vitae comprehendit.

Ordo autem, quo gravius minusve graviter urget obligatio succurrendi, hic est:

1) necessitas spiritualis extrema et quasi extrema;

2) necessitas spiritualis gravis;

3) necessitas corporalis extrema et quasi extrema: imo in ea pro circumstantiis magis urgere potest succurrendi obligatio, quam in necessitate sub 2);

4) necessitas corporalis gravis;

5) necessitas sive spiritualis sive corporalis communis.

263 II. Regulas, quae determinant pressius *diversam obligationem* pro diversa necessitate, hîc habes ex Castropalao (*de car.* d. 1 p. 9):

Prima regula: In *extrema necessitate spirituali* proximi debes non solum bona temporalia, sed etiam vitam expendere, modo aeque certa sit spes salvandi proximum, atque est periculum jacturam patiendi bonorum propriorum, neve gravius damnum commune obstet.

Secunda regula: Extra casum extremae necessitatis spiritualis non teneris cum periculo morali propriae vitae, amissionis membrorum, gravi omnino jactura bonorum proximo succurrere: nisi specialis ratio

accedat, ut *munus* ex quo v. g. medicus, parochus, *pietas* ex qua filii vel parentes succurrere debeant, vel *bonum commune* propter quod viro publicis rebus necessario succurrendum sit.

Tertia regula: *Necessitatem gravem* proximi, saltem si spiritualis est, alter depellere sub gravi tenetur, si sine suo detrimento gravi id efficere potest, imo etiam in necessitate gravi temporali obligatio gravis adesse potest, facilior tamen erit excusatio.

Quarta regula: Ut autem *in ordinaria, i. e. levi necessitate* obligatio succurrendi, maxime obligatio gravis adsit: et commode auxilium debeo ferre posse, et certae circumstantiae verificari debent, quae sequentibus §§ speciatim tractantur.

III. Ordo inter diversos conjunctos servandus. In 264
communi et ordinaria rerum provisione et communicatione ii, qui in certi ordinis societate nobiscum sunt, in hujus ordinis rebus prae aliis spectandi sunt.

At in vera et gravi necessitate cujuslibet ordinis proxime cognati, *maxime parentes,* omnibus aliis praeferendi sunt, quum haec conjunctio sit omnibus aliis conjunctionibus prior, immutabilior, magnisque beneficiis fundata. Quando vero de cognatis non ita propinquis agitur, non est, cur spiritualem conjunctionem aut amicitiae vinculum non praeferamus.

Inter ipsos autem cognatos sequens ordo servandus est, ut succurri debeat: 1) parentibus (patri prae matre), 2) uxori, 3) filiis, 4) fratribus, dein reliquis cognatis; ita tamen, ut ordinis inversio, ubi non est notabiliter magnum discrimen, v. g. inter patrem, matrem, filios, grave peccatum non sit. Mazzotta *de praec. carit.* cap. 2 § 3 in fine et Lacroix l. 3 p. 1 n. 729 cum Suar., Castrop., Bonacina. Verum in communi necessitate et ordinaria rerum provisione uxor et filii parentibus praeferendi sunt, quia per se parentes filiis, non filii parentibus providere debent, nisi necessitas gravisque pressura aliud injungat.

Posse autem propter bonum publicum accidere, ut debeam hominem publico bono necessarium prae omnibus aliis salvare, per se intelligitur.

Haec de ordine in externa opitulatione respiciendo. Nam si de interna aestimatione et complacentia caritatis agitur, certe alia est norma. Cfr. *Theol. mor.* n. 601 sqq.

§ 2.

De eleemosyna corporali in specie.

Eleemosyna presse quidem intelligitur de largitione eorum, quae 265
ad vitam pertinent, et hoc sensu etiam per se a nobis sumitur. Verum quae de *obligatione* dandae eleemosynae in proximi necessitate dicuntur, eadem dic de quolibet auxilio, quo proximum juvemus malum temporale ab eo avertentes. Huc refer opera corporalis misericordiae quae exhibentur

„Colligo, poto, cibo, redimo, tego, visito, condo.“

Praenotanda. Si de obligatione eleemosynae quaeritur, praeter diversas necessitates, quas supra explanavi, videnda est conditio ejus, de cujus obligatione ferendi auxilii quaeritur. Relate ad quam distinguuntur: 1) bona vitae necessaria; 2) bona statui necessaria, idque aut simpliciter necessaria, aut decentiae ejus necessaria; 3) bona simpliciter superflua.

Vitae igitur necessaria ea sunt, quibus homo indiget, ut suam suorumque vitam sustentet. — *Statui necessaria* ea sunt simpliciter, sine quibus homo e statu suo descendere cogitur, sive ut a vita nobili ad exercendam artem transire debeat, sive ut notabiliter sit diminuendus famulatus, liberalis hospitum exceptio, filiorum educatio atque provisio etc. Imo etiam pertinent ad bona statui necessaria quaedam, quibus provideatur casibus fortuitis infirmitatis etc. — *Ad decentiam statûs* haec omnia ita pertinent, ut eorum provisio intra limites honestae liberalitatis consueto modo continuari possit: imo prout conditio praesens plus minusve inferior est, ad statûs decentiam etiam referre licet acquisitionem bonorum ad modicum statûs ascensum. V. Castrop. l. c. p. 2 n. 2; S. Alph. l. 2 n. 32.

266 Quibus statutis, haec tene pro regulis: 1. *Nemo ratione solius caritatis praecepti proximo tenetur succurrere ex bonis vitae necessariis.*

2. *Occurrente extrema necessitate proximi, quilibet sub gravi succurrere debet, si modo potest sine incommodo damnove vere magno, etiam ex bonis statui necessariis.*

3. *Divites, qui vere superflua habent, videntur omnino graviter obligati esse, ut aliquando eleemosynam dent,* sive gravis, sive ordinaria pauperum necessitas spectatur, attamen non ut singulis dent pauperibus, neque, ut singuli singulorum necessitatem plene auferant. Multo certius *gravis* obligatio est, ne frequenter repellant gravi necessitate obstrictos. Quoniam vero in praxi difficulter constet, quando et quantae eleemosynae sit obligatio gravis, aliunde autem etiam divites ad ferendas opes cogantur: confessarius generatim suasione potius, quam minis denegandae absolutionis divites urgere debebit, nisi pauperum tractatio vere inhumana certo appareat.

267 4. Neque a veniali peccato excusatur, qui non superflua quidem, at statui commodoque suo convenientia bona habens 1) pauperes ordinaria necessitate pressos plerumque sine ullo auxilio a se dimittit, 2) aut ut singularis hominis necessitatem omnino gravem sublevet, ne leve quidem donum concedere velit, maxime quum id fere fieri possit ex iis rebus, quibus ipse pro se suisque jam uti nolit.

5. In reliquis autem casibus qui occurrunt fideles potius, proposito merito eleemosynae, exhortandi, quam obligatione urgendi sunt; idque multo magis nostris temporibus valet, quando tributis a re publica impositis fere quilibet etiam ad sublevandos pauperes cogitur.

6. Incumbente necessitate et angustia, non solum pauperes fideles et pii, sed etiam peccatores, infideles, peregrini etc. sublevandi sunt; siquidem caritas omnes homines amplectitur: nihilominus in pari causa cives, fideles, paucis, qui in aliquo arctiore nexu cum donatore exsistunt, prae ceteris sunt juvandi. Cf. *Theol. mor.* n. 605 sqq.

§ 3.

De spirituali quasi-eleemosyna seu de correctione fraterna.

Spiritualia misericordiae opera sunt: 1) Docere ignorantem, 2) con- 268
sulere dubitanti, 3) consolari afflictum, 4) corrigere peccantem, 5) condonare offendenti, 6) ferre onerosos et graves, 7) orare pro vivis et defunctis, vel: *Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.*

Ex quibus alia aut gravem miseriam non supponunt, aut difficulter ab iis, qui in officio constituti non sunt, possunt exerceri. De condonatione offensae speciatim agendum erit. De oratione pro aliis dictum est satis tum in articulo praecedenti, tum in tractatu de religione. De sola correctione delinquentis hîc fusius disserendum.

Distinguitur potissimum *fraterna* correctio, et *judicialis.* Fraterna, quae tendit in solum privatum bonum delinquentis; judicialis, quae ad bonum commune dirigitur, ad servandum et reparandum ordinem justitiae per delinquentis punitionem. Fraterna correctio igitur a quolibet, etiam privato homine aequali et inferiore, fieri potest; judicialis a solo legitimo Superiore. — Mediam quandam correctionem distinguunt, *paternam* sc. Superioris, quando nondum judicis partes agit, sed patris, ideoque bonum delinquentis pro norma agendi habet, poena non addita, nisi ad summum aliqua medicinali. Quae correctio *fraternae* accensenda est.

1. *Fraterna correctio in quolibet mortali peccato materia apta est,* 269
quae gravem obligationem secum trahere possit: quod ex verbis Christi Matth. 18 communis interpretatio colligit. Rationes v. *Theol. mor.* n. 612.

2. *Ut autem re ipsa gravis obligatio corrigendi exsistat, multa requiruntur, quae raro simul eveniunt.* Nam debet: 1) constare de peccato proximi gravi commisso, aut ejus gravi periculo committendi; 2) improbabile esse, quod proximus per se resipiscat, aut periculum evitet; 3) spes positive probabilis fructûs adesse; 4) deesse alter aptior, qui admoniturus sit; 5) abesse periculum gravis damni vel incommodi pro corrigente. Cf. S. Alph. n. 38 cum aliis. Quum igitur saepe non constet, utrum monitio profutura an nocitura sit, atque prae homine privato Superiori cura corrigendi incumbat; quum insuper non raro grave sit, corrigentis personam agere: dicendum est, a) ignotum hominem corrigendi, nisi alia pericula adsint, perraro esse obligationem; b) seclusis aliis periculis ac gravibus malis, ex pusillanimitate vel verecundia correctionem omitti ab eo, qui se minus aptum putet, alioqui facturus, veniale tantum peccatum est; minus etiam homo scrupulosus obligatur.

3. Per se quidem est obligatio secretae admonitionis faciendae, antequam ad denuntiationem ulterius procedatur. Verum hujus ordinis vel servandi obligatio cessat, vel non-servandi obligatio erit: 1) si agitur de avertendo damno tertii innocentis, maxime si de damno communi, cui per secretam admonitionem non satis certo occurratur; 2) si delatio fit ad Superiorem ut patrem, qui putatur melius et efficacius posse corrigere; 3) si ipse delinquens cessionem famae suae hac in re fecerit, neque evidens sit, secreta admonitione aeque bene aut melius provideri posse, quam per delationem ad Superiorem — quod praecipue applicationem habere potest in ordinibus religiosis.

270 Scholion. 1. Quod de fraterna correctione dicitur, debere eam fieri posse sine gravi incommodo, ad obligationem Superioris non refertur. Ille enim, quando vi muneris monere et corrigere debet, propter incommodum magnum non excusatur.

2. Generatim obligatio correctionis restringitur ad defectus graves. Verum id duplici limitatione indiget: 1) In communitate religiosa defectus per se nullo modo mortales, si frequentiores fiunt, disciplinam graviter relaxare possunt: quod est damnum grave. Quare ne hoc periculum oriatur, gravis obligatio occurrendi defectibus levibus existere potest saltem pro Superioribus et iis, qui cum eo invigilare debent. 2) Si quis cum altero familiaritate utitur, eumque commode a peccato etiam non gravi liberare vel praeservare potest, neglectus hujus officii veniale peccatum contra caritatem esse potest: prudentia tamen etiam majore hîc opus est.

271 3. Cum fraternae correctionis praecepto hucusque exposito cognationem habet officium monendi seu corrigendi eum, qui ex *ignorantia* non (graviter) peccaminosa vel inadvertentia legem objective laedit. Circa quod breviter nota:

1) Obligatio monendi oriri potest ex avertendis: a) damno ipsius ignorantis, b) aut damno tertii, c) aut scandalo, d) aut laesione divini honoris, e) aut alio periculo damnove religionis.

2) Quorum si nihil occurrit, in homine privato fere abest obligatio monendi. Facilius quidem aderit obligatio praecavendi vel impediendi laesionem objectivam legis *naturalis* aut *divinae:* quando enim de lege mere *humana* agitur, seclusis causis enumeratis, plures scriptores (v. Lacr. l. 2 n. 214) hominem *privatum* ab omni obligatione veri nominis eximunt, etsi facile possit monere, plerique obligationem nihilominus statuunt, nisi quaedam rationabilis causa sit, cur res silentio prematur. Exemplum habes, si videas amicum ex oblivione violare legem jejunii vel abstinentiae.

Caput III.

De caritate negative servanda seu contrariis actibus non violanda.

272 Postquam de actibus positivis caritatis sermo fuit, peccata contraria declaranda sunt, quibus caritas laeditur, simulque officia, quae inde deducuntur. Atque primo: de odio et inimicitia et de caritate ipsis inimicis debita; secundo: de scandalo; tertio: de cooperatione cum alieno peccato dicendum est.

Articulus I.

De odii inimicitiaeque peccato atque de caritate inimicis debita.

§ 1.

De notione odii et peccatorum similium.

1. Distinguitur odium *abominationis* et odium *inimicitiae.* Prius est odium seu aversatio alicujus mali in persona, et aversatio per-

sonae, quia et quatenus illud malum in eo apprehenditur; odium inimicitiae est odium personae eo tendens, *ut* malum in eo apprehendatur seu tendens in gaudium vel desiderium circa malum proximi, *ut ipsi malum est.* Cf. Alph. n. 30; Reuter p. 2 n. 124; Laymann *de car.* c. 8 n. 1.

2. *Odium inimicitiae est semper peccatum idque ex genere suo mortale.* Odium *abominationis* potest haberi sine peccato, imo cum laude; potest etiam esse peccatum sive grave sive leve pro causa, ex qua concipitur, et pro gravitate rei. Sic peccatum non est, abominari populi seductorem propter gravia mala, quae infert, neque peccatum est, ei, ut finiantur haec damna, malum, *quo impotens fiat,* adprecari. Abominari aliquem propter mala non vera vel ex leviore causa, peccatum est, etsi non semper mortale.

3. *Ab odio inimicitiae moraliter non distinguitur tristitia de bono* 273
alterius, quatenus ipsi bonum est: distinguitur *invidia, quae etiam est peccaminosa tristitia de bono alterius, quatenus consideratur id ipsum tamquam malum proprium propriae excellentiae diminuens.* Invidus enim voluntarie considerat id, quod proximus ipsum superat aut aequat in bonis, sive quod ad eam aequalitatem accedit, tamquam suum malum suique depressionem; ideoque de illo bono proximi voluntariam tristitiam concipit, idque proximo potius ut desit, desiderat. Verum hoc contra caritatem est, quum caritas postulet, ut potius gaudeam, quod proximo bene sit, non vero, ac si malum meum sit, — quod est falsissimum, — contrister. Est peccatum mortale, admittens tamen parvitatem materiae.

Praestat hîc distinguere plures affectus seu plures causas, ob quas tristitia de bono alterius concipi potest, quas Christifideles in accusatione sacramentali non raro confundentes omnes invidiam vocant, quo melius instruantur atque a peccati vel gravis peccati timore vel occasione removeantur.

a) Tristari de bonis alterius, quibus utitur, ut mihi damnum inferat, non est invidia: malum non est, nisi fit cum excessu.

b) Tristari de bonis alterius, quia eis utcunque male utitur, non est invidia; neque malum, nisi similiter fit cum excessu.

c) Tristari de alterius bono, quia vere indignus est, non est invidia, neque malum, nisi forte divinam providentiam quodammodo accusem.

d) Tristari de alterius bono sive promotione, eo quod ego revera inde malum patiar bonisque priver, *si* ita vere est, nondum est invidia, neque mala, modo ne *ordo caritatis* laedatur.

e) Tristari non de eo, quod proximo bene sit, sed de eo, quod non ego potius boni illius — quum plures non possint — particeps evaserim: invidia nondum est, neque per se peccatum, modo maneam intra limites justos *ordinis caritatis.* — Haec ultima affectio facile concipitur ab hominibus in quotidianis victûs quaerendi occasionibus: quum venditores potius ad se velint attrahi emptores, quam ad alios. Si igitur affectus non transit in tristitiam de eo, quod alteri bene sit, non est, quod poenitentes condemnentur, nisi forte *immodice* sibi prae aliis divitias quaesiverint. Nihilominus melius et consultius

semper est, ne affectus primo innoxius transeat in malum, ab omni tali tristitia mentem avertere, atque rerum temporalium caducitatem considerare.

Cf. de variis hisce affectibus Reuter, *Neoconf.* n. 75 sqq.; S. Thom. II. II. q. 36 a. 1—3.

274 4. Similiter *desiderii mali alieni* causae variae distingui debent. Dico ‚desiderii', quod utique de inefficaci desiderio intelligitur; nam desiderium efficax seu voluntatem inferendi malum (cui simile est desiderare, ut ab altero injuste malum inferatur), tam parum licet fovere, quam parum licet ipsum malum proximo re ipsa inferre.

Porro ratio, eaque unica, ex qua licet alicui malum exoptari, est, ut majus malum evitetur secundum rectas caritatis regulas. Quare:

1) Nemini possum optare aeternam damnationem: possum tamen in aeterna damnatione eorum, qui jam culpa sua perierunt, divinam justitiam laudare deque ea gaudere.

2) Non possum desiderare mortem alicujus deque ea gaudere, eo quod optem adire ejus haereditatem: esset enim evidens ordinis caritatis laesio, quum bonum inferioris ordinis praeferrem bono vitae, quae est ordinis longe superioris. Cf. prop. 13. 14. 15 ab Innoc. XI. damnatas.

3) Possum alicui malum temporale optare, ut inde sumat ansam resipiscendi a peccatis: verum aliquando in his desideriis affectus inimicitiae latere potest.

4) Item possum desiderare, ut aliquis nunc in statu gratiae constitutus moriatur, si alias periculum est, ne malam vitam agat.

5) Imo mortem alicujus desiderare possum, Deo relinquendo modum, eo quod aut commune damnum grave secus causaturus sit, aut mihi alterive injuste sit illaturus necem; et similia.

6) Neque peccatum est, sed in se bonum, mortem seu supplicium ejus ex amore justitiae optare, qui crimine suo vere mortem meruit: at cavendum est omnino ab affectu injustae vindictae, qui tum maxime irrepere potest, si mea causa agitur.

§ 2.

De caritate inimicis debita.

275 1. Caritas christiana etiam inimicos amplecti debet: ut patet ex praecepto Christi, Matth. 5, 44. *Quare* 1) *non licet cuiquam velle malum inimico*, 2) *debet aliquo modo quilibet inimico positive bene velle, atque absentiam pravi animi, benevoli exsistentiam suo modo ostendere.*

2. Verum dilectio inimicorum, qua praecepta est, communis caritatis lege circumscribitur; *quare specialis familiaritas ejusque signa inimico non ex praecepto debentur, sed si dantur, ex perfectionis lege fiunt.* Cf. S. Thom. II. II. q. 25 a. 8.

3. Quo magis autem communis caritatis officium declaretur, notandum est:

A. *Nolle malum* dicit: 1) Non licet malum pro malo rependere velle, seu vindictam sumere animumve vindictae fovere.

2) Etiam positive venia danda est petenti, sive petitur formaliter, sive aequivalenter[1], i. e. *personalis* offensae remissio seu exstinctio concedenda est. — Si quis vero etiam post gravem omnino offensam acceptam ob justum dolorem non illico positive daret veniam petenti, non positive negans, sed silendo differens: non posset jam incusari peccati saltem gravis. V. Tamb. *in decal. de carit.*

3) Sponte veniam offerre offensori non petenti veniam, per se non est de praecepto, potest aliquando necessarium esse per accidens, videlicet si facile fieri potest, alias vero proximus per hoc Deo lucrandus in peccato tabesceret, vel scandalum aliud oriretur: sic fieri potest aliquando, ut debeam inimicum alloquio praevenire.

B. *Positive velle bonum;* quare nullatenus sufficit dicere: nolo meo 276
offensori malum optare, sed neque bene ipsi velle possum. Videlicet 1) etiam inimicus inclusus esse debet in communi oratione, non quod specialiter de eo cogitari debeat, sed saltem non licet eum excludere. Hoc igitur est officium commune caritatis *ex se* debitum. — Ex speciali conditione offensoris

2) debitum est, ut offensori, qui in necessitate est, eodem modo succurratur, sicut aliis esset succurrendum, si indigerent.

3) Imo — quod ad speciales circumstantias offensi pertinet — si *libere* exercentur actus caritatis circa multitudinem, inter quam per se offensor est, non licet eum excludere: quia id jam est signum vindictae et exclusionis a communi caritate. Si quis igitur omnibus civibus indigentibus annonam distribuit, non licet ei transire inimicum.

4) Ex relatione mutua inter offensum et offensorem possunt signa specialia debita esse; e. g. si intercedit relatio ex se insolubilis cognationis etc., etiam offensor secundum modum omnibus *cognatis* debitum tractari debet.

C. Quamquam signa specialis familiaritatis, quae nemini debentur, 277
neque per conditionem personae et consuetudinem regionis exiguntur, inimico exhiberi non oportet, sed si hoc fit, perfectionis est: tamen si quae signa non sunt omnino particularia, neque omnino communia, videndae sunt variae circumstantiae, ut aut urgeatur, aut non urgeatur eorum exhibitio, vid. 1) ne denotetur animus vindictae, 2) ne inimicus, quem facile sine gravi incommodo lucrari possim, diu remaneat in malo statu. — Ceterum ad haec potius suaviter inducendus est poeni-

---

[1] Sc. *Formalis* veniae petitio, quamquam per se debetur et aliquando pro honoris laesione exigi per offensum potest, tamen non raro admittit excusationes, ut: 1) si offensor est multo superior; 2) si plena satisfactio alio modo facta est; 3) si laesus eam non curat; 4) si judicatur, laesum non concessurum esse veniam (tum *exspectari* potest) etc. v. Mazzotta l. c. cap. 2 § 2 Q. quinto, Tamb. *in decal.* de car. cap. 1 § 3. — Quare summopere cautus esse debet confessarius in imponenda obligatione formalis petitionis veniae; imo etsi haec obligatio re ipsa adsit, saepe prudentia suadet, ut rem silentio praetermittat neve bonam fidem poenitentis sine spe fructûs perturbet.

Aliud est *veniam dare,* aliud *reparationem juris laesi remittere.* Posterius non exigitur. Prius autem, saltem post praestitam satisfactionem vel hujus faciendae seriam voluntatem, necessarium est.

tens, quam stricte urgendus, maxime quia, si valde ipse repugnat, id ipsi etiam satis difficile apparet.

Hinc infer: 1. Sub gravi resalutatio debita est, nisi forte brevi tantum tempore ob justam indignationem vel dolorem omittatur; num salutatio primum facienda debita sit, ad adjunctis et moribus regionis pendet.

2. Tamburini et Mazzotta ll. cc. notant, homines ejusdem communitatis et ejusdem domûs, si post rixam per aliquod tempus (per aliquot dies vel hebdomadam), a colloquio mutuo abstineant, non statim arguendos esse peccati mortalis, eo quod praesumi possit, exspectari opportuniorem alloquendi occasionem. Verum si hoc sive propter tempus diuturnius, sive propter alias rationes praesumi non possit, videndum esse, utrum causa rixae fuerit levis an gravis; si gravis, diuturniorem omissionem amicabilis convictûs pro gravi peccato habendam esse; si levis, hanc omissionem in hominibus ceteroqui timoratis non facile pro signo gravis odii nec pro gravi peccato haberi.

Articulus II.

De scandalo et cooperatione.

278 De officiis *negativis* caritatis agentes tractavimus modo de peccatis, quae contrarie opponuntur caritatis actibus *internis,* de odio, inimicitia, invidia.

Restat igitur, ut discamus hoc articulo actus peccaminosos *externis* caritatis actibus contrarios, vid. opitulationi proximi per eleemosynam et per correctionem fraternam: cui utique opponitur, proximi damnum positive inducere. Hoc in re spirituali contra caritatem fit, si scandalo et cooperatione confero ad alienum peccatum.

Nam conferre ad peccatum alienum duplici modo possum: 1. ita ut ego alterum ad peccatum aliquo modo determinem, causam inducentem vel ansam praebeam; 2. ut alterum jam determinatum aut ex sese determinandum in perpetratione juvem. Uterque modus nomine cooperationis comprehendi potest. Tamen prior modus scandali nomen sortitur; alter cooperatio presse sumpta vocatur, quamvis etiam haec saepe rationem scandali induat.

Nos claritatis gratia notionem et principia distinctim 1. de scandalo, 2. de cooperatione recensebimus, hîc singulares quasdam actiones, in quibus peccata illa frequentius occurrunt, aut, utrum occurrant, difficilius discernitur, etiam exhibituri. Attamen minime impedimur, quo minus, quando cooperationem in singularibus et certis actionibus consideramus, qua licita, qua illicita sit, statim etiam ad scandalum forte simul occurrens oculos — ut vere fieri debet — conjiciamus.

§ 1.

De scandalo.

279 Scandalum aliud est *activum,* de quo per se et directe agimus, et quod consistit in ipsa occasione ruinae proximi; aliud *passivum,* quod est ipsa proximi ruina. Activum igitur scandalum est ratio passivi: de quo posteriore eatenus agere debemus, quatenus correlativum est activi scandali, ejus objectum vel effectus.

Punctum I.

Principia de scandalo explicantur et illustrantur.

1. *Scandalum activum definitur cum S. Thom. II. II. q. 43 a. 1: „Opus minus rectum praebens proximo occasionem spiritualis ruinae.“*

Scandalo sic definito correlativum est scandalum *passivum simpliciter sic dictum.* — Verum aliquando opus per se omnino rectum occasio peccandi alteri esse potest. Quod si fit ita, ut proximus ex actione bona vel indifferenti ob meram malitiam peccandi ansam sumat, *scandalum pharisaicum* vocatur. Si sumitur occasio peccandi potius ex fragilitate aut ignorantia, ita ut alterius actio per se ansam non dederit, vel notabiliter non dederit, *scandalum pusillorum* habemus: e. g. si ex honesto ornatu mulieris juvenis ansam sumit libidinis, aut si ex recta decimarum aliorumve jurium exactione aliquis illegitimam ansam sumit clericum avaritiae incusandi.

2. *Scandalum (activum) distinguitur directum et indirectum:* 280
prius habetur, si intentio agentis fertur in peccatum alterius, sicut in seductore obtinet; posterius, si peccatum alienum non intenditur, attamen, quamvis praevideatur, non praecavetur, neque propter praevisum peccatum alienum actio propria omittitur.

Scandalum directum, si peccatum proximi formaliter ut peccatum intenditur, prout est malum proximi (aut Dei), dicitur scandalum *diabolicum,* quum procedat ex gravissimo odio proximi aut Dei, quod diabolo potius, quam homini proprium est; dicitur igitur et est scandalum *directum et formale.* Si proximi peccatum seu *actio, quae* peccatum est, intenditur non qua peccatum, sed propter aliam rationem utilitatis, voluptatis, scandalum est *directum simpliciter tale.*

3. *Scandalum, si diabolicum est, continet malitiam contra caritatem specifice distinctam ab ea caritatis laesione, quae alias in scandalo est. — Quodlibet autem scandalum sive directum, sive indirectum continet malitiam contra caritatem proximi; directum insuper specificam malitiam contra eam virtutem, contra quam alienum peccatum versatur* [1].

4. Ut autem, quando scandalum passivum non intenditur, actio 281
alicujus malitiam scandali (indirecti) *habere possit,* requiritur, ut, sive per se, sive per circumstantias, actio illa relate ad proximum vim quandam movendi ad peccatum habeat.

5. *Ut ejusmodi actio, si ex se bona vel indifferens est, malitiam scandali re ipsa habeat, requiritur* insuper, *ut agens causam sufficientem ruinam alterius permittendi non habuerit,* sed ut obligatus fuerit potius omittere actionem et subire incommodum inde oriturum, quam ut alterius spirituale damnum permitteret.

Ad meliorem intelligentiam nota: 282

1) Actio, qua scandalum datum est, potest in se continere malitiam gravem scandali, et venialem aliam malitiam ex sua propria

[1] Pro confessione nota, in peccato, quod cum complice fit, v. g. luxuria, esse scandali malitiam *mutui;* quare ejus, *qui prior seducendo incepit,* gravius quidem, sed *non specie diversum* peccatum est, nisi scandalum fuerit diabolicum.

natura: at etiam e contrario malitiam gravem ex sua propria natura, scandali malitiam levem.

2) E contrario actio etiam in se mala et apta ad dandum scandalum non semper re ipsa scandali reatum habet. Nam si ii, coram quibus illa actio committitur, sunt adeo stabiles in bono, ut nullatenus videantur commoveri, vel ita perditis moribus imbuti, ut non jam alterius facto ad malum demum induci posse videantur, quum aut ex sese jam sint satis determinati, aut adeo malis assueti, ut a re aliis periculosa vix moveantur: peccatum scandali, nisi *directum sit,* non committitur. V. Castropal. l. c. punct. 1. n. 4. Quod aliquando adverti debet in iis, qui pravos sermones duxerunt.

3) Neque *scandali* peccatum committitur, si ex alterius actione mala aut mali speciem habente sola admiratio vel detestatio oritur, atque peccantis diffamatio: sed scandalum tum est, quando alii spectantes sive audientes a virtutis amore declinant, ad legem infringendam invitantur, ad dicteria injusta suspicionemve injustam concipiendam vel ad totum certorum hominum statum communitatemve ob peccata unius contemnendum permoventur, sive haec certo praevidentur, sive probabiliter timeri debent.

Ceteroquin, quia omnes istae sequelae ex actione mala (vel pro circumstantiis ex minus recta) *publice* facta, oriri solent, praesertim si agens alias pius esse censetur aut religionem pietatemque specialiter colere obligatur: scandalum per talem actionem dari praesumendum est, et vere scandali reatus contrahitur secundum regulas in princ. 5 contentas.

283 4) Ut intelligatur, quandonam justam habeam causam permittendi peccatum alienum, ita ut mihi non imputetur pro scandalo activo,

A. *Brevis regula generalis* haec esse potest: Si propter meam actionem proximo *difficile* erit a peccato abstinere, proportionate gravis causa ex mea parte requiritur, ut agere possim, igitur gravior, quo major est alterius difficultas majusque peccatum. — Si vero proximus *facile* prorsus a peccato abstinere potest, non teneor difficultatem aut incommodum subire, ut ego actionem omittam.

284 B. *Regulas magis ad particularia quaedam descendentes habes sequentes:*

1) Non licet unquam ad vitandum scandalum aliquid intrinsecus malum facere; ac proin non licet omittere praecepta legis naturalis, *si* vere in iis circumstantiis praeceptum urget. Reuter l. c. n. 132; Elbel p. II. n. 359.

2) Opera bona praecepta, si sunt hîc et nunc necessitate medii necessaria, propter scandalum non sunt omittenda, ib.

3) Opera bona praecepta lege positiva non sunt omittenda unquam propter scandalum pharisaicum: sed propter scandalum ex infirmitate et passione aliorum oriundum rectius *aliquoties* praecepta illa omittuntur, etsi de stricta obligatione omittendi non ita constet propter auctoritatem theologorum diverse opinantium.

Hinc mulier, quae scit se ab aliquo certo juvene turpiter amari, si scandalum illud passivum non frequenter accidit, recte aliquoties a Sacro abstinet diebus festis, ne se ejus aspectui offerat. Cf. Castrop., Illsung, Reuter p. 2 n. 132, alii.

4) Opera bona, etsi consilii tantum sunt, agenti aliisve utilia, non sunt omittenda propter scandalum pharisaicum. Propter scandalum ex ignorantia oriundum, si fieri potest, differenda sunt, donec aliis data fuerit ratio: quodsi pergant scandalizari, jam est scandalum pharisaicum. Propter scandalum ex infirmitate vel passione in *certo* quodam homine oriundum, actio bona non praecepta differenda aut una alterave vice omittenda est, attamen non saepius, quia hoc notabile esset incommodum, v. g. a Sacro abstinere diebus ferialibus. — Idem fere dic de rebus indifferentibus. Imo ad res venialiter malas nec graviter ad malum provocantes ita transfertur, ut haec agere non censeatur grave peccatum, etsi indeterminate praevideri debeat, esse aliquos, qui ex sua culpa inde ansam sumant ad peccandum.

Hinc mulier ornatu non graviter inhonesto non censetur graviter peccare, minus etiam naturalem pulchritudinem prae se ferendo: nisi forte a viro in particulari quaesita hujus aspectui se objiciat, vel paucis vicibus, quum commode possit, ab ejus aspectu non caveat.

Punctum II.

Peculiares actiones cum directo scandalo connexae discutiuntur.

Supra dictum est, scandalum directum adesse, idque nunquam 285
sine peccato, quando quidpiam agitur ex intentione alieni peccati. Ex qua doctrina difficultas oritur definiendi, num unquam licitum esse possit, 1) aliquid ab altero *petere,* 2) eive *consulere,* quod sine peccato non est praestiturus, 3) ex consulto aliquid facere, ut sit alteri ansa sive *occasio* peccati, 4) eamve occasionem *ex consulto intactam relinquere.* Tractemus de hisce rebus inverso ordine.

I. *Occasionem* peccati oblatam *non auferre,* quum ex se collidat cum obligatione correctionis fraternae, non licebit, nisi ex gravi causa: neque unquam licet peccatum alienum intendere vel optare.

Ceteroquin justa causa censetur: a) efficacior correctio seu emendatio delinquentis, si modo satis certa spes sit; b) indemnitas propria, cui provideatur sive deprehensione delinquentis, sive experimento fidelitatis sumpto.

II. Ex iisdem fere rationibus, si modo agatur de re gravioris momenti, complures scriptores censent, licere *occasionem peccati ex consulto ponere.* Ita ex S° Alphonso licebit: a) viro adultero locum dare, ut suspectae uxoris fides probetur; b) servo a fure saepe sollicitato res proprias tradere, quas ad furem deferat, ut fur sic deprehensus et punitus sollicitare desinat: quod nihilominus, nisi famulus dextre agat, facile degenerabit in *illicitam* furti suasionem.

III. *Consulere seu suadere peccatum* nunquam licet, si suadetur 286
absolute. Verum ei, qui ad peccatum determinatus est, suadere licebit *peccatum minus,* ita ut intentio et suasio feratur in diminuendum peccatum, videlicet:

a) certe licebit suadere illud peccatum minus contentum in majore, quod alter perpetraturus est, v. g. vulnerationem prae occisione, fornicationem in genere prae adulterio; b) item peccatum minus omnino disparatum, saltem si suasio causa nulla est, cur certo et determinato

homini damnum inferatur, v. g. adulterium prae homicidio; c) item, si damnum quidem alteri inferatur, sed plane minus, quam peccaturus tertio cuidam inferre voluerat, neque suasio in ullum determinatum hominem dirigitur; at d) illud ultimum si obtinet, saltem si peccaturus de illo homine nullatenus cogitaverat, potius auctor sum ne suadeatur. Exemplum habes, si quis suadeat, vel in genere, ut potius a divite, quam a paupere res furto auferatur; vel ut potius a Petro divite, quam a Paulo non ita divite sumatur.

IV. *Petere ab altero peccaminosam actionem* nunquam licet, si sic intelligitur, ut ille sine peccato actionem praestare *non possit.* Si vero *potest,* at *non facturus est,* licebit petere ex causa relative gravi, idque eo facilius, quo majus est *jus* meum ad illam actionem alienam, vel quo magis ille alter jam *ex se determinatus* est ad quodlibet ejusmodi peccatum.

287 V. Praecipue autem nomine scandali intelliguntur illae actiones, quae aliis vere creant grave periculum vel incitamentum ad peccandum.

Inter quae eminent ea, quae castitatem, vel fidem in periculum inducunt.

1. Generalis regula haec est: 1) Ii, qui talia libere exercent, gravissimi peccati rei sunt, si res notabiliter movet ad libidinem: ita ut necessitas gravissima tantum a peccato scandali excusare possit.

2) Si res non ita notabiliter movet, causa mediocriter gravis excusat, quando agitur de peccatis indeterminate praevisis.

3) Eodem modo gravissimi peccati reos illos habere debemus, qui proxime aliquid agunt, quo fides aliorum etiam indeterminate tantum in periculum vocatur; qui autem solam cooperationem aliquam praestant, pro gradu propinquioris aut remotioris cooperationis ex necessitate plus minusve gravi excusantur aut non excusantur.

De cooperatione vide postea. Nunc quaedam nota ad singulares actiones.

288 2. In materia luxuriae gravissimi scandali reatus contrahitur:

1) Ornatu scandaloso et periculoso. Verum quinam ornatus, quaenam denudatio graviter peccaminosa dici debeat, a consuetudine multum pendet.

2) Choreis, in quibus ratione nuditatis, gestuum etc. ex se aliquid notabiliter inhonestum externe agitur: quas instituere vel promovere graviter peccaminosum est. Si vero tales non sunt, licet timeantur plurium peccata occasione chorearum patranda, gravis peccati obnoxii dici per se non possunt, qui eas instituunt, locum concedunt (ut caupones etc.). Nihilominus circumstantiae in concreto spectari debent, ex quibus aliquando severius quid contra caupones aliosque a parocho, missionario dici possit vel debeat, praecipue si laudabilem unionem eorum, qui spondeant se choreis nullis affuturos atque ita causa sint, cur choreae collabantur, interturbare, diffamare, dissolvere nitantur. Nam obligatio non impediendi meliora certe gravior est, quam ea faciendi. — Cum singulis autem juvenibus et puellis saepe severius agi debet propter periculum, quod subeant. Quod si grave est, choreae plane sunt interdicendae aut saltem, accedente aliqua causa vel necessitate pro accessu ad choreas, circumstantiae ita mutari debent, ut occasio non amplius sit proxima.

3) Idem fere de spectaculis dici debet. Nam a) componentes vel repraesentantes res notabiliter turpes a peccato gravi, communiter loquendo (cf. n. 298), excusari nullatenus possunt; b) *spectantes* ex sola curiositate, secluso periculo consensûs (supponuntur res non adeo graviter lascivae), si neque pecunia neque applausus causa sunt, cur illae res promoveantur, peccant per se venialiter; c) qui *promovent* eas res, vel cum suo gravi periculo intersunt — id quod sane saepe obtinet —, vel qui ex turpi intentione spectant, graviter delinquunt.

§ 2.

De cooperatione presse sumpta.

Punctum I.

Tractantur principia de cooperatione generatim.

Notiones. Quomodo cooperatio presse sumpta a scandalo distinguatur, 289
supra dictum est.

1. Cooperatio altera dicitur formalis, materialis altera:

Formalis, quae ad actionem peccaminosam alterius, *ut peccatum est,* cooperatur; *materialis,* quae cooperatur ad ejusmodi actionem, *ut actio quaedam physica est,* non ut peccatum est.

Aliis verbis: Formalis cooperatio est actio, quae *in se spectata* malitiam peccati, quod alter patraturus est, etiam continet seu participat; materialis cooperatio est actio, quae in se spectata hanc malitiam non continet, sed *qua alter abutitur* ad peccatum perpetrandum.

2. Concurro autem ad actionem alienam, ut peccatum est, non modo jussione, consilio, efflagitatione, de quo jam priore articulo sub conceptu scandali actum est, sed etiam:

1) Si utcunque alteri auxilium praesto *ea intentione,* ut peccet, aut ut securius, facilius peccet.

2) Si actionem peccaminosam secundum id, quo peccaminosa est, re ipsa scienter *laudo vel approbo,* aliis verbis, si actio mea, qua alterum juvo, illius peccati approbationem in se continet sive ex natura sua, sive ex circumstantiis, sive interne revera approbo, sive tantummodo externe me ita gero: v. g. si quis judex se ingerat in ferendam sententiam secundum leges injustas.

3) Si actionem exerceo *cum* altero, quae ex natura sua in eodem genere mala est, v. g. cum altero sclopetum dirigo in hominem innocentem.

3. Materialiter vero, seu ad actionem alienam, *quae* peccatum 290
est, sed *non qua* peccatum est, concurro, si actio mea alterius voluntatem pravam non determinat — quod si in eam aliquo modo influit, de moralitate actionis meae ex regulis de scandalo judicari debet — neque ego ejus peccatum volo, sed alter meam actionem ejusve effectus assumit, ut peccatum perpetret, vel ut facilius, securius peccet.

E. g. Famulus equum vel currum parat pro conditione famulatûs sui; herus vero iis atque famuli opera abutitur, ut se conferat ad meretricem. Vel: Ancilla parat cibos, quibus herus abutitur ad violandam jejunii legem.

291 **Principia:** I. *Formalis cooperatio nunquam licita est.*

Nota tamen: Quando agitur de illa formali cooperatione, quae in *reali alieni peccati approbatione* consistit, non ex natura actionis intrinseca, sed *ex circumstantiis colligenda,* clarum est, eandem actionem in abstracto consideratam posse pro diversis circumstantiis concretis fieri aut non fieri formalem cooperationem, ac proin modo illicitam modo licitam evadere: e. g. conferre ad templa scholasve acatholicorum aedificanda.

II. *Materialis cooperatio, modo ex sese nullam habeat internam malitiam, sed actio ex se bona vel indifferens sit, licita est, quando causa proportionate gravis exsistit, cur alienum peccatum possit permitti seu non impediri,* i. e. generatim incommodum relative grave, quod non-cooperaturus incurreret; *deficiente ejusmodi causa, etiam sola materialis cooperatio illicita est.*

De relativa causarum gravitate confer ea, quae dicta sunt de voluntario *indirecto.*

Aliquas *regulas magis particulares* adjicio:

292 1. Concurrere efficaciter et proxime ad actionem bono religionis aut cuilibet bono publico necessario, sive supernaturalis sive naturalis ordinis, graviter nocivam, propter nullum damnum privatum a peccato mortali excusatur[1]. Nam esset ordinis perversio, si bonum privatum publico et communi bono anteponeretur.

2. Ut alias cooperatio *omnino proxima* licita evadat, praecipue si ad peccatum alterius est necessaria, aut tertio innocenti graviter damnosa: causa seu incommodum grave omnino, imo pro circumstantiis gravissimum requiritur, ut metus mortis alteriusve fere similis mali. Cf. Sanch. *in decal.* lib. 1 cap. 7 n. 12 sqq.; Suarez *de car.* d. 10 s. 3 n. 4; Castrop. l. c. p. 8 n. 8 etc.

293 3. Si ex una parte cooperatio est satis remota, ex altera parte agitur de peccato ejus, qui jam expeditus est ad peccandum, aut de peccatis indeterminate tantum cum probabilitate praevisis: causa mediocris sufficit, ut cooperans a peccato excusetur, v. g. conditio famulatûs, status subjectionis erga jubentem, incommodum venditoris ex non vendendis rebus suis oriundum etc. Attamen ratio, quod, uno non cooperante, alter cooperaturus sit, sola non est sufficiens excusatio: (cf. Tamb. l. c. n. 64; Castrop. l. c. p. 9 n. 4;) nihilominus in re omnino indifferenti et remota Sanchez, Lessius aliique taliter cooperantem a peccato saltem *mortali* excusant.

294 4. Si actio cooperantis non omnino proxime quidem, tamen propinquius cum alterius peccato cohaeret, aut ille nondum per se expeditus est ad peccandum, ita ut ad meram cooperationem quaedam scandali ratio — licet ex sola culpa peccantis — accedat: media via incedendum est, ita ut non semper gravissima causa requiratur, qua cooperans a gravi peccato immunis evadere possit; at neque sola aliqua levior vel mediocris causa sufficit, sed incommodum vere notabile,

[1] Licet tamen propter bonum publicum vel ad avertendum majus malum aliquando aliquid facere, quod secus in se damno publico esset, v. g. libertatem cultûs falsae sectae concedere.

pro circumstantiis plus minusve grave, sit oportet: e. g. periculum gravis jurgii, dimissio e famulatu cum periculo non inveniendi alterum, detrimentum notabile in bonis fortunae, et similia.

Regulas illas pluribus exemplis illustrari, necessarium est. Quod eo magis fieri debet, quia in pluribus actionibus non raro dissident scriptores inter se, quando quaeritur, num illa actio dicenda sit proxima cooperatio, utrum gravior an levior causa sufficiat ad eam licitam reddendam. Hinc opus est videre, quid tandem cum vera probabilitate tum propter rationes internas, tum propter auctoritatem permitti possit, quid ut illicitum sit interdicendum.

Conferri possunt hac in re Sanchez *in decal.* l. 1 cap. 7; S. Alph. l. 3 n. 43—80; Sporer tr. V. *in decal.* cap. 1; Tamburini *in decal.;* Lugo *de fide* disp. 14 etc. — *Theol. mor.* n. 650 sqq., ex qua complura breviter contraham.

Punctum II.

Singulares actiones seu cooperationes discutiuntur.

I. Actiones, quae spectant bonum fidei et religionis. 295

1. Alterum comitari, vel praesentem adesse in ritu religioso acatholico, potest esse formalis, vel solum materialis cooperatio. Si quis in ipso ritu vel in precibus participat, formaliter cooperatur; item si ita agit vel in coetum acatholicorum se confert, ut aliis videatur acatholicus, vel acatholicae sectae honorem, approbationem afferat. Alioqui materialis participatio est, quae tamen pro circumstantiis ex solo periculo graviter prohibita esse potest. — Facilius pro honore mere civili habetur in regionibus haereticis vel mixtis, defuncti acatholici funeribus interesse.

2. Ministrum acatholicum advocare, ut moribundo suae religionis solatia praestet, formalis cooperatio est; aliter, si solum nuntias, esse, qui eum alloqui desideret.

3. Ministro acatholico moribundum visitaturo mensam etc. parare, ubi peracturus est suum ritum, materialis quidem cooperatio est; at ut sic agere liceat, gravis sane causa exigitur: magis etiam, ei in agendo suo ritu panem, vinum porrigere.

4. Pulsare campanas, quibus convocentur asseclae ritûs acatholici, aliquibus formalis cooperatio videtur: verum si consideratur, ac si *nuntius detur* rei, quam peracturi sint, habes *materialem* cooperationem quidem, sed proximam, quae sane gravissimam causam requirat etiam in iis circumstantiis, in quibus quaelibet conniventia cum heterodoxis exsulet.

5. Inter ritum acatholicum pulsare organa, cantumve dirigere, ex se formalis cooperatio est: organorum pulsatio ex peculiaribus tantum circumstantiis forte in rarissimo casu evadere potest cooperatio materialis proxima.

6. Conficere res falso cultui destinatas, si *absolute* alium usum 296
habere possunt, materialis cooperatio est, sed valde propinqua.

7. Templa acatholicorum aedificare in locis, ubi nondum habent liberum cultum, videtur formalis cooperatio, utpote favor et appro-

batio acatholici cultûs, in architecto, qui liber templum construendum suscipit; non ita pro operariis gregariis, neque pro architecto in regionibus, ubi acatholici jam diu exsistunt in pacifica possessione sui cultûs exercendi.

8. Ad vendendas res, quae ad exercitium falsi cultûs emuntur, si ille usus solum *scitur* a venditore, mediocris causa hunc excusat; si ille usus ab emptore exprimitur, gravior prorsus causa requiritur, et insuper generatim quaedam declaratio, qua ostendat venditor, se non vendere *ad* hunc usum, sed eum conscientiae emptoris relinquere.

9. Conferre pecuniam ad templa vel instituta acatholica, per se non licet, quia per se est formalis cooperatio et favor causae haereticae; per accidens aliquando fieri potest, ut ex gravi causa liceat viris acatholicis *ut amicis vel concivibus* pecuniam dono dare, quam impendere possint pro suo arbitrio, etsi praevideatur, eam impensum iri ab iis ad fines suae sectae.

297 10. Quoad cooperationem in libris atque foliis pravis est res difficultatibus plena. Actiones, quae tendunt in ejusmodi scripta componenda, edenda, si proxime in id tendunt, sunt plane illicitae. Gravior quaestio est, quid liceat in ejusmodi ephemeridibus emendis, exponendis, legendis, si intentio fertur in legendas res indifferentes et certis hominibus scitu necessarias. — Nisi severius obstet lex ecclesiastica, licebit ex gravi causa ea folia ad hunc finem habere, si modo cautio adhibetur, ne eorum lectio omnibus pateat, sed iis tantum, qui quandam necessitatis causam habent, etsi forte praevideatur, fore ut aliqui limites licitos in legendo transgrediantur.

II. Actiones, quae spectant bonos mores presse sumptos.

1. Quod ultimo loco dictum est de libris foliisque fidei nonnunquam adversis, applica etiam ad libros atque scripta contra bonos mores. Hinc ea conscribere, imprimenda suscipere non licet: idque etiamtum generatim grave peccatum erit, quando res narratae seu descriptae non sint certo inter plene et graviter obscoenas collocandae, si modo *notabiliter* ad turpia excitant. — Ea legere peccatum grave erit maxime ex *periculo*, quod legenti imminet. — Ii, qui juvant in impressione, libros emptos domino deferunt, ex gravi omnino causa ad tempus facilius excusari possunt, maxime si praevidetur, non fore, ut efficax impedimentum illis malis creetur.

298 2. Concurrere cantu, repraesentatione ad res etsi non omnino graviter, tamen notabiliter lascivas, generatim peccatum mortale est, etsi solum periculum spectes, quod aliis creatur. Verum si summa necessitas seu victûs penuria est, atque lasciviae periculum per agendi vel canendi modum mitigatur: fieri potest, ut in rebus non adeo graviter lascivis exhibendis sine peccato mortali pars haberi possit.

3. Pingere vel conficere res obscoenas, vel etiam imaginem amasiae si de turpi amore ejus qui postulat constat, quum sit proxima cooperatio alienorum peccatorum, (quamquam si proprius affectus pravus ejusve periculum abest, materialis tantum cooperatio,) nisi ex gravissima causa non licebit. Imo tanta rerum turpitudo atque periculositas evadere potest, ut eas conficere vix liceat ex ipsius mortis evitandae ratione.

4. Munera deferre ad personas turpi amore inter se captas alii 299
ut formalem cooperationem damnant, alii ut materialem quidem cooperationem habent, quae tamen ex causa tantum omnino gravi excusetur. Severius etiam de literis amatoriis judicandum est; quamquam ne in iis quidem deferendis necessario formalem cooperationem habes, si conniventia neque adest neque ostenditur.

5. Sternere equum pro domino, qui parat iter peccaminoso fine, ratione famulatûs facile licebit; sed comitari herum, sane difficilius; neque aurigae propter solum lucrum *hujus itineris* licebit alterum ad meretricem vehere, ex causa gravi accedente licebit[1].

6. Vestes muliebres inhonestas conficere postulantibus, i. e. quae ex se nondum honeste corpus tegunt, ex causa mediocri vel pro circumstantiis graviore licet: verum non ita, eas proprio marte conficere et venales exponere, quo emptores attrahantur.

III. Actiones, quae alia praecepta divina vel humana tangunt, praecipue spectant *venditores* et *caupones*. De his igitur peculiares quasdam regulas accipe, quas in similibus causis ad alios homines facile applicabis.

1. Quoad mercatores. 300

1) Quando res sunt plane indifferentes, i. e. ex se non destinatae ad nocendum, neque constat de abusu in particulari, licet in genere de periculo abusûs apud complures constet, venditio censetur licita ex eo, quod secus res suas non vendentes lucro carerent. 2) Quando res quidem plane indifferens est, sed praevidetur abusus in particulari, distingui debet, utrum peccatum, me non cooperante, impediatur annon, utrum alicujus tertii jus laedatur, necne. Si neutrum obtinet, causa mediocriter gravis excusat venditorem; si vero alterutrum accidit, causa multo gravior requiritur. 3) Quando res ipsa non est indifferens, sed ad damnum inferendum ex se tendit, de bono usu constare debet, ut sine alia ratione vendere liceat, e. g. venena et similia: quare si abusurus eam petit, aut si res ex circumstantiis vix alium usum quam malum habere potest, eam vendere aut nunquam, aut tantum ex gravissima causa licet.

Cf. Sanchez l. c. n. 13—18.

---

[1] Ratione famulatûs vel similis subjectionis jam aliqua evadunt licita, quae omnino sponte et libere facere non licet. Generalis quaedam regula haec est:

a) Si agitur de rebus et actionibus omnino indifferentibus, quae remote tantum cum peccato cohaerent et ex natura sua ad famulatum spectant: solus famulatus est ratio illa praestandi, etsi praevideatur, herum hîc et nunc illis servitiis abusurum esse ad peccandum. Nam nimis odiosum esset, censorem agere et intentionem heri respicere in iis, quae herus ex se jure famulatûs exigit.

b) Si vero herus a famulo tale servitium expresse postularet *ad pravum finem,* famulus modeste deprecari deberet illum pravum finem, se ad servitium quidem praestandum paratum dicens, non tamen se pravum illum finem intendere: quod si igitur herus non desistit, famulus *materialiter,* quod jubetur, praestabit.

c) Si famuli actio propinquius cohaeret cum peccato domini, alia causa ad famulatum accedere debet, eo gravior, quo gravius est peccatum domini et quo propinquior cooperatio. Exempla supra habes.

301 2. De cauponibus.

1) Relate ad carnes praebendas diebus esurialibus hodie generatim haec statui possunt saltem in iis regionibus, ubi multi passim hospites accessuri sunt, qui petant carnes, sive excusati sunt sive non:

a) Etiamsi dispensatio generalis cauponibus data non sit, licebit petenti carnes dare: nam odiosum est inquirere, utrum causam habeat petens necne, imo hoc inquirendi modo multos non sine gravi damno a se retrahet. b) Imo si cauponi jam constat, plerosque hospites carnes esse petituros, licebit carnes ex sese afferre, modo accumbentibus ad mensam optio detur ciborum esurialium et carnium. Potius tamen dispensatione quaesita sibi providebit. c) Nunquam autem licebit carnes dare, quando in contemptum religionis petuntur. V. Gury I n. 255 ex Gousset et Bouvier.

2) Relate ad occasionem, quam praebent saltationibus, superius satis dictum est; item de admittendis rejiciendisve ephemeridibus.

3) De vino praebendo iis, qui sese inebriaturi sunt, dici debet, id sane non licere propter lucrum, quod ex *hujus* vini venditione caupo facturus sit; licere tamen ex gravi causa, v. g. ad praecavendas graves rixas, blasphemias, vel ex metu cujuscunque gravis damni.

Divisio II.

De virtutum moralium notione.

302 Post pertractata officia, quae a virtutibus theologicis circa homines hominibus imponuntur, ea officia consideranda sunt, quibus moderandis virtutes morales praesident. Harum virtutum praemitto brevem notionem.

Sectio I.

De virtutibus prudentiae, fortitudinis, temperantiae, atque de annexis.

Caput I.

Brevis conspectus virtutum et eorum, quae opponuntur, vitiorum.

1. Virtutes morales, si genericum conceptum habere desideras, sunt inhaerentes animi qualitates, quibus homo disponitur, aptus pronusve redditur ad ducendam vitam secundum exigentiam ordinis recti, seu quibus disponitur ad bonum rationale sive honestum sequendum.

2. Distinguuntur morales virtutes *naturales seu acquisitae*, quae ipso exercitio et actibus repetitis in anima efformantur, et *supernaturales seu per se infusae*, quae videlicet in ipsa hominis justificatione simul cum gratia sanctificante homini divinitus inseruntur. — At non sola origine hae virtutes distinguuntur, sed ipsa sua natura. Naturales

virtutes in eo sunt, ut praebeant *facilitatem* in agendo neque cum vitioso habitu contrario simul esse possunt; supernaturales opposita vitia non auferunt, sed dant *facultatem* in suis materiis supernaturaliter agendi. Naturales virtutes praescribunt mensuram et normam secundum exigentiam creatae *rationis humanae;* supernaturales normam et mensuram divinam *ex fide* hauriunt. Vide plura *Theol. mor.* n. 684—688.

3. Praeter virtutes theologicas et morales exsistunt in animis justorum *dona Spiritûs Sancti,* quibus homo secundum doctrinam S. Thomae facile mobilis a Spiritu Sancto redditur, quibus facilitas et delectabilitas agendi quodam modo suppletur. S. Doctor ea quasi media collocat inter virtutes theologicas et morales; virtutes theologicas dicit principia donorum, dona principia virtutum moralium: cf. I. II. q. 68 a. 4 et 8, II. II. q. 19 a. 9.

4. Principales virtutes morales, ad quas reliquae cognatione quadam referuntur, sunt quatuor virtutes cardinales: prudentia, fortitudo, temperantia, justitia; ex quibus prudentia ut virtus intellectualis omnibus facem praefert, fortitudo et temperantia passionibus animi moderantur, justitia officia erga alios ordinat.

I. **Prudentia** virtus intellectualis est, qua in singulis negotiis 303
occurrentibus dignoscamus, quid in concreto honestum sit, quid turpe. Munera ejus sunt: *consultare,* seu circumstantias inquirere et expendere; *judicare* seu concludere quid quomodo quibus circumstantiis agendum sit; *imperare* seu exsecutionem urgere.

Prudentia christiana fidem supponit, siquidem principia, secundum quae singulas actiones dijudicet, ex fide sumere debet.

Peccata et vitia contraria praecipua sunt 1. ex adhibitis falsis principiis: prudentia carnis, astutia; 2. ex defectu in modo procedendi: praecipitatio, inconsideratio, inconstantia, negligentia.

II. **Fortitudo** virtus est, quae moderatur passionibus timoris et 304
audaciae, ne homo contra rectam rationem periculo se objiciat, neve ullis malis in virtutis exercitio frangatur: moderatur appetitum in iis, quae ei adversantur.

Fortitudo presse sumpta circa timorem mortis versatur; si latius sumitur, circa quoslibet timores. Christiana fortitudo summum triumphum celebrat in *martyrio.*

Virtutes cum fortitudine connexae praecipuae sunt: Magnanimitas, patientia, perseverantia.

Vitia contraria habentur maxime haec: Ignavia, pusillanimitas, impatientia, inconstantia, audacia, temeritas vel praesumptio, pertinacia.

III. **Temperantia** virtus est, quae refraenat appetitum in iis, quae 305
eum alliciunt, in delectationibus gustûs et tactûs.

Principales virtutes hac in re habes: temperantiam (in cibo et potu) et castitatem (circa res venereas); vitia contraria: intemperantiam, incontinentiam.

Virtutes annexae praecipuae sunt: Mansuetudo, clementia, modestia, humilitas; vitia contraria: iracundia, crudelitas, insolentia, ambitio cum vana gloria et superbia.

Singulos actus sive virtutum sive vitiorum vide in *Theol. mor.* n. 690—735.

Caput II.

De vitiis (vitia) seu peccatis capitalibus singillatim.

306 Praestat, doctrinam de peccatis capitalibus hîc in unum colligere, quatenus hucusque explicata nondum est. Ceterum de remediis contra illa vitia vide, quae dicentur infra parte II. de sacramento Poenitentiae.

Superbia non tam inter vitia capitalia ponitur, quum potius aliorum vitiorum capitalium caput et origo dicatur secundum S. Greg. *moral.* l. 31 c. 45 (al. 31), quatenus qui superbia imbutus est, facillime in alia quoque vitia dilabatur, et e contrario in aliis etiam vitiis et peccatis non expressa, sed implicita quaedam superbia lateat.

I. In ambitione et vana gloria plures affectus distinguendi sunt.

1. Ambitio scilicet est inordinatus appetitus *honoris* a) appetendo *plus* honoris, quam par est, aut ex re, quae in se quidem bona, at appetenti non conveniens est; b) appetendo honorem *ex re mala;* c) appetendo honorem *modo indebito,* ita ut divinae legi (gravi) praeferatur. Unde pro ratione materiae est peccatum aut veniale, aut grave; in casu primo (a) ex se, nisi aliud accedat, veniale tantum.

2. *Inanis gloria,* quae est inordinatus appetitus *laudis et famae.* Distinguitur ab ambitione secundum diversitatem objecti, sicut honor distinguitur a bona opinione et fama; quorum posterior in bona aestimatione apud alios sita est, prior in hujus aestimationis et *excellentiae* per externa signa exhibitione; atque communiter non cujuslibet aestimationis, sed *magnae* aestimationis significationem ambitio quaerit. — Inanis seu vana gloria etiam variis modis adesse potest, sc. cupiditate gloriae seu aestimationis a) ex *simulata* excellentia — cum hypocrisi conjuncta; b) *majoris* aestimationis quam personae vel rei, ex qua quaeritur, convenit; c) *apud eos,* qui rectam rei opinionem non habent. — Per se peccatum veniale est. At, sicut ambitio, mater esse potest multorum aliorum peccatorum, etiam mortalium.

307 II. De invidia, et de affectibus similibus, sed probe ab ea distinguendis v. de caritate proximi n. 273.

III. De ira seu potius iracundia.

Iracundia — ab ira ut passione distinguenda — est habitus aut actus irascendi vitiosus seu immoderatus. Ira enim contra malum adjacens insurgit.

Vitium esse potest 1) ex parte *objecti,* si injusta vindicta appetitur, sc. a) ob causam non legitimam, b) major quam oportet, c) privatim exercenda. In omni casu *haec iracundia* est *ex genere suo* peccatum mortale; admittere tamen potest parvitatem materiae, si vere modicum malum est, quod infertur aut inferri desideratur;

2) ex parte *motûs irae tantum;* si videlicet homo nimium irâ excandescit interius, aut iram per signa externa immodice manifestat: quod ex se mortale peccatum non est; potest tamen mortale evadere, tum si valde extraordinario modo homo irascitur, tum ratione pravi affectûs, aut ratione scandali.

NB. Irae peccatum, etiam quando est mortale, ex se minus tamen est, quam invidia et odium: at generare potest alia peccata. Filiae enim irae dicuntur:

Indignatio — (inordinatus) affectus, quo quis putat, se indigne tractari: quae si ex justo judicio procedat, inordinata non est, alias communiter veniale peccatum; nisi quis in gravem contemptum odiumve alterius prorumpat.

Tumor mentis — quo quis morose excogitat diversas vias vindictae iisque cogitationibus mentem inflat: — peccaminositas desumitur ex ipsa vindicta.

Clamor — quo iratus homo vocem extollit, multa inordinate effutit: ex se veniale peccatum, nisi aliud addatur.

Blasphemia — unum ex gravissimis peccatis mortalibus.

Contumelia — de qua vide postea praecepto octavo decalogi — ex genere suo (non toto) mortale.

Maledictio — (cf. *de inimicitia*) est etiam ex genere suo mortale, neque facile in materia parva sistit.

Rixae — ex genere suo mortale saltem ex parte incipientis, si progrediuntur ad vulnera, caedes etc.; aliter, si leviculae pugnae sunt, modo ne ex parte personae gravis contumelia sive injuria appareat.

Cf. Busenb. et S. Alph. l. 5 (al. 2) n. 80—83.

IV. Avaritia (cf. S. Thom. II. II. q. 108, maxime a. 1 et a. 4). 308

Avaritia est inordinatus appetitus habendarum et retinendarum divitiarum, seu rerum temporalium.

Ex genere suo venialis est, utpote appetitus rei in se indifferentis: qui si tantum ultra debitum modum habetur, peccatum est veniale, nisi quis plane excedat, atque quasi finem suum in illa re constituat, seu rem illam (hîc divitias) amori divino praeferat.

Tamen avaritia periculosa est et multorum origo peccatorum, secundum Apostolum I Tim. § 9: „Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem etc.“

Recensentur filiae avaritiae:

Durities cordis erga pauperes et miseros, quae *potest* evadere mortalis.

Inquietudo cordis, quae nimiis curis in conservandis augendisve divitiis hominem occupat: *graviter* peccatur, si homo divinarum rerum aut gravis officii sui curam negligit; aut si Deo plene voluntarie diffidit; aut si ita divitiis occupatur, ut in iis finem suum constituat. Alias nimia cura et sollicitudo veniale peccatum est.

Violentia, fallacia, fraus; verbo: omnis generis injustitia, quae, si materia gravis est, peccatum mortale evadit (cf. infra *de injustitia*).

V. Luxuria.

De luxuria confer, quae postea in 6. decalogi praecepto dicentur. Hîc sufficit notasse, omnem luxuriam seu veneream delectationem directe quaesitam aut voluntario consensu admissam extra matrimonium esse peccatum mortale. Aliud est de luxuria indirecta, seu de motibus vel effectibus sine consensu permissis; quae quando sit sine peccato, quando peccatum veniale, quando mortale, vide infra l. c.

309 VI. Acedia. (Cf. S. Thom. l. c. q. 25.)

Acedia communiter sumpta est tristitia de bonis spiritualibus utpote cum labore et difficultate comparandis. Hoc sensu non tam speciale vitium est, sed vitium, quod diversam malitiam habet, prout diversa seu diversarum virtutum sunt bona spiritualia, de quibus ut difficulter acquirendis tristitia concipitur: quare acedia sic concepta ad omnia vitia pertinet.

Verum si versatur tristitia circa illud bonum spirituale, ad quod omnia bona ordinantur, i. e. circa bonum divinum *divinamque amicitiam,* est vitium *speciale,* idque omnino mortale peccatum, si tamen actus est perfectus et deliberatus, ut: tristari de eo, quod vocatus ad fidem christianam strictius obligeris ad virtutes sequendas; optare, ne unquam Deum, fidem cognoveris.

Si autem solum est taedium et animi remissio in spiritualibus exercitiis, ex se grave non est, modo homo ea implere paratus sit, quae sub gravi praescribuntur.

Attamen tepor ille, etiam in rebus minoribus, qui non curat nisi gravia peccata, periculosissimus est et Deo valde exosus, praesertim in iis, qui a fervore spiritûs in hunc miserum languorem sua culpa delapsi sunt.

310 VII. De gula et ebrietate.

1. Gula seu excessus in cibo et potu exerceri potest variis modis a) in quantitate (nimis), b) in qualitate (laute), c) in modo sumendi (avide et voraciter), d) in tempore (nimis frequenter sine causa), e) in fine (solius voluptatis causa). Verum nota, aliud esse voluptatis solius causa, aliud ‚*cum* voluptate': quare etsi cum voluptate editur, neque expresse finis sustentandi vires alterve honestus finis habetur, nihilominus implicite omnino ille finis haberi potest, ita ut nullum committatur peccatum.

2. Gula *ex se* — non loquor de ebrietate — est peccatum veniale tantum, ex ratione supra n. IV. notata.

Graviter tamen aliquando peccatur, scilicet:

1) Si quis per excessum in cibo et potu grave nocumentum sanitatis sibi causat: quod maxime intellige, si agitur de gravi damno mox orituro; si enim de infirmitatibus variis agitur, quae oriri *possunt,* illud notabile nocumentum largius sumi debet, ne facilius dicamus excessibus levioribus mortaliter peccari.

2) Si quis ad functiones officii, ad quas sub gravi tenetur, reddit se ineptum, ita ut gravem obligationem omittere debeat. De neglecto Sacro diei festi propter ebrietatem, utrum et quando sit grave peccatum, disce ex n. 86 (de legibus).

3) Si quis excessu in cibo et potu se reddat imparem solvendis debitis aut familiae sustentandae.

4) Si quis sese excitet ad vomitum, ut iterum possit edere et bibere — ita saltem cum Reuter, *Neoconf.* n. 84 et S. Alph. n. 73 l. c. dicendum *videtur,* quamquam alii complures id etiam in dubium vocant. — Qui autem sine hac intentione, scilicet denuo sese cibo potuque ingurgitandi, usque ad vomitum edat, non illico est *mortalis*

peccati damnandus, nisi propter frequentem excessum *notabile* damnum valetudini creari praevideatur.

5) Tandem grave peccatum est, ita comessationibus et crapulae vacare, ut id ipsum divinae amicitiae praeferatur atque *pro fine ultimo* habeatur.

NB. Addunt, etiam id grave peccatum esse, sine necessitate carne *hominis* defuncti vel juste interfecti vesci. V. Reuter l. c.

De ebrietate plura insuper notanda sunt. 311

1. Ebrietas perfecta, i. e. usque ad *privationem* usûs rationis, est *ex se* peccatum mortale.

Malitia autem peccati, etsi non ab omnibus eodem modo declaratur, videtur collocanda esse in privatione usûs rationis pro notabili tempore facta modo adeo innaturali sine justa causa.

Nimirum fit 1) privatio usûs rationis ita, ut homo non actu tantum, sed etiam *facultate* utendi ratione pro notabili tempore privetur; 2) fit haec rationis privatio *voluptatis causa,* aut si forte aliquando voluptas subjective non habetur, tamen eo modo, qui *ex se* ad voluptatem ordinetur, semper excluso alio fine aeque immediate obtinendo; 3) fit privatio usûs rationis *modo plane bestiali,* ita ut inferiores vires hominis plane laxentur, atque quoddam dominium exerceant *contra* conditionem rationalis creaturae.

2. Perfecta ebrietas inde cognoscitur, quod homo plane insolita agat, aut quod non possit discernere inter bonum et malum, neque postea recordari ullo modo, quid egerit. Quodsi haec facultas remansit, etsi phantasia nonnihil turbata fuerit, pedes vacillaverint, homo vertiginem passus sit, ita ut objecta duplicia videret etc.: perfecta ebrietas non erat.

Ebrietas imperfecta non est *ex se* peccatum mortale; potest esse ex adjunctis.

Item privatio usûs rationis per breve tempus — e. g. per aliquot minuta, grave peccatum non esset: tempus longum autem sine dubio est *hora.* Ceterum hoc ad ebrietatem potu inductam vix pertinet, quum haec ex natura sua diutius protrahatur; neque inde excusatio sumi potest, quod aliquis, antequam re ipsa ratione privetur, somno se committat; quia in somno ita facultate utendi ratione privatur, ut pro libitu excitari ad usum rationis nequeat.

3. Ebrietatis peccatum non committitur, si aliunde honesta et 312
gravis causa est sumendi tantam copiam vini, ut privatio usûs rationis sequatur, ut:

1) Si tanta copia liquoris necessaria esset ad curandum morbum vel elidendam vim veneni ex serpentis morsu hausti: cf. *Sabetti* n. 149.

2) Probabiliter etiam, si privatio usûs rationis inducitur ad securius subeundam chirurgicam operationem: quamquam quum alia media eaque meliora et *securiora* praesto sint, practice vix licebit unquam ad hoc devenire.

3) Si quis metu mortis cogatur ad nimiam copiam liquoris inebriantis bibendam neque tamen formaliter ad ebrietatem cogatur.

313 4. Ebrietatem in aliis causare, vel ebrietatis ansam dare, sine gravi causa nunquam licere, extra omnem controversiam est. — At exsistente gravi causa, aliquando id licere, etiam dici debet.

Nimirum 1) aliquem ad ebrietatem *inducere*, etiam quae illi formalis est, licebit probabiliter ex eo fine eoque solo, ut idem ipse a majore peccato, ad quod determinatus est, impediatur, v. g. ab homicidio.

2) *Occasionem* ebrietatis ponere, etsi formalis evadat, licebit facilius ex aliis causis omnino gravibus. V. S. Alph. *de scand.* l. 2 n. 58.

3) Magis etiam possum ex gravi causa alterum inducere in ebrietatem ipsi non culpabilem, i. e. ex tali causa, propter quam malum illud physicum alienum jure parvi pendam, e. g., ut elabar e carcere, quando jus habeo evadendi (nisi forte damnum custodis *adjunctum* adeo grave sit, ut debeam potius a fuga abstinere); ut detegam secretum magni momenti, quod alter *injuste detrectat* mihi communicare. V. S. Alph. l. 5 n. 77.

Alias autem grave peccatum est, alterum provocare ad excessum in potu cum probabili periculo ebrietatis, v. g. provocare ad aequales haustus etc. — Etiam non licebit moribundum inebriare vel aliis modis usu rationis privare, ut sine doloris conscientia decedat. Imo si quis medicus hoc committere vellet, omni vi impediendus esset; nisi forte silentio res premi possit, quando agitur de moribundo nunc quoad animae statum bene disposito, qui periculum subeat, ne sui compos ex gratia divina denuo excidat.

314 5. Peccata in ebrietate commissa, si modo probabiliter praevisa fuerint, imputantur ad culpam, eamque gravem, si objective gravia sunt:

1) si agitur de peccatis *operis*, ut sunt damnificatio, caedes, impudicitia (aliud est de pollutione praevisa, sed non intenta, non tunc procuranda, sed naturaliter secutura) etc., imputantur omnia;

2) si agitur de peccatis *oris*, non omnia imputantur; contumeliae enim erga homines non aestimantur (aliud esset de vera diffamatione); sed imputantur a) blasphemiae, maxime si sunt notabiliter graves, quia honor Dei exigit, ut propter eas solas ebrietas vitari debeat; b) obscoeni sermones, si tales sunt, ut audientes scandalum patiantur. Quare qui experientia edoctus est, aut ex ingenio suo id concludere debet, se probabiliter haec et illa peccata in ebrietate commissurum esse, omnium horum peccatorum malitiam specificam contrahit (etsi forte non omnia semper *re* commisit), quum primum advertens probabili ebrietatis periculo sese exponit.

315 6. Concludi igitur debet, ebrietate multipliciter mortale peccatum committi posse, scilicet:

1) Quando aliquis advertens ad probabile periculum perfectae ebrietatis nihilominus bibere pergit. — (Aliud est, si probabile periculum non advertit, aut si scit, se tantum ferre posse, si modo statim foras non exeat, atque proponit in cubiculo manere: quodsi postea ex gravioris mali timore foras exire compellitur, ebrietas per accidens est. Etiam, ratione solius excessûs in potu, grave peccatum non est, si quis ut largius bibere possit, ea comedit, quae ebrietatem impediunt);

2) quando aliquis ebrietate etiam non plena grave nocumentum sibi causat etc., ad normam eorum, quae supra de gula dicta sunt: quod facilius accidit, si quis consuevit semper multum potitare;

3) quando aliquis consuetudine largius bibendi familiae suae curam non habet, eam in indigentia relinquit, debita contrahit, quibus solvendis impar est;

4) quando aliquis, etiam non perfecte ebrius, consuevit mala perpetrare, vel ea perpetrandi periculo probabili advertens sese exponit, i. e. mala, quae graviter imputabilia sunt;

5) quando ob speciales circumstantias etiam ex ebrietate non perfecta grave scandalum oriturum esse praevidetur: ut accidere potest, si sacerdos excessui indulgeat;

6) demum si quis etiam citra periculum perfectae ebrietatis ita crapulae comessationibusve indulgere consuevit, ut haec quasi pro fine vitae suae constituat, paratus, divinae amicitiae has infimas voluptates praeferre.

Sectio II.

De Justitia et virtutibus annexis.

Cfr. praeter alios in decursu tractatûs laudatos Lugo *de just. et jure*, Lessius *de justitia etc.*

Caput I.

De Justitia.

§ 1.

Notio.

Justitia virtus est, quae ordinat officia hominis erga alterum, non 316
quatenus secum caritate conjunctus et quodammodo unum est, sed quatenus singuli homines ad invicem distincti et separati sunt atque ut individualiter independentes facultate et usu mediorum in finis sui prosecutione instruuntur.

Nomen quidem justitiae diversimode sumitur: 1) pro omnium virtutum collectione seu rectitudine morali tota et integra, vel etiam in supernaturali ordine pro statu gratiae sanctificantis; 2) pro pluribus quibusdam virtutibus, quae ad alterum diriguntur, atque ita dicitur justitia *legalis, distributiva, vindicativa;* 3) pro justitia *stricta* seu commutativa, quam, nisi aliud exprimatur, hîc in nostra tractatione intelligimus[1].

---

[1] Reliquae species justitiae a notione *strictae* justitiae plus minusve deficiunt. Videlicet:

a) *Justitia legalis* ordinat membra communitatis ad communitatem, seu inclinat ad hoc, ut membrum civitatis secundum vires suas conferat ad bonum commune. Haec virtus aliter est in subditis, aliter in principe. Posterior a justitia legali ex amore boni communis ad justas et convenientes leges ferendas determinatur, subditi ad leges illas implendas.

Brevi definitione *justitia stricta seu rigorosa dicitur virtus inclinans (vel juvans) voluntatem ad uniuscujusque jus strictum illaesum servandum.*

317 *Jus* autem sumitur hîc primarie pro *objecto* justitiae, seu pro eo quod dicitur *meum et tuum;* sumi etiam potest aliquo sensu pro *facultate* hominis, quae ei inest circa id, quod meum et tuum dicitur. — Alio sensu jus significat etiam complexum legum et normarum, secundum quas justitia servari debeat et unicuique quod ipsius est determinetur. Meum et tuum, seu me habere jus in aliquam rem, dicit, rem illam ad me ita referri debere, mecum ita esse connexam, ut in ejus usu omnibus aliis praeferri debeam, neque me invito ullus alius eam invadere possit. Res autem sumitur sensu latissimo pro quolibet, quod aliquid utilitatis afferre possit.

318 Distinguitur jus *in re* et jus *ad rem.* Prius habetur, si *ipsa res* jam mihi devincta est; posterius, si eam ab altero postulare possum, ut tandem mihi ita devinciatur, adeoque jus meum immediate tendat in *alterius personalem actionem.*

Jus in re est plenum seu *perfectum* aut *imperfectum.* Jus igitur plenum seu dominium perfectum est facultas hominis disponendi de re *universaliter* tamquam de sua, seu *de rei utilitate et substantia.* — Hinc intelligitur jus imperfectum, quod vario modo adesse potest: hîc noto solum 1) dominium *radicale* seu *directum,* quando facultas disponendi in usum et utilitatem propriam suspenditur manente alioqui proprietate, et 2) dominium *indirectum* seu *utile,* ex quo alicui competat plena facultas stabilis percipiendi quamlibet certae rei utilitatem, dempto solo dominio radicali: quodsi facultas illa percipiendae utilitatis restricta est, habes diversa jura in re aliena, de quibus postea.

§ 2.

De subjecto dominii et juris in genere.

319 Quoniam haec materia potius in disciplina juris tractanda est, quibusdam thesibus breviter eam hîc expediam.

1. *Dominii et juris capax est sola natura rationalis:* nam haec sola sese ad finem suum determinare potest, ex quo sequatur possibilitas

---

b) *Justitia distributiva* inclinat ad servandam proportionem in distribuendis bonis et oneribus publicis: quare principaliter est in Superiore; in inferioribus, quatenus hac distributione contenti sunt. — Id autem discriminis est inter distribuenda bona et onera, ut si quis in oneribus imponendis alterum nimis premit, simul commutativa justitia violetur; quod in muneribus honoribusque distribuendis per se non obtinet.

c) *Justitia vindicativa,* qua specialis virtus, inclinat ad puniendos reos ex amore recti ordinis, quia honestum est, eum, qui fruendo bonis illicitis ordinem recti laesit, patiendo mala quandam *dare reparationem.* — Ceterum quatenus in delictis puniendis *bonum commune* spectatur, justitia vindicativa pertinet ad *legalem* justitiam, ut in Superiore est.

Omnes illae justitiae non sunt ita perfecte ad alterum, ut justitia stricta; neque aequalitatem rei ad rem, sive arithmeticam proportionem intendere possunt. Nota autem, in diversis illis justitiis *laedendis* non raro posse justitiam strictam seu *commutativam simul laedi.*

et necessitas juridicae facultatis. — Insuper jus ex natura sua dicit potestatem arcendi alios, ne *me invito* res meas attrectent: invitus vero nemo esse potest, nisi qui habeat voluntatem rationalem.

2. *Nullus homo, nec infantes vel amentes necessario excluduntur a jure dominii.* Nam ex una parte illi remote vel radicaliter inviti esse possunt, ex altera parte rationes, quae postulant privatam proprietatem et dominii transmissionem, etiam postulant, ne illi, qui proxime ratione nondum utuntur, ab illo jure excludantur.

3. *Sunt etiam communitates seu personae morales, quibus ut talibus competunt naturaliter dominium et jura*, i. e. naturaliter exsistunt quae sint personae tantum juridicae. Nimirum communitates quaedam necessariae sunt eaeque tales quae bonis externis atque juribus indigeant, saltem societates supremae: civitas et Ecclesia.

4. *Circa quaedam bona potestas humana potest sive restringere sive extendere jura atque etiam personas morales juridicas constituere.* Scilicet boni communis necessitas vel convenientia id exigere potest, ut haec jurium sive restrictio sive extensio fiat: proin publica auctoritas suprema debet ea constituere posse.

§ 3.

De objecto juris in genere.

1. *Homo habet dominium utile circa bona sibi interna, non vero* 320
dominium directum. Nam sibi ipse non est Superior; uti tamen suis facultatibus solus et potest et debet.

2. *Homo habet vel habere potest dominium plenum in bona externa fortunae,* seu *jus proprietatis tamquam jus nativum homini vindicandum est.* — Nisi enim stabile jus disponendi homini naturaliter competeret, perpetuis timoribus esset expositus, stimulis laborandi careret, ad omnis generis artes, quae pro humana societate ornatissimae, utilissimae atque necessariae sunt, non excitaretur: paucis, omnis humana activitas et energia langueret et plane jaceret, imo dissidiis et rixis omnia replerentur, perfectior culturae status impossibilis evaderet.

3. *Homo habet jus plenum seu dominium in famam suam,* cujus incrementum et decrementum est suo modo effectus et quasi foetus actionum ipsius hominis. Hinc famae laesionem, si causa subest, condonare potest.

4. *Homo in alios homines plenum dominium habere nequit;* jus autem 321
in alterius labores et operationes alterum habere, per se quidem non repugnat, at etiam ejusmodi jus plenum et illimitatum saltem minus decet dignitatem humanam. Quare servitus 1) sensu ethnico prorsus repugnat recto ordini; 2) servitus etiam sensu moderatiore gravissimam injuriam continet, si injusta via inducitur; aut 3) si ultra justos limites exercetur; tandem 4) etsi intra justitiae limites omnino coërcetur, legi christianae minus conformis est. — Non enim omnino repugnare servitutem sensu explicato, patet ex exemplo justae poenae: nam si quem morte punire injustum non fuerit, neque injustum erit, eum servum facere. Verumtamen, quando utcunque privata servitus etiam

justo titulo exstiterit, publicae auctoritati tum civili tum ecclesiasticae plane competit potestas certos limites praescribendi, ne jura servorum circa matrimonium etc. laedantur, alioquin eos etiam contra voluntatem domini plenae libertati vindicandi. Quantopere Ecclesia insudaverit in servitute abolenda, vel si hoc fieri non potuit, in servorum conditione mitiganda, historia ecclesiastica abunde testatur.

Cf. *Theol. mor.* n. 757 seq.

§ 4.

De obligatione justitiae ejusque laesione, seu de injustitia et eam reparandi necessitate in genere.

322 1. *Laesio justitiae commutativae ex genere suo gravis est, ita tamen, ut parvitatem materiae admittat.* — Sufficit attulisse I Cor. 6, 9 et 10: „Nolite errare, . . . neque fures . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt.“ Quodsi in rebus fortunae, quae sunt infimi ordinis, laesio mortalem culpam secum fert, id magis etiam de laesione aliorum jurium dici debet.

2. *Determinatio gravis materiae fieri debet* 1) *ex damno illo privato, quod alteri infertur eumque prudenter reddit graviter invitum*, 2) *ex damno et periculo, quod bono publico publicaeque securitati infertur, si impune id agere liceret.* — Quare si quis solum ex singulari affectione rei, in qua damnum patiatur, sit graviter invitus, *caritas* quidem graviter laedi potest, *non justitia.*

323 3. *Justitia commutativa eaque sola ad restitutionem illati damni obligat.* Nam, quamdiu restitutio non fit, injustitia *perdurat:* non ita in reliquis justitiis, nisi justitia commutativa simul laesa fuerit. — Qui ergo in laesa justitia commutativa restitutionem, quam facere potest, *differt*, etiam peccat. Brevis tamen dilatio ex justa causa facile permittitur, utpote quae grave damnum novum non inferat, atque etiam longior dilatio, quando ex restitutione damnum amplius quam duplo majus restituenti oriretur. S. Alph. n. 598.

Pro confessione nota: is qui diu manet in prava voluntate non restituendi, in *uno eodemque* peccato manet, etsi pluries malam voluntatem renovaverit; qui vero modo proponit restituere, modo hanc rectam voluntatem retractat, toties peccat, quoties sic se commutat in malum.

4. Obligatio restituendi seu reparandi jus laesum restringitur per se ad illum rerum ordinem, in quo laesio facta est. Adverte tamen, cum laeso uno ordine connecti posse laesionem in alio ordine, v. g. ex laesione corporis sequitur etiam damnum in rebus fortunae. Per se autem unus ordo cum altero non comparatur neque per eum ad aequalitatem reducitur. Nihil tamen impedit, quominus judex imponere possit obligationem, v. g. propter laesionem corporalem reddendi pecuniam.

5. Ut obligatio reparandi adsit *per se*, actio laesiva debuit esse injusta *formaliter, realiter, efficienter;* per accidens etiam aliter obligatio exsistere potest: de quo postea fusius in praecepto decalogi VII.

Caput II.

De virtutibus justitiae annexis.

§ 1.

De virtutibus cum debito morali tantum, speciatim de veracitate.

Supra jam actum est de justitia legali, distributiva, vindicativa, 324
antea longius de religione: hae omnes sunt virtutes, quae strictae justitiae *annectuntur*. — Relinquuntur aliae non paucae virtutes; quarum unum genus obligationem repetit ex morali rectitudine ipsius operantis potius, quam ex exigendi facultate, quae alteri competit — respicit *debitum morale tantum;* alterum genus ex illa etiam exigendi facultate obligationem ducit seu respicit *debitum legale*. Ad prius genus pertinet:

1. *Gratitudo*, quae inclinat ad beneficium acceptum aliquo modo rependendum — fundatur igitur in alieno beneficio; at rependendi obligatio non est ex eo, quod benefactor aliquid *exigere* possit (alioqui cessaret esse gratuitum donum), sed ex honestate donatarii. — Officia gratitudinis omittere, ingratitudo est: quod si fit ex contemptu, ne donatarius videatur benefactori obnoxius, habes *formalem* ingratitudinem, quae si ex *magno* contemptu benefactoris fit, est mortale peccatum. Multo plus etiam requiritur, ut *materialis* ingratitudo ad peccaminosam actionem addat mortalem malitiam novam, sc. excessus valde magnus sive in actione, qua laeditur benefactor, sive in beneficio, pro quo malum rependitur.

2. *Affabilitas* et *comitas*, quae procurant, ut conversatio grata sit et decens.

3. *Liberalitas*, quae in alios large bona diffundit.

4. *Misericordia*, quae inclinat ad compatiendum et sublevandum miseriam alienam.

5. *Veracitas*, quae veritatem in signis vult et procurat: de cujus 325
oppositione fusius dici debet. Hinc:

De mendacio et de restrictione mentali.

I. *Mendacium*, quod opponitur veracitati, est locutio contra mentem sive verbis sive factis. Videlicet ad mendacium tria concurrunt: 1) voluntas dicendi falsum, 2) locutio, 3) significatio contraria judicio mentis: ex quibus sequitur plerumque deceptio proximi. Sed neque deceptio, neque decipiendi voluntas ad essentiam mendacii requiritur, ut patet ex eo, qui mentitur, *ne convinci possit*, quamquam scit, alterum minime credere: qui vero decipere vult sua locutione, semper mentitur.

Hinc 1) mendacium non est, dici falsum ab eo, qui putat esse verum; sed e contrario mendacium est, dici verum ab eo, qui putat esse falsum: non enim veritati, sed veracitati mendacium directe opponitur;

2) mendacium proprie non censetur esse, dicere ex joco aperte falsa, i. e., quae audientibus clare apparent falsa, eo, qui loquitur, id sciente nec decipere volente: siquidem falsa materialiter tantum profert;

3) mendacia non sunt locutiones ironicae, hyperbolicae; quia verba ipsa in illis circumstantiis ad aliam significationem revera trahuntur;

4) mendacium non est, famulum a domino jussum dicere, dominum domi non esse: quia ex consuetudine haec verba nihil significant, nisi: ‚adiri non vult'; vel, si mavis, cum restrictione non pure mentali significant verba: ‚domi non est *ad alloquendum*'. Doceri tamen debent famuli timorati, ne subjective peccent.

326 *Mentiri semper peccatum est, at ratione mendacii veniale tantum: quare ut grave fiat, alia malitia (gravis damni) extrinsecus accedere debet.* Nimirum malitia mendacio essentialis consistit 1) in abusu signorum, quibus mentiens utitur contra naturalem institutionem et finem, eum positive laedendo; at cujuslibet rei abusus nunquam non inhonestus est; 2) in contradictione inter mentem et linguam; sed quaelibet in uno eodemque homine contradictio inter externa et interna turpis est. Accedit autem 3) socialis vitae laesio quaedam, cui incommodum infertur saltem in causa et radice et quantum est ex ipso mentiente; 4) plerumque etiam proximi deceptio, qua ei aliquod malum, sc. error, causatur. At hoc malum ultimo loco notatum secundarium est, idque si solum adesset, ex graviore aliqua causa non intendi quidem, sed permitti posset.

Nulla autem ex illis malitiis *ex se* gravis est, neque communiter sociali vitae *notabile* praejudicium creatur. — Distinguitur mendacium *jocosum, officiosum, damnosum:* solum ultimum, si grave damnum causatur, cum gravi peccato conjunctum est.

Ad mendacium pertinet *simulatio, hypocrisis:* de quarum malitia similiter ut de mendacio judicandum est.

327 II. *A mendacio saepe immunis est restrictio mentalis: quare ea uti aliquando licitum et necessarium est, aliquando illicitum.*

Est autem restrictio mentalis: *retentio sensûs* verborum, vel ejus determinatio, *mente facta.* Quod fieri potest variis modis: 1) si verba secundum ipsam suam significationem *sunt ambigua*, ita ut mens loquentis certum sensum determinare debeat; 2) si verba non ex sua nativa quidem significatione alium, quam obvium sensum habent, bene autem *ex circumstantiis* loci, personae, temporis talem sensum ab obvio distinctum admittunt, e. g. vox ‚nescio' ex circumstantiis admittit sensum ‚nescio scientia communicabili'; 3) si verba neque in se neque ex circumstantiis talem sensum habent, sed per *solam additionem mente factam* ad alienum sensum trahuntur seu restringuntur, v. g. si quis interrogatus, num fuerit Coloniae, respondet: ‚fui', sed intelligit: ‚fui ibi animo et desiderio'.

Quibus notatis dicendum est: 1) Ultimus modus loquendi, quae est restrictio *pure* mentalis, nunquam est licitus, sed ad mendacium referri debet, atque mendax est.

328 2) Alii duo modi ex causa proportionata liciti sunt: nam nullam continent locutionem contra mentem, siquidem verba, prout proferuntur, — sumuntur enim et sumi debent cum circumstantiis — sensum verum, quem loquens in mente habet, significant, etsi non clare et distincte; ea autem non intelligi pleno sensu ab audiente, intenditur, idque jure; ea intelligi forte sensu positive falso, permittitur. Celatur igitur aliquid

veritatis: quod fieri licet, imo saepe debet, ex justa causa. S. Alph. n. 152, ubi hanc opinionem vocat communem fere DD.; et vere evidenter colligitur ex verbis Christi D. Jo. 7, 8 et Marc. 13, 32.

3) Quando autem interrogans jus habet ad veritatem plenam, usus illius restrictionis aequivalet mendacio; imo quandocunque justa causa deest, vix non idem dici debet. Quamquam si aliqua causa, etsi levior, adest, proprie mendacium non fit.

4) *Quando licite utor restrictione non pure mentali, etiam pro gravitate causae, cum tali restrictione jurare licet.* Si vero interrogans jus ad plenam veritatem habet, cum restrictione jurare, est omnino perjurium; si alter jus non habet, sed loquens ex leviore causa cum restrictione jurat, ex circumstantiis damnorum judicandum est, utrum pro perjuro haberi debeat, an solum temere jurasse dicendus sit. V. S. Alph. ib. et confer, quae dicta sunt de *religione* circa juramentum.

Verum aliquando satis difficile est distinguere, utrum aliquis loquendi 329
modus restrictio pure, an non pure, sed late mentalis sit.

Attende in praxi ad theses ab Innoc. XI. damnatas, quas S. Alph. de restrictione pure mentali intelligit: videntur tamen etiam intelligi de restrictione utcunque sine causa facta.

Thes. 26: „Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus."

Thes. 27: „Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa."

Thes. 28: „Qui mediante commendatione vel munere, ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum."

Ratio igitur hujus condemnationis est, quia 1) *non omnia haec,* quae in illis thesibus asseruntur, legitimam causam continent, 2) neque omnia de restrictione *late mentali* intelliguntur.

§ 2.

De virtutibus justitiae annexis cum debito legali, pietate, observantia, obedientia.

I. Pietas respicit *principia nostri ortus,* atque virtus est, qua 330
parentibus, patriae et sanguine junctis officium et cultus praestatur. Scilicet primarie respicit parentes ut proximam ortûs nostri causam; dein redundat 1) in patriam, qua praestetur facultas convenientis educationis, 2) in consanguineos propter conjunctionem ortûs communis: atque sic extenditur in conjuges et liberos. — Relatio ad parentes spirituales etiam recte pietas dicitur, attamen alterius ordinis.

Officium et cultus, quae per pietatem erga parentes exiguntur eamve comitantur, sunt: amor, reverentia, obedientia, prout in quarto decalogi praecepto mox explicabitur.

Pietàs laeditur iis actibus, qui debito officio contrarii sunt. Quoniam vero haec officia non ad ejusdem infimae speciei virtutem pertinent, neque peccata contra pietatem in re ad unam eandemque specificam malitiam laesae pietatis revocari possunt.

331 II. Observantia, pietati similis, virtus est, qua honor et obsequium alteri praestatur *propter quandam excellentiam,* imprimis gubernationis actualis, tum aptitudinis ad eam.

In relatione filiorum ad paternam potestatem haec observantiae virtus a pietate absorbetur, ita ut nequaquam duplex virtus sive exerceri, sive laedi a filiis dici debeat.

Distinguitur pro diversorum ordinum excellentiis observantia *politica* et *religiosa;* religiosa est naturalis aut supernaturalis; posterior praeter observantiam erga praelatos ecclesiasticos continet *duliam* seu cultum Sanctorum, et *hyperduliam* seu cultum B. Mariae Virgini debitum.

332 III. Obedientia virtus est, quae inclinat ad subjectionem et conformitatem erga voluntatem Superioris, qui praecipere possit. (Alii dicunt: erga voluntatem Superioris *praecipientis.)*

Etsi jus et potestas regendi seu praecipiendi ex diversis titulis diversa est, obedientia non videtur propterea diversae esse virtutis; quamquam diversa virtus, religio, pietas etc. communiter adjuncta est.

Ceterum, quando obedientia exigitur, non exigitur *formalis* obedientia, sed sufficit materialis; formalis tamen obedientia, seu ex motivo obedientiae agere, est virtutis non mediocris.

Inobedientia *materialis* in quolibet peccato committitur: cujus specifica malitia desumitur ex oppositione ad eam virtutem, ad quam opus praescriptum spectat, si legislativa auctoritate praeceptum est, aut ex oppositione ad religionem, pietatem, etc., si hoc tantum titulo obedientiae debebatur.

Formalis autem *inobedientia* committitur eo, quod aliquis nolit auctoritati legitimae in hac vel illa re subjacere; est igitur *auctoritatis qua talis contemptus,* ac propterea etiam in laesione rei objective levis grave peccatum. — Cf. *Theol. mor.* n. 779 sqq.

Divisio III.

Post datam generalem notionem diversarum virtutum in accuratiore explanatione eorum, quae ad virtutum exercitium et obligationem atque ad opposita peccata pertinent, sequemur ipsa objecta diversorum ordinum, circa quae virtutes morales versantur. Ratio est, quia ex diversis illis objectis potissimum malitia diversa laesarum virtutum consideratur, et quia illum ordinem sequentes practicam utilitatem consequemur tractandi res secundum ipsum decalogi ordinem. Videlicet tractabimus de obligationibus:

1) circa bonum sociale — quod respondet *quarto* decalogi praecepto;
2) circa bonum individuale vitae et personae — *quinto* praecepto;

3) circa bonum conjugale — quod respondet *sexto* decalogi praecepto;
4) circa bona externa fortunae — quae respondent *septimo* praecepto;
5) circa bonum famae — quod *octavo* decalogi praecepto respondet.
Dein *nonum et decimum* praeceptum decalogi in sexto et septimo inclusa habes, complenda ex iis, quae de peccatis in genere dicta sunt.

Tractatus I.

De officiis humanis atque peccatis, quae bonum ordinis socialis spectant.

Omnis socialis vita ex societate domestica et relatione inter parentes et filios originem ducit. Obligationes igitur inter parentes et filios fundamentum vel exemplar quoddam sunt aliarum socialium obligationum. Quare recte ad praeceptum quartum reducuntur:

„*Honora patrem tuum et matrem tuam.*“ Exod. 20, 12.

Caput I.

De mutua obligatione in societate domestica.

§ 1.

De obligatione parentum.

Natura duce 1) feruntur parentes *speciali amore* in filios: cujus 333
obligatio nunquam cessat, siquidem intima illa relatio mutua nunquam exstinguitur; 2) *externam curam et providentiam* parentes filiis debent; quae per se temporanea est, dum filii sibi providere possint; per accidens etiam postea potest reviviscere. — Quando peccant parentes contra hanc suam *pietatis* obligationem, suam conditionem in confessione declarare debent, quia ex hac ipsa conditione, quod parentes sunt, aut constituitur (gravis) malitia, aut specifice alia et gravior evadit, aut nova specie augetur.

I. De Amore interno.

1. Amor internus certe debetur filiis; at quoties, sane difficulter determinatur. Verum si non laeditur, et externa providentia filiis impenditur, non est, cur de defectu interni actûs multum quaeramus.

2. Peccata contra hanc pietatis obligationem habes: filios odio prosequi; invidiam erga eos fovere; eosque ab aspectu aliisve signis externis paterni affectûs ita excludere, ut id merito pro manifestatione gravis odii habeatur; malum grave eis serio imprecari. At plerumque illa mali imprecatio seria non censetur — quare tum, seclusa etiam imperfectione actûs, videndum est, num forte aut gravem injuriam

contineat — quod summum erga filios adultos est, neque erga eos facile —, aut grave scandalum, quo pueri parentum exemplo diras imprecari doceantur. — Similiter peccatur, si gravia mala filiis inferuntur, ut contumelia (quae tamen facilius levis manet quam erga extraneos), diffamatio etc. Delicta igitur occulta externis revelare, secundum ea, quae dicturi sumus postea circa 8. praeceptum, grave peccatum esse potest; parentes vero sibi invicem delicta filiorum manifestare, saepe expedit et necessarium est, quo melius praecaveantur peccata.

3. Peccari contra amorem potest etiam excessu: 1) omnia permittendo neque delicta puniendo etc. — quod tamen potius ad externam curam pertinet —; 2) uni filio prae aliis sine causa magis favendo: quod si notabiliter fit, grave peccatum — utique unius malitiae contra pietatem — esse potest atque fons multorum malorum graviumque in familia dissidiarum.

II. **De cura externa.** Cf. *Theol. mor.* n. 784 sqq.

334 A. Cura corporalis. Quae debetur

1. circa *vitam* infantis. Ante nativitatem igitur mater praegnans cavere debet, ne foetui periculum inferat immodico vel imprudenti labore, saltationibus, lasciviis etc.; maritus, ne uxorem male tractando abortui ansam det. — Post nativitatem curent parentes, ne filiolos secum in lecto tenentes suffocationis periculum creent: quod monet ipsum Rituale Rom. Verum sitne periculum grave, a circumstantiis pendet.

2. Circa *sustentationem* debent parentes filiis providere, donec ipsi sibi providere possint. Attamen etiam in adulta aetate, si vere gravi necessitate premantur, licet ex sua culpa, neque seipsos alere possint, parentes eos etiamtum debent alere: v. g., si initae sunt nuptiae indignae, *indigenti* filio cum uxore pater providere debet. S. Alph. l. 3 n. 337 et 949, S. Thomas II. II. q. 101 a. 2.

Graviter igitur peccant parentes, si abjiciunt prolem: imo nec ob gravem diffamationem illegitimi partûs id licebit, nisi proles collocetur in orphanotrophio, in quo non corporali tantum curae satis provideatur, sed etiam bonae et catholicae educationi. (Proprio lacte filiolos nutrire, per se obligatio quidem est; at si aliunde satis filiolo providetur per nutricem etiam bonis moribus imbutam, quae propriae proli grave damnum eo, quod se illi subtrahat, non inferat, obligatio non laeditur graviter: quare ex causa mediocriter gravi excusatio aderit, maxime ubi viget apud nobiles ista consuetudo substituendi nutricem.)

Graviter peccare possunt parentes, si negligunt, quominus filii convenientem artem addiscant; (in addiscendis literis cavendum est, ne in scholis animae damnum subeant;) si bona sua dilapidant atque ita filios ex decentia sui statûs dejiciunt; si absque legitima causa convenientem dotem filiae denegant.

335 B. Cura spiritualis.

1. Vita spiritualis procuranda est per *baptismum;* de quo confer P. II. *infra* n. 674;

2. promovenda per *institutionem et bonum exemplum;* protegenda per *vigilantiam et correctionem.* Hinc incumbit potissimum matri officium, ut a teneris annis filiolos in doctrina fidei necessaria instruat, atque

orandi consuetudine ipsum usum rationis praeveniat. Postea parentes omnino videre debent, ut filiis adolescentibus bonos magistros praeficiant.

Peccant igitur graviter: 1) plerumque saltem, si, quando liberum eis est, filios in scholam acatholicam mittunt. Imo etsi coguntur, ne cedere quidem licet, nisi periculum, quod filii subeant circa fidem vel bonos mores, fieri possit et reipsa fiat remotum tantum. Quare parentes tenentur hac in re invigilare et inquirere atque remedium afferre. 2) Si filiis sunt scandalo, v. g., si coram filiis imprecationes, blasphemias, res turpes proferant, magis etiam si ipsos seducunt. 3) Si incuria et negligentia sua in causa sunt, cur cum aliis pravis pueris vel adolescentibus conversentur atque seducantur: idque suo modo valet tum de filiis junioribus, tum de iis, qui in aetate nubili sunt. 4) Si pravas inclinationes et vitia correctione et poenis moderatis non curent succidenda, quando sc. notabiliter negligentes sunt hac in re. Ceterum curent sedulo parentes, ut ab infantili aetate signa pravarum inclinationum advertant, eas supprimant, neve unquam stulte foveant, quasi puerulus irâ et obstinatione jam virile aliquid proluderet. Sed e contrario etiam omnino caveant, ne parva peccata pro gravibus extollant gehennam merentibus, ne infantes falsam conscientiam contrahant. 5) Similiter si famulandi causa filii filiaeve mittantur sine sufficienti cura et certitudine, ne in manus improborum incidant.

§ 2.

De obligatione filiorum.

I. Nota in genere:

1. S. Scriptura obligationes filiorum erga parentes nomine *honoris* 336
complectitur; in quo tamen triplex officium iis debitum continetur, *reverentia, amor, obedientia:* cf. S. Thom. II. II. q. 101 a. 2 et 3, ubi omnem cultum omneque officium parentibus debitum ad *pietatem* refert. *Qui igitur contra haec officia delinquit, peccat contra pietatem filialem modo specifice diverso, prout amorem, reverentiam, aut obedientiam laedit.*

2. Haec est *sola* malitia in ejusmodi peccatis contenta, quando sola specialis relatio filii erga parentes causa est, cur actio illa praecipiatur sive prohibeatur (respective *sub gravi* praecipiatur prohibeaturve), aut quando actio talis est, qua erga extraneos commissa sola caritas laedatur; si vero actio aliunde jam habet gravem malitiam, actio peccaminosa erga parentes novam malitiam mortalem superaddit.

3. *Duplex* igitur malitia gravis potissimum tum adesse potest, quando officium filialis pietatis actu positivo contrario laeditur: at non semper, quia actio illa, si contra extraneos exerceretur, non semper mortalem malitiam contineret. Non raro enim, quando amor, vel praecipue quando reverentia laeditur, facilius laesio mortaliter gravis est contra parentes, quae levis fuerit erga extraneos. Quod si obtinet, quoniam *gravis* obligatio ex sola pietatis virtute pendet, dic, unam malitiam gravem contractam esse.

4. *Officium reverentiae et amoris nunquam exstinguitur: obedientiae* 337
autem obligatio per se cessat, quando filii ex paterna potestate dimittuntur,

nisi forte ratione reverentiae etiam postea in gravioribus negotiis consilium parentum audiendum sit.

Obedientia enim educationi respondet: quare refertur et restringitur ad ea 1) quae ad ordinem domesticum spectant; 2) quae ad bonos mores pertinent. Dein ut contra eam graviter delinquatur, requiritur praeceptum serium in re gravi, quae res gravis non iisdem regulis mensuratur, ut in praeceptis Ecclesiae. — In statûs autem electione, quamquam nisi de perfectionis statu agatur, consilium a parentibus capere debent, tamen filii absolute cogi non possunt.

5. Reverentiae officium prohibet 1) internum contemptum, 2) signa externa, quae contemptum redoleant, 3) praecipit suo tempore etiam positiva signa honoris et subjectionis.

6. Amor exigit tum 1) internum affectum, 2) tum externa auxilia, quibus parentes indigeant, 3) specialiter prohibet parentum laesionem.

338 II. Speciatim vero filii graviter peccant:

1. Contra *obedientiam*, si contra mandatum serium parentum religiosa praecepta *negligunt*, vel etiam, quae ab Ecclesia non praecipiuntur, sed ipsis vix non necessaria sunt, *notabiliter* omittunt; si consortia prava, choreas, theatra etc. vetita frequentant; si in re domestica superbe respondent, vel obedire recusant, aut notabile incommodum creant; si contra parentum mandatum studia artesve addiscendas notabiliter negligunt. — *Hinc, seclusa formali inobedientia,* communiter vere dicunt Sporer *in decal* tr. 3 c. 5 n. 16 et Elbel n. 555 (cf. S. Alph. l. c.), *tunc filium graviter peccare, quando frequentius praeceptum transgreditur, non, si aliquoties ex negligentia.*

2. Contra *reverentiam* graviter peccatur 1) *injusto contemptu gravi,* etiam interno. — 2) Externe graviter peccat, qui *parentes etiam leviter percutit,* aut percussionem minatur, manumque contra parentes attollit deliberate. — 3) Item si deliberate aliquid facit, quo scit, *graviter contristandos* esse parentes: — nimirum si contumeliam non continet, tamen graviter contra amorem pietatis est. S. Alph. n. 334 III. — 4) *Si contumeliosis verbis eos alloquitur,* quibus praevidet, graviter parentes offendi. Quare quid hac in re grave peccatum sit, multum pendet a conditione et consuetudine personarum. — Idem dic de aliis gestibus, subsannatione. — 5) Si parentibus *maledicit*, ita ut ipsi audiant, aut ab aliis eos audituros esse praevideatur, esti non fiat ex animo. Nimirum si fit gravis imprecatio ex animo, semper graviter contra amorem peccatur: si autem maledictio non fit coram parentibus aut iis, qui id relaturi sunt, neque ex animo ita ut gravis contemptus non concipiatur, grave peccatum non est, utpote contumeliam proprie non continens. S. Alph. n. 334. — 6) Si parentes *cum contemptu nolit agnoscere.* Quare si filius ex gravi causa dissimularet eos cognoscere, non peccaret: imo si etiam ex causa non ita justa solum externe id faceret, sine interno contemptu, idque parentes sciant, facile a *gravi peccato* excusatur: siquidem parentes *graviter* inviti non censentur, vel, si pro filio justa causa subest, rationabiliter inviti esse non possunt. S. Alph. ib. VI. — 7) Si filius *superbe, aspere parentes alloqui consuevit,* torvis oculis aspicit, eos superbe non salutat, paucis, si agendi ratio pro signo interni contemptûs gravis haberi debet.

3. Contra *amorem* graviter peccatur 1) interno *odio, seria imprecatione* gravis mali: magis etiam grave *malum inferendo.* Dein filius graviter contra parentes peccat: 2) *Si voluntatem ultimam justam non implet,* aut eos injuste impedit ab ultima voluntate declaranda: si nihil curat, ut suffragia vel Sacra offerantur pro parentibus defunctis. — 3) Si parentibus *in gravi necessitate spirituali aut corporali non subvenit,* quando potest: e. g. si non curat, ut iis moribundis administrentur sacramenta.

Adde: Peccata contra alios cognatos lineae rectae et contra 339
fratres vel sorores specificam malitiam contra pietatem censentur continere; contra remotiores cognatos non ita. Fratribus et sororibus graviter indigentibus auxilium ferre, habetur pro *gravi* obligatione pietatis. Cf. *Theol. mor.* n. 790 sqq.

Caput II.

De mutua obligatione in societate publica.

Circa ecclesiasticam auctoritatem quae dicenda sunt, alibi de diversis statibus tractaturi dicemus. Hîc solum breviter noto aliqua.

Articulus I.

De relatione inter principes et subditos.

§ 1.

De obligatione principum seu eorum, qui gerunt summam auctoritatem politicam sive civilem.

I. Eorum officium est imprimis: 1. justitiam administrare sine 340
acceptatione personarum; 2. publicis muneribus dignos et aptos viros praeficere; 3. publicae securitati prospicere; 4. bonum publicum temporale promovere, salva tamen singulorum libertate; 5. Ecclesiam revereri ejusque consilia ad bonum publicum divinamque gloriam adjuvare.

II. Praecipua peccata mortalia, quae facilius occurrere possunt, ab Antonio a Spiritu S. tract. 7 n. 139 ita recensentur:

1. Immodica regnandi cupido — etsi in se non sit mortalis — facillime ad peccatum grave ducit, ut ad invasionem, injustam detentionem alieni principatûs. 2. Bellum injustum suscipere. 3. Necessitatibus communibus atque pauperibus non prospicere. 4. Tributa injusta imponere; aliisve oneribus, exercitu non necessario populos gravare. 5. Leges iniquas condere. 6. Viros ineptos officiis publicis praeficere. 7. Pravas consuetudines sine necessitate permittere, ut ludos pravos, theatra bonis moribus contraria etc. 8. Libertatem conscientiae indiscriminatim et sine necessitate inducere; aut e contrario veram religionem vexare.

§ 2.

De obligatione subditorum.

Obligatio subditorum continetur *subjectione et reverentia.*

341 Ad I. spectat: 1. *Obedientia* erga leges non injustas: ad quam pertinent solutio tributorum et patriae defensio. 2. *Fidelitas*, ne contra legitimam auctoritatem audeant rebellionem vel revolutionem suscitare: aliud vero plane est iniquis legibus earumque exsecutioni resistere; quod quousque liceat vel fieri debeat, a multis circumstantiis pendet, propter quas privati homines saepe juri suo cedant oportet.

II. Ad reverentiam spectat, ut Principibus aliisque officialibus pro munere et conditione honor praestetur. Praeter gravem *internum* contemptum temere conceptum etiam externa reverentiae laesio mortalis evadere potest, videlicet:

1) si contemptus graviter peccaminosus coram aliis manifestatur;

2) si ipsi Superiori, vel ejus imagini et signo publice exposito contumelia infertur;

3) si in Superiorem absentem contumelia congeritur publice, vel ita, ut facile publica evadat, vel in aliis subditis notabilem justi honoris diminutionem gignat;

4) si externus honor injuste denegatur in iis circumstantiis, in quibus id pro gravi contemptu habetur;

5) si ex formali contemptu lex vel praeceptum Superioris violatur.

§ 3.

De obligatione populi concurrendi ad gubernandum.

342 Nostris temporibus, quum fere ubique populo ex regnorum constitutione pars regiminis et boni publici procurandi committatur, illi etiam incumbit, maxime deputatorum electione, ad finem ipsi praestitutum conferre. Quare

1. Obligantur populi in bonorum deputandorum electionem incumbere, si fundata ratione sperant, fore ut tali modo iniquae leges bonum commune vexantes impediantur, aboleantur, leges bonae atque utiles promoveantur: nisi forte haec ipsa electio sumi possit pro usurpati regiminis agnitione. Quare *pro circumstantiis* aut non licet ad electionem concurrere, aut non expedit, aut licet et expedit, aut etiam oportet.

2. Imo gravis obligatio concurrendi ad eligendos bonos candidatos adest pro iis, qui juste timere debent, ne abstinentes ab electione causa sint, cur sufficiens numerus bonorum deputatorum desit, atque ita pravae leges in grave damnum publicum cum effectu ferantur, vel sustineantur. Cf. Del Vecchio I. n. 332; Scavini I. n. 676.

Qui autem id jure non timent, generatim peccant quidem abstinendo, si modo interest demonstrari, quae sit bonorum virorum (catholicorum) publica opinio, at communiter peccato non mortali: imo si gravior quaedam ratio privati damni adest, abstinendo peccatum generatim non committunt.

3. Aliquem pro deputato eligere absoluto, qui prava principia 343
sectatur, nunquam licet: verum hypothetice licere potest; nimirum si possibilitas eligendi est solum inter duos, quorum neuter justa et sana principia fovet, licebit eum, qui minus malus est, eligere, saltem si 1) aut verbis aut factis declaratur, quo sensu et quo fine haec electio instituatur, et si insuper 2) illa electio seu cooperatio ad electionem necessaria videtur, ut pejor candidatus excludatur.

4. Deputati ex munere suscepto tenentur pro viribus bonum commune promovere, maxime eo sensu, quo electoribus suis consentientes fidem dederunt. — Malis autem legibus, si sunt intrinsecus malae, assentiri easve approbare non possunt unquam; alioqui minus bonis assentiri aliquando possunt, ut excludantur pejora.

Articulus II.

De publicis justitiae administris et eorum civiumque mutua obligatione.

Cf. scriptores ut supra, et S. Thom. II. II. q. 67—71; S. Alph. l. 4 n. 192—292.

§ 1.

De judice.

1. *Judex munus suum subire nequit, nisi competenti scientia est in-* 344
structus, i. e. et *prudentia* in singularibus rebus necessaria et *juris vigentis notitia.* — Quare qui sine eâ munus subit et gerit, absolutionis incapax est, et obnoxius fit restitutioni omnium damnorum, quae causaturus est, utpote in sua inscitia in confuso praevisorum.

2. *Praeterea indiget legitima jurisdictione:* peccat igitur excedens suam jurisdictionem, alienam sibi arrogans, praecipue ecclesiasticam.

3. *Judicium instruere causamque finire debet secundum leges, si modo injustae vel iniquae non sunt:* quare si contra leges agendo vel munere suo male fungendo aliis damno est, reus fit laesae justitiae commutativae.

Reus igitur laesae commutativae justitiae evadere potest non solum ut causa positiva, sed etiam ut negativa, si sc. quae *muneris sui* sunt negligit; adverte tamen, ipsius muneris non esse alterutrius partis advocatum agere in rebus *facti*, quando nimirum versamur in causa civili, nisi forte agatur de gravi damno publico vel piâ causâ, aut factum notorium vel jam in actis juridicis relatum in defensione omittatur.

Dein si falsâ sententiâ causa est, cur mulcta fisco non addicatur, hujus damni fisco restitutionem facere probabiliter non tenetur.

Leges igitur, secundum quas judex agat, supponuntur non esse injustae: quod praesumi debet, donec constet de contrario. Quodsi constat, iniquas eas esse, certum est, judicem ferendo sententiam eas exsequi non posse. — Sententia autem, si quam utcunque injustam esse constat, sive propter legis injustitiam, sive propter falsi facti suppositionem, sane nullius est valoris in foro conscientiae, neque

aufert jus compensationis occultae; in dubio autem omnino standum est judicio lato, quia alias lites nunquam finirentur.

345 4. *In dubio causae criminalis favendum est reo, nisi forte criminis facto omnino probato, modum vel mensuram poenae lex judicis arbitrio relinquat.*

Difficilior est quaestio, quid fieri possit, si privata judicis scientia cum notitia judiciali seu probatione juridica non concordat.

Qua in re *jurati* quos vocant, sicut non possunt privata sua scientia contra reum uti, ita debent pro reo. Minus etiam ordinarius judex *contra* reum privata scientia regi potest; facilius tamen excusatur, ne *pro* reo juridice sed falso convicto illa uti debeat. Videlicet, nisi loco judicis testem pro reo innocente agere eumque efficaciter defendere possit, reum liberando sese cum proprio damno gravi periculo exponit, ne ipse violatae legis et apertae injustitiae reus habeatur, neque cum effectu alterum liberare poterit. Quare niti potest solâ notitiâ judiciali sub sequentibus restrictionibus: 1) ut omnia tentaverit, quae moraliter loquendo tentare potuerit ad liberandum reum idque pro gravitate poenae aliter impendentis (v. g. opportunitatem dando fugae et consilia); 2) ut alioquin agatur de damno proprio relative gravi; 3) ut reo innocenti immineat poena in rebus externis, de quibus homini est jus disponendi: nam si de poena capitis agitur, videtur judici non licere sententiam condemnatoriam ferre; quamquam opinionem, quae etiam hoc, si evitari nequeat, licere putet, nolim dicere reprobatam, quippe quae S. Thomae auctoritate defendi possit.

346 5. *De dubio in causa civili haec observanda sunt:*

1) Contra eum, qui est in pacifica possessione, ut alter vincat, *certa* probatione opus est, non sufficit probabilis vel probabilior.

Si in solo foro interno res agitur, illa *probatio* aliquando latius sumi potest, quam in foro externo.

2) Si neuter in pacifica possessione est, judex sententiam dicere *debet* secundum eam juris interpretationem, quae judici est verior, et secundum meliorem facti probationem.

3) Si juris probabilitas aequalis est, vel major probabilitas dubia, suadeatur amica compositio vel divisio: externum forum autem exigit, ut judex studio veriorem opinionem sibi efformet. — In hac igitur causa injustitia non est, a) si judex uni prae altero rem addicat, nisi forte in juris aequalitate lex ipsa pias causas, quae sint pars altera litigans, praeferat; vel b) si non solum suae opinionis, sed etiam aliorum tribunalium rationem habet.

4) Quando judex pro arbitrio uni vel alteri favere potest, pro pecunia alterum eligere, illicitum, imo contra commutativam justitiam est.

347 6. *De cetero circa munera exacta vel admissa nota:*

1) *Exigere* seu extorquere munera pro sententia justa, *injustitia* est; non ita pro injusta sententia: in qua tamen judex obnoxius fit reparandis damnis.

2) Similiter injustum est, exigere munera, ut una causa prae altera expediatur, nisi labor ultra debitum augendus est; differre autem aliam causam, injustum damnum efficere potest.

3) *Admittere* munera sponte oblata, *non contra justitiam* quidem est, *sed contra leges in conscientia obligantes;* nisi excipias esculenta et poculenta paucorum dierum. Cf. Corpus Juris canon. l. 1 tit. 3 c. 2 in 6°. Vide *Theol. mor.* n. 801—810.

§ 2.

De actore, vel de accusatione et denuntiatione.

1. In causa civili, qui contra alterum apud judicem instat, *actor* 348
dicitur; in causa criminali *accusator.* Accusator proprio sensu tum dicitur, quando se crimen probaturum promittit atque a reo poenas sumendas postulat.

A quo distinguitur *denuntiator*, qui crimen defert quidem ad judicem, ut illud punire possit, at probandi onus in se non suscipit, sed judici causam prosequendam et instruendam relinquit, ipse in instruenda causa testis erit.

Denuntiatio autem late sumpta distinguitur tum *judicialis*, quae, ut modo dixi, tendit in delictum puniendum; tum *evangelica* vel paterna, quae crimen Superiori ut patri manifestat, non ut reus puniatur, sed ut corrigatur.

2. Ab accusatione formali (non ita a denuntiatione) facienda repelluntur jure Romano et canonico: Excommunicati, proditores, infames, impuberes, feminae, filii respectu parentum, laici respectu clericorum, inimici in causa inimici, socii criminis; nisi aut criminis enormitas aut propria defensio exceptionem faciat. Recentioribus juribus autem vix admittitur formalis accusatio, nisi ab ipsa persona publica (procuratore causarum publicarum): quare privatorum hominum est tantum, denuntiare crimina, et insistere, ut ad accusationem procedatur.

3. Accusatio vel saltem denuntiatio aliquando fieri debet; aliquando 349
fieri potest, sed non debet; aliquando debet non fieri.

Scilicet *debet non fieri:* 1) si ex accusatione vel denuntiatione majora mala vel scandala sequuntur; 2) si accusatio proprie dicta fit sine criminis certitudine, aut denuntiatio sine sufficientibus indiciis (certitudo plena in denuntiatione non requiritur, verum incerta et dubia non licet pro certis dicere); 3) etsi denuntiatio fieri possit, vel etiam debeat, animum vindictae tamen in ea non licet admittere.

Potest fieri alias tum in causa privata propria, tum in aliena, multo magis in publica: si modo recta adsit intentio.

Debet fieri: ab officialibus, qui vi muneris sui ad id constituuntur. Debet etiam fieri ab homine privato in sequentibus adjunctis: 1) si agitur de crimine adhuc pendente, aut quod ne iterum committatur prudenter timetur, eoque cum gravi damno communi; 2) si agitur de crimine etiam praeterito sed gravissimo, tali, quod leges positivae (praesertim ecclesiasticae) denuntiari jubeant; 3) si de gravi damno proprio sive avertendo sive reparando agitur in illa re, cui licite non possim renuntiare; 4) si agitur de gravibus damnis alienis privatis ab homine innocente avertendis sive reparandis, — sive crimen est prae-

teritum sive adhuc pendens —, si modo possim sine meo gravi incommodo: verum quoniam ipsa judicialis denuntiatio satis gravia incommoda secum ferre potest, haec denuntiandi obligatio propter alienum damnum privatum praecavendum non tam facile imponi debet. V. S. Alph. n. 236 II.

350 Crimina autem, quae publico bono censentur graviter damnosa esse, sunt haec:

In communitatibus quaelibet crimina, quae cum aliorum seductione ejusve gravi periculo conjungantur.

Alias: conatus rebellionis et conspiratio; adulteratio monetarum; homicidium et latrocinium vel grassatio.

Additur ex lege Eccl.: Haeresis cum illis criminibus, quae hominem reddunt de haeresi suspectum. Suspectum de haeresi secundum ecclesiasticum jus reddunt sequentia crimina notatu digna:

1) Nuptiarum celebratio cum ligaminis impedimento, aut cum impedimento ordinis sacri sive voti religiosi.

2) Sacramentorum fallax confectio sine ordine sacerdotali suscepto.

3) In blasphemia haereticali obstinacia.

4) Superstitionis exercitium cum abusu Sanctissimae Eucharistiae vel sacrorum oleorum.

5) Culpabilis neglectus denuntiationis haeresis formalis.

6) Sollicitatio ad venerea in ministerio confessionum excipiendarum.

7) Participatio in secta damnata, in qua contra legitimas auctoritates moliuntur.

351 Omnia illa crimina tum formalis haeresis, tum illa, quae reum faciunt haeresis suspectum, secundum ecclesiasticas leges per se infra mensem denuntianda sunt, neque tantum quando relapsus timetur: ita tamen ut, absente gravis damni communis periculo, at praeviso gravi damno pro denuntiante, excusationem adesse censeant a facienda denuntiatione eorum criminum, quae solam suspicionem haeresis efficiunt; atque etiam cognatorum denuntiatio (usque ad quartum gradum), nisi commune periculum immineat, probabiliter non sit praecepta; haeresis autem formalis prorsus accusanda sit, etsi de proxime cognatis agatur: S. Alph. n. 249 et 250. Quod Sacra Poenitentiaria etiam de carbonariis similisque sectae asseclis valere dixit in responsis ad Archiep. Neapolit. 8. Nov. 1821: v. Scavini ed. 10 v. 4 n. 181 (append. XXV).

Nihilominus pro regionibus, ubi impune haeresis grassatur, ac proin puniri haeretici non possunt, illa positiva legum jussio non ita urget — vide Lacroix l. 2 n. 215 cum aliis: quod multo magis nostris temporibus verum est tum circa haeresim formalem, tum circa crimina, quae suspicionem haeresis faciunt. Excipiuntur tamen duo crimina, circa quae denuntiationis obligatio ubique sustinenda est, et quamquam aliquando suspenditur, tamen non exspirat: sc. 1) sollicitatio in munere confessionum excipiendarum, 2) occultum coryphaeum esse in secta damnata. Fusius hac de re tractabitur occasione *censurarum*.

Dein 3) magis etiam urget obligatio, quam ipsa lex naturalis jam prorsus imponit, sc. obligatio denuntiandi haereticum occulte dog-

matizantem, qui simplices homines seducere possit; aut aliquando etiam sacerdotem, qui in aliis criminibus aliorum seductor forte exstiterit: quo scilicet Superior damni periculum removere vel diminuere possit.

Crimina haeresis, vel quae cum haeresis suspicione cohaerent, denuntiari debent, etsi occulta sint vel juridice probari non possint; quod de aliis etiam criminibus cum gravi periculo communis damni conjunctis valet, ut via pandatur ad majorem inquisitionem, non vero de reliquis criminibus, quae lex non exceperit.

§ 3.

De reo.

Tria sunt potissimum, in quibus quid reo liceat, quid non, quae- 352
rendum est, sc. 1) in confessione criminis, 2) in probatione patrati criminis eludenda, 3) in declinanda poena jam statuta.

I. Confessio criminis. 1. *Reus legitime interrogatus generatim veritatem fateri debet; sed non juridice aut non legitime interrogatus fateri non tenetur,* videlicet nisi jam aliqualis probatio criminis exstet, atque judex in hac causa sit legitimus. Imo si de gravissima poena agitur, tamdiu a confessione facienda excusari probabiliter potest, quamdiu se poenam evasurum esse sperat.

2. *Quamquam igitur, si fateri non tenetur, non ideo ei mentiri licet: tamen restrictione uti prorsus licet* secundum ea, quae supra de restrictione licitâ dicta sunt (n. 327 sq.), vel etiam crimen negare, siquidem haec criminis negatio ex circumstantiis pro reo est restrictio non pure mentalis, qua dicit, se non commisisse tale crimen, *quod debeat fateri.* — Ceterum si crimen est ejusmodi, ut denuntiationem plane postulet, reus, etiam non interrogatus, complices prodere debet.

3. *Quando talis confessionis declinatio est licita, licet etiam, si opus est, juramento uti:* quamquam practice non consuevit reo juramentum offerri.

II. Defensio. 1. Reus potest alicujus testis testimonium infrin- 353
gere revelando ejus crimen occultum, modo talis revelatio veri criminis et necessaria et efficax sit sui defensio, et aliqua exsistat proportio inter malum, quod reus declinet, et quod testis, praesertim coactus, sit subiturus. Cf. tamen infra, quae dicentur de *diffamatione.*

Quare neque reo neque advocato id licebit, si 1) aliter reus defendi atque condemnationem effugere potest; 2) si talis revelatio aut vim testimonii dati non infringit, aut sine illius testimonio jam sufficiens criminis probatio habetur vel habebitur.

2. Si unicus adsit testis, qui rem scire possit, ex mente veterum scriptorum liceat reo dicere contra testem, eum mentiri seu calumniari, siquidem si rem *probare* non possit — nequibat autem unus testis probare — in jure habeatur pro mendaci et calumniatore: quoniam autem recentiores leges testi plus concedunt, ab ejusmodi invectivis temperandum est, maxime si testis ipse coactus est.

3. Nunquam licet, ne reo quidem innocenti, neque in gravissima causa supremi supplicii imminentis, falsum accusatorem, falsum testem,

iniquum judicem praeoccupando occidere: v. theses ab Alex. VII. damnatas n. 18. Cf. *Theol. mor.* n. 811 sqq.

354 III. Resistentia et fuga. 1. Si poena certo injusta est contra innocentem prolata, sustineri debet, in quantum requiritur ab obligatione publicum ordinem non perturbandi et scandala evitandi; declinari potest, in quantum sine scandalo et sine publici ordinis perturbatione vel graviore malo excitando possibile est: quae mala quum communiter adsint, *gravis aliorum violatio plerumque est resistenti illicita.*

2. Magis etiam, si sententia materialiter tantum injusta est, secundum allegata autem et probata videtur justa, ea sola positiva resistentia uti *reo licet, quam sine gravi violatione aliorum (ut satellitum) cum spe evadendi facere potest,* v. g. repellere satellites, minas inferre etc.

3. Quando vero reus juste capitur, neque de sententiae injustitia constat, poenam non nimis gravem, etiamsi sine positiva resistentia eam possit declinare, sustinere debet; *nimis gravem poenam fuga declinare ei etiamtum liceat.* Videlicet:

1) Fugere licet e carcere: a) antequam sententia condemnatoria lata sit; b) etiam post sententiam, si carcer non pro poena, sed pro custodia usque ad sententiae exsecutionem constitutus est; c) imo etsi carcer pro poena constitutus est, quando carcer est durissimus, seu necessaria non praebentur (cf. S. Alph. n. 280): cui certo accenseri debet, quando spiritualis cura animae non praebetur.

2) Quando propter mala valde gravia, quae timentur, fugam capere licet, licet etiam carcerem infringere, neque propterea damna reparanda esse, S. Alph. n. 282 cum permultis aliis tenet; similiter arte custodem decipere vel non advertentem ebrium reddere seu consopire, non autem corrumpere aliudve suadere, quo custos ad *formale* peccatum invitetur aut pertrahatur.

3) Damnum, quod custodi oriturum est, *si est praeponderans,* ex caritate caveri debet, idque etiam fuga omissa; alioqui potest negligi: S. Alph. ib. n. 281.

355 4) Custodi quidem carceris aliisve justitiae ministris reum juste damnatum vel detentum juvare non licet, ut elabatur; aliis vero, nisi agatur de reo bono publico aliisve innocentibus periculoso, licet in fuga reum adjuvare, saltem in foro conscientiae. Quod communiter quidem restringunt ad suppeditanda instrumenta et media fugae capiendae, eximunt ipsius effractionis immediatam cooperationem: v. Busenb. et S. Alph. n. 283; Tambur. autem l. 9 c. 2 § 12 ne hanc quidem eximit, eo quod pro altero mihi maxime conjuncto vinculo sanguinis vel amicitiae id videar facere posse, quod possim pro memetipso.

NB. Illas artes in foro ecclesiastico et in ecclesiasticis poenis adhibere, vix licitum posse evadere, ex rei natura elucet.

§ 4.

De teste in judicio.

356 1. Ad testimonium judiciale dandum obligatio non est pro homine privato, nisi ex caritate, aut ex obedientia erga legem vel praeceptum:

S. Alph. n. 270. Quod communiter non obligat cum gravi damno proprio, nisi damnum commune sit avertendum.

2. Qui, quum obligatus sit, fugiendo aut dissimulando testimonium declinat, peccat quidem, sed non contra justitiam commutativam neque ad restitutionem damni exorti tenetur; nisi fuerit in (publico) munere constitutus, vi cujus debebat denuntiare et denuntationem sustinere: S. Alph. ib.

3. *Alioqui testis ad testimonium non tenetur, nisi legitime interro-* 357
getur: quare si interrogatio est illegitima, etiam sub juramento, si necesse est, respondere ei licet, adhibita restrictione non pure mentali, se rem nescire. Causae, ex quibus fit interrogatio non-legitima, sunt:

1) Si judex non est legitimus, vel non legitimus in *hac causa.*

2) Si testis scit, reum factum quidem commisisse, sed sine ea culpa, quam judex supponit vel supponere debet.

3) Si testis per injuriam in rei notitiam venerit.

4) Si notitiam accepit ab homine fide non digno.

5) Si testis notitiam accepit secreto commisso, saltem communiter loquendo (cf. ea, quae postea de secreto dicentur); multo magis, si sub secreto sacramentali.

6) Tandem utrum testis ille, qui *solus* crimen novit, testimonium dare debeat in criminibus non ita periculosis, necne, a diversis circumstantiis et a diversitate legum vigentium pendet: plerumque injustum esset, ex hoc solo testimonio poenam alicui inferre. Cf. *Theol. mor.* n. 821.

4. *Qui falsum testimonium dixit sciens et volens, tenetur etiam cum damno suo, nisi multum excedat, alterius damnum impedire,* idque, si necesse sit, per retractationem testimonii dati. Qui vero inculpabiliter erravit, aut testimonio suo non movit efficaciter ad damnum injustum inferendum, ad tantum damnum subeundum non tenetur.

§ 5.

De advocato.

1. *Advocatus tenetur sufficientem juris notitiam habere, et diligens* 358
studium et laborem in prosequenda causa impendere.

2. *In causa criminali reum etiam certo noxium defendendum suscipere potest,* si modo abstineat a mendaciis mediisve injustis, quum liceat saltem ad misericordiam judicem inflectere. *Causam civilem vero certe injustam suscipere aut prosequi nequit;* potest tamen suscipere causam dubiam, si modo 1) clienti suo veram causae conditionem aperiat, 2) ab omni fraude abstineat, 3) si in progressu ejus injustitiam detegat, cliente monito, ab ea prosequenda desistat.

3. *Erga clientem suum fidelitatem servare debet, et in salario justitiam.* Quare si cliens inceptam causam, exsurgente gravi ratione, deserit, totum pretium, de quo conventum est, exigere nequit; secus, si sine ratione sufficienti causam deserit, neque per advocatum stet, quominus litem prosequatur.

Detectâ autem causae injustitiâ, eâque derelictâ, etsi cliens velit eam prosequi, adversam partem communiter non debet adjuvare. At-

tamen si aliter grave damnum innocentis non potest averti, maxime si cliens novam injustitiam addat neque ab ea post monitum velit desistere, tunc, quantum pro gravitate rei necessarium est, aliquid ex secreto commisso violare, non est illicitum; obligatio tamen multo rarius adest: cf. S. Alph. l. 3 *de secreto* n. 970 et 971.

359 Quare injustitiae cum onere restitutionis reus est:

1) Si taxam injustam exegit.

2) Si inscitiâ vel negligentiâ causa est, cur cliens in causa justa non vincat.

3) Si causam injustam defendit atque victricem fecit (tenetur erga partem laesam).

4) Si probabilitatem causae vel injustitiam clienti suo non fideliter aperit: ita ut ille cum majore damno causam prosequatur, in qua tandem vincitur; aut a causa justa in judicio agenda deterreatur, quam revera cum spe justae victoriae prosequi poterat: (quod si factum est neque amplius integrum est causam denuo prosequi, secundum spem victoriae restituere debet).

NB. Utrum et quando in casu restitutionis advocatus habeat recursum ad alteram partem litigantium, necne, disce ex iis, quae postea tract. IV. dicentur.

Quomodo autem praeterea et ante injustitiam commissam advocatus peccet — idque si res, ut plerumque obtinet, majoris momenti sit, graviter — ex supra dictis 1—3 satis colligitur.

§ 6.

De publicis scribis et notariis.

360 1. Omnes illi viri in officio publico constituti secreti commissi tenaces esse debent.

2. Cavere debent, ne in exigendo salario justam normam sive lege sive consuetudine probatam excedant, neve fraudibus eam augeant (v. g. paginas scripturae nimis multiplicando).

3. Quum notariorum sit, documenta coram lege authentica conficere, bene periti debent esse in legibus, quae hanc rem concernunt: aliter injustitiae rei evadere possunt, exsistentes causa damni alieni: imo quae alias dici possit negligentia levis, in hisce negotiis facile *gravis* evadat.

4. Cavere debent, ne cooperentur in contractibus vel documentis fraudulentis.

5. Monere debent partes, quae ad ipsos confugiunt, de clausulis, quae in contractu appositae vel apponendae sunt, ne contractus legali vi destituantur.

6. Conficere vel adhibere documentum falsum in judicio exhibendum, meo judicio a peccato gravi non potest excusari, siquidem id pronuntiare unquam licitum, vergit in *grave* praejudicium publici ordinis et publicae fidei et securitatis. Ita, etsi non omnes consentiunt, puto tenendum esse etiam in causa justa, idque infero ex S. Alph. lib. 4 n. 277, ubi in tractanda quidem re alia hanc profert S. Doctor uni-

versalem sententiam: „mendacia gravia in judicio dicere est contra bonum commune, quum sit pervertere omnem justitiae ordinem", unde concludit ad peccatum grave.

§ 7.

De apparitore aliisque inferioribus ministris.

1. Apparitor vocatur ab *apparendo* ille, qui ad cives jussa judicis 361
defert, ad tribunal vocat, atque etiam ad solvenda debita sive etiam
mulctas, interposito judicis mandato, captione bonorum divendendi
causa cogit.

2. Fidelis esse debet in omnibus mandatis justo tempore deferendis, ne forte incuria hac in re commissa aut actor in judicio aut reus ex dilatione sive acceleratione causae damnum patiantur.

3. Sicut cavere debet, ne connivendo debitoribus, qui culpabiles moras solvendi trahant, creditori noceat: ita etiam a duriore agendi ratione erga miseros homines angustiis pressos debet abstinere atque plane omnes favores iis concedere, quos lex ipsa illis servat.

4. Injustitiae reus est non solum, si in iis, quae modo enarravi, delinquit, sed etiam, si forte asperitate vel minis munera sibi donanda extorquet, ne durius agat. — Si autem aut illicite et cum onere reparandi damna prodat suum officium, aut — quod licite aliquando agit — onera et labores indebitos in favorem sive rei sive actoris assumat: citra injustitiam mercedem accipere potest. Munera sponte oblata, si minoris momenti sunt, etiam facilius potest admittere, — quamquam in ea re caveri omnino debet, ne munera videantur sponte oblata, re ipsa autem sint indirecte extorta. Applica fere ea, quae supra in simili re de judice dicta sunt.

5. Apparitor utrum a singulis integram mercedem seu taxam recipere possit necne, quando uno itinere ad plures mandata etc. fert, ex lege vel justa consuetudine dijudicandum est. Si enim solum laborem consideres, qui compensandus sit, integram mercedem a singulis recipere, injustum videatur; verum sic rem concipi non est necesse: si attendas ad salarium, quod publici muneris ministro, qui ad quaelibet negotia paratus esse debeat, dari conveniat, nihil injusti reperias.

6. Quae de apparitore dixi, facile transferuntur suo modo ad alios publicos ministros, qui simile officium exercent.

De custode publico pauca subnectam, qui agros, silvas etc. 362
custodire debet.

7. Vigilantiâ suâ custos curare debet, ne ab aliis hominibus damna inferantur, damnificatores etiam ad judicem deferre atque testem contra eos agere debet, secus injustitiam committit contra publicum bonum et possessores privatos.

8. Haec autem cura et damnificatorum delatio vel accusatio facienda est secundum rationabilem voluntatem sive privati domini, qui laeditur, sive ipsius reipublicae, cujus communi bono intendere custos debeat. Quare si custos a solo domino privato constitutus est, ejusque benigniorem voluntatem perspectam habet, paulo indulgentius cum iis, quos deprehenderit, agere licet: imo contra pauperes, qui solum-

modo in duriores leges deliquerint id committendo, quod alioqui naturale jus vel saltem aequitas concedit, plane debet non summo jure agere; idem dic in simili causa levissimi damni inculpabiliter illati, praecipue si damni reparatio offertur; alios autem, maxime quos damnum gravius illaturos praevideat, plane debet compescere.

Neque peccabit contra juramentum suum, aliquando ex justa causa a summo rigore deflectens: juramentum enim promissorium servandae fidelitatis rationabilem patitur interpretationem. De quo homines simplices, si tenerioris conscientiae sint, in confessione instrui, non erit abs re; si vero laxioris sint conscientiae, ex ipso juramento emisso stimulus illis adjici debet.

Caput III.

De obligatione inferiores inter et superiores in subjectione accidentali.

363 Accidentalem voco subjectionem, quae non ex ipsa natura jam exsistit. Potissimum hîc considerandi veniunt status famulatûs, et status discipulorum ad magistros: cui fere similis est relatio pupilli ad tutorem.

I. Circa obligationes herorum notandum est:

1. Tenentur *ex justitia ad ea, de quibus ex contractu convenerunt* cum famulis, idque secundum interpretationem aequam consuetudine confirmatam.

2. Tenentur *ad specialem curam subditorum suorum,* 1) ut nimirum invigilent, ne famuli ea praecepta et officia laedant, quae bonis moribus religioneque illis incumbunt; 2) ut caveant, ne ipsi suis famulis seu subditis sint scandalo.

Quamquam scandali peccatum tum solum speciem mutare videtur, quando dominus spiritualem curam famuli famulaeve — e. g. loco parentum, qui filiam tutelae domini commiserunt, — assumpsit: tamen in omnibus peccatis etiam ex solo *neglecto* officio commissis relationem domini ad famulum in confessione aperiri convenit, saepe necessarium est, quia aliter vix intelligitur, utrum obligatio laesa gravis fuerit, necne. Id maxime de vigilantia et correctione intellige, ad quam quum extranei raro sub gravi teneantur, tenentur frequenter Superiores.

364 II. Circa obligationem famulorum haec nota:

1. Tenentur *ad fidelitatem,* maxime etiam ad secretum servandum in iis, ex quorum revelatione mala oriri possunt; idque ex justitia.

2. Tenentur ad *obsequium et obedientiam* secundum contractum — ex justitia.

3. Tenentur ad *reverentiam:* quare insolentiâ et superbiâ si graviter excedunt, graviter peccant contra *observantiae* virtutem — idque facilius, quam si contra aequales insolenter agerent.

Hinc est, quod in gravi contemptu, contumelia etc. statum *famulatûs* in confessione declarare debent; alioquin aut gravis malitia non exprimitur aut infima malitiae species non recte declaratur.

III. Relatio magistrum inter et discipulum magistro imponit 365
obligationem:

1. *sanae doctrinae* communicandae — ex quasi-justitia:

2. si simul etiam educationis curam in se sumpsit, ex eadem quasi-justitia obligatur ad *promovendos bonos mores et corrigendos defectus* sui discipuli;

3. si hanc specialem curam assumptam contrariis peccatis contra caritatem violat (odio, scandalo etc.), circumstantiam suae conditionis declarare debet in confessione, quia peccatum specie diversum et gravius commisit, quod loco caritatis communis quasi-pietatem laesit.

4. Ex his, quae dicta sunt, tutoris obligatio et peccata contra pupillos facile eruuntur.

IV. Discipuli erga magistrum obligatio, si ejus curae et 366
educationi traditus est, infert:

1. *obedientiam* in rebus, in quibus subjectus est;

2. *reverentiam et amorem*, ita ut facilius graviter peccetur, et peccato specie diverso, *observantiae* laesione, quam si contra extraneos res acta esset, ut detractione, irrisione etc.;

3. si autem post dissolutam relationem intimiorem sola ratio gratitudinis debitae peccatum contra magistrum etc. commissum auget, — quod idem est de quolibet benefactore —, nisi *formalis* ingratitudo (v. supra *de virtutibus*) intervenit, raro omnino hujus relationis circumstantia in confessione declaranda est, quia peccatum specie non distinguitur ab eodem peccato contra alios homines commissum neque ingratitudo novam mortalem speciem superaddit, nisi *valde magnus* fuerit excessus in peccato.

4. Circa obedientiam certo non minus requiritur ad constituendam materiam gravem, quam in inobedientia erga parentes.

Insuper notandum est, qui propriis Superioribus auxiliares sunt, non habere per se veram praecipiendi potestatem: quare longe facilius inobedientia contra eos a peccato *gravi* excusat.

Tractatus II.

De officiis atque peccatis circa bonum hominis individuale, vitam et personam.

Quae officia quinto decalogi praecepto continentur:

„*Non occides.*“ Exod. 20, 13.

Hac prohibitione quaelibet injusta laesio in membris et vita tum 367
propria tum aliena comprehenditur. — Quoniam vero de peccato, quod contra propriam vitam committi possit, jam supra dictum est n. 249 sqq.: hîc ea sola tractanda sunt, quae vitam alienam spectant, maxime quousque indirecta ejus laesio fieri possit vel non possit.

Caput I.

De cruenta defensione.

1. Contra injustum vitae aggressorem uti licet necessaria defensione, atque *vim vi repellere,* etsi fiat cum injusti aggressoris occisione. Quod per se etiam verum est, si aggressor injustus est inculpabilis, ut ebrius vel amens, attamen caritas obstare potest, ne quem ita in aeternam damnationem conjiciam, qui sibi ab ea cavere non possit.

2. Verum quum ad solam defensionem id facere liceat, homicidii vel laesionis reus est, qui, quando se defendit, *ultra necessitatem* in laedendo vel necando adversario procedit: seu quod idem est, qui non servat *moderamen inculpatae tutelae.* Quare si fuga satis secura est, haec capi debet, nisi forte viro nobili probro magno sit: quod si accidat, grave peccatum non fuerit, exspectare adversarii aggressionem, atque contra eam sese defendere. — Item ei, qui vulnerando aggressorem se *satis tuto* defenderit, non licet illum occidere.

3. Cruenta defensio non solum licita est pro *defensione vitae*, sed etiam pro *defendendis membris, pudicitia, bonis fortunae magni valoris:* qualis generatim non est res unius vel alterius aurei.

4. Id quod licet alicui agere *in sui defensionem,* communiter etiam *licet* facere *in defensionem alterius innocentis*, nisi forte ille jure suo licite cesserit; verum ad cruentam alterius defensionem homo privatus *raro obligatur,* nisi forte ille, qui injuste impetitur, ei stricto vinculo pietatis, superioritatis, boni communis devinctus sit vel aliis multum necessarius: nam aliter ad tantum incommodum subeundum non tenetur.

Consule hac in re theses ab Innoc. XI. damnatas 30—33. *Theol. mor.* n. 831 sqq.

Caput II.

De cruenta punitione.

368 Supremam auctoritatem publicam habere potestatem vitae et mortis seu jus gladii, tum ratio probat, tum S. Scriptura confirmat: Rom. 13, 4.

At 1. Judices a suprema auctoritate constituti morte plectere nequeunt, nisi post institutum judicium et criminis evictionem juridicam. S. Alph. n. 376.

2. Supremus autem princeps et absolutus, quamquam legum forma non absolute obstringitur, communiter tamen etiam ipse saltem summariam judicialem inquisitionem, in qua reus se defendere possit, instituere debet, antequam mortis reum condemnet. — In extraordinario autem casu, si necessitas urget, atque crimen *evidens* est, supremus princeps sine ulla judiciali forma subditum morte plectere potest: S. Alph. n. 377.

3. Milites et satellites ad capiendum et deducendum reum missi nunquam proprio marte possunt fugam capessentem occidere: si eis

potestas data est, fugientem, si nolit sistere, occidere possunt, quando ejus crimen morte dignum plane certum est. Verum in aliis casibus regulariter haec potestas dari nequit.

4. Ante sententiae exsecutionem reo tempus sese cum Deo recon- 369
ciliandi — ideoque ad confessionem, et per se etiam ad S. Communionem — dari debet. Quodsi reus admonitus nolit confiteri, utique procedi potest ad exsecutionem, ipse enim sibi damnationem aeternam adscribere debet: alias enim quilibet justitiae cursum impoenitentia impedire posset contra exigentiam boni publici: S. Alph. n. 379.

5. Qui suprema potestate in subditos potitur, potest, quando causa criminis id postulat, reum sic proscribere, ut cuilibet liceat mortis sententiam exsequi: quare si amore justitiae id dein ab aliquo fit, non peccatur; si odio et ex privatis inimicitiis, *affectu* peccatur. — Quod etsi ab hodierna consuetudine abhorret, tamen declarat supremum principis jus, e. g. contra grassatores viarum et latrones, contra periculosum usurpatorem aut seditionis caput etc. — Neque is, qui ita proscriptus est, potest se defendere, nisi forte alter rogatus tempus reconciliationis cum Deo concedere nolit. Cf. S. Alph. n. 380, 1.

6. Quod de poena mortis dictum est, etiam dici debet de poena mutilationis. Quare solae poenae leviores a patre, magistro etc. infligi possunt propter delicta subditorum.

Caput III.

De caede hominis innocentis generatim sumpta et speciatim de abortu.

1. *Directa intentione innocentem occidere, semper gravissimum pecca-* 370
tum est: quare obsides, legatos nunquam occidi licet, ne titulo quidem repressalium; neque licebit vulneratos aliosve letali dolore oppressos, ne diutius patiantur, interimere, aut utcunque data opera eorum mortem accelerare: Gury I. n. 401.

2. *Indirecta occisio homicidii reatum continet, si actio propter ipsum homicidium facile oriturum interdicta exercetur,* saltem si fit sine necessariis cautelis; vel si cura ex officio debita non impenditur.

Quare homicidii reus est, qui, tegulas a tecto dimittens sine praecautione, praetereuntem occidit etc.; medicus, qui gravi negligentia vel inscitia causa est, cur aegrotus, cujus curam suscepit, moriatur.

3. *Actionem vitae periculosam seu indirectam occisionem exercere licebit ex causa valde gravi,* maxime ex causa boni publici: hinc in bello justo licet tormenta bellica contra urbem dirigere, etsi praevidetur, complures innocentes interfectum iri; aliquando licebit innocentem tradere hosti postulanti, quo totius urbis excidium avertatur.

Postquam haec de occisione innocentis generatim breviter dicta 371
sunt, fusius tractanda est quaestio de *abortu,* vel potius tum de foetûs *ejectione* tum de ejus *in utero occisione:* cujus directa procuratio utpote homicidium sive certum sive probabile per se gravissimum crimen est. Aliud de indirecto abortu, qui quousque permitti possit, jam videri debet.

Praenotanda. 1. Abortus presse sumptus est *immaturi foetus* ex materno utero *ejectio:* quae aut data opera patratur, aut ex morbida affectione matris causisve non semper notis sponte oritur.

Distinguitur a *praematura* foetûs *editione.* Nimirum praematuro foetus editur, si naturae tempus praevertitur quidem, sed ita, ut foetus, i. e. infans, extra uterum *vivere possit:* quod fieri potest saltem post 28—32 hebdomadas elapsas; quamquam infans sic editus debilior est et saepe per totam vitam suam manet. Unde patet, praematurum partum, quum foetui non inferat proprie malum positivum, sed tantum in illius minus bonum tendat, posse prorsus aliquando intendi et induci, eumque omnino distinguendum esse a partu immaturo seu abortu.

2. Mater ex uteri gestatione in periculum mortis aliquando induci, aut periculum aliunde exsistens ex ipsa uteri gestatione multum augeri potest, ita ut, ejecto foetu, periculum aut cesset, aut multo minus evadat. Videlicet aliquando ex morbo mater periculose decumbit, — a quo facilius curaretur, si gravida non esset; aliquando ipsa uteri gestatio causa morbi est; aliquando mater per foetum, si evolutus erit, in ejus partu in periculum grave inducitur, utpote quem propter arctitudinem parere non possit.

372 **Principia.** I. *Foetûs, qui vitae extra uterum jam capax est, ejectionem, seu partum praematurum inducere, ex gravi causa licet, imo pro circumstantiis id fieri debet:* si videlicet judicio timorati medici constat, matrem tam arctam esse, ut foetum evolutum suo tempore parere non possit, possit vero saltem post 28 hebdomadas gestationis uteri, vel melius etiam, si possit aliquot hebdomadas ulterius exspectare, donec vita infantis etiam praemature edendi extra periculum posita sit.

II. *Foetûs etiam immaturi ejectionem, seu abortum, ejusve periculum indirecte tantum causare, non est illicitum, si de gravi seu letali morbo matris curando agitur.* Nimirum si morbi conditio remedia quaedam *exigit,* quae directe tendunt in morbidas matris affectiones tollendas, ea adhibere licet, etsi simul secum ferant abortûs periculum, si modo, quantum fieri possit, cautio adhibeatur. Id enim sequitur ex principiis de voluntario indirecto.

III. *Ex consulto abortum inducere, etiam licere videtur in praesenti vitae maternae discrimine, quod per solam foetûs immaturi ejectionem averti possit:* quo in casu vix magis erit *directa* abortûs procuratio sensu theologico, quam in naufragio tabulam amico cedere est directa sui ipsius occisio. (Eodem modo, si ejectio foetûs necessaria esset ad ejus baptismum, haec *indirecta* occisio, seu potius mortis acceleratio, videretur esse: sed id vix unquam occurrerit.) — Idque videtur applicari posse ad matrem, quae tam arcta est, ut tempus praematuri partûs exspectare non possit. Verum medici hac in re religiose procedere debent, ne necessitatem fingant, neve artificialem abortum eligant in eo casu, in quo caesarea sectio notabiliter periculosior pro matre non fuerit, quam ipse abortus.

IV. *Craniotomia vel cephalotripsia, qua foetus in utero vivus conciditur, illicita est:* Non desunt quidem scriptores, qui hanc ipsam defendant. Quare quando conditio et matris et prolis est desperata, facilius in bona fide relinqui potest medicus, qui id licere putet, modo

antea infantem ope instrumenti baptizaverit; interroganti autem dici debet, istam rem non licere: vide etiam resp. S. Officii 31. Maji 1884, quo contraria doctrina reprobatur. Cf. *Theol. mor.* n. 840—850.

Caput IV.

De duello.

1. Duellum dicitur pugna singularis ex condicto armis ad occi- 373
dendum sive graviter vulnerandum aptis.

Nimirum 1) est pugna unius contra alterum, seu singulorum contra singulos; 2) pugna, quae armis periculosis suscipitur, non solâ virgâ vel baculo ad letaliter laedendum inepto; 3) pugna *ex condicto*, quo distinguatur a defensione et a rixa ex improviso (saltem relate ad alterutrum) oriunda. Condictio autem fit de tempore et loco — aliter impossibile est ex condicto convenire — et per se etiam de armis. Attamen si in ipso loco condicto etiam electio armorum detur, duelli essentia non mutatur. Cf. etiam Greg. XIII., qui Const. infra cit. dicit: „omnes qui ex condicto, *statuto tempore et in loco convento*", etc.

Duellum dicitur aut *publicum*, aut *privatum*, prout suscipitur ex publica auctoritate, aut privato nomine. — Alia distinctio duelli solemnis (i. e. cum testibus) et simplicis est omnino accidentalis.

2. Duellum publica auctoritate susceptum propter bonum commune licitum esse potest, videlicet ad bellum finiendum vel ad hostium insolentiam frangendam; illicitum tamen ex causa vana aut improportionata.

3. Duellum privata auctoritate susceptum — praecipue, ut fit, honoris vindicandi causa — juri naturali et canonico graviter repugnat: nam medium natura sua ineptum est ad finem propositum, vel effectus bonus solum *mediante effectu malo* atque mediante prava hominum aestimatione sequitur.

4. Neque excusatio est ex parte duelli, quod ineatur ad primam sanguinis effusionem tantum, vel ad certum ictuum numerum; aut ex parte causae, quod, nisi quis suscipiat, officium cum gravi jactura bonorum dimittere cogatur ipseque pro infami habeatur: ita ex Const. SS. Pont. plane patet, ut Greg. XIII. *Ad tollendum*, Clem. VIII. *Illius vices*, Bened. XIV. *Detestabilem* et ex recenti decr. S. C. C. 9. Aug. 1890 in *Wratisl.* — Si vero omne periculum gravis laesionis certo exsularet, duellum proprie dictum, excommunicationi obnoxium, non adesset.

5. Sola igitur ratio, cur singulare certamen aliquis propria auctoritate suscipere potest, est defensio contra injustum aggressorem, quem aliter evadere nequit: sive ille jam aggredi actu incipit, sive minas inevitabiles infert contra vitam vel alia bona magni momenti, nisi cum ipso confligatur. Cf. *Theol. mor.* n. 850 sqq.

Caput V.

De bello.

1. *Jus bellandi* exsistere per se potest tantum in societate per- 374
fecta et contra eam, quae nimirum Superiorem in suo ordine non habet.

2. Causa bellandi duplex esse potest: a) ut repellatur injusta aggressio alterius hostilis exercitûs — bellum defensivum; b) ut repetatur vel vindicetur jus laesum seu injuria illata nec debita satisfactione reparata — bellum offensivum. — Cui accedit causa opem ferendi alteri populo injuste oppresso.

Belli autem *offensivi* justas causas singillatim recenset Laymann lib. 2 tr. 3 cap. 12 assert. III, quarum praecipuae sunt:

1) ut recuperetur provincia nondum jure concessa ab altero detenta;
2) ad vindicandam gravem contumeliam reipublicae vel principi illatam, si tamen certo constet de crimine commisso;
3) ut ultio sumatur de gente, quae alteri in injusto bello opem tulit;
4) ut repellantur ii, qui injuste prohibent, ne multum nocentes puniantur;
5) ut animadvertatur in populum foedifragum, si violatio foederis in damnum vel contumeliam cessit;
6) ut impetrentur ea, quae jure gentium permissa sunt et per injuriam negantur.

375 3. De *justitia causae* moraliter certo constare debet, ut liceat bellum indicere: aliqui tamen putant sufficere, ut cum magna probabilitate de justitia constet, quando agitur de possessione aliqua recuperanda: quod usui esse potest non tam ad ipsos principes vel belli auctores securiores reddendos, quam ad exonerandam magis conscientiam eorum, qui in bellum proficisci coguntur.

Id potissimum de bello offensivo valet: nam ut bellum *defensivum* liceat, sufficit, ut de commissa injustitia non constet, siquidem tunc altera pars minus juste bellum indicit.

4. Haec justae causae inquisitio ad belli auctores primosque duces et consiliarios spectat; tum etiam ad gregarios milites, qui *sponte* belligerare volunt, quamquam facilius externis rationibus in discernenda justitia juvari possunt. Subditi conscriptione coacti, vel praecedenti conductionis contractu obstricti ex se quidem inquirere de justitia non tenentur, nisi tamen exsistente vehementi injustitiae suspicione sperare possunt, inquirendo se veritatem perspecturos esse: manente dubio possunt bellum gerendo cooperari.

5. Ad justitiam etiam pertinet, ut jura coram adversa parte deducantur, ut, antequam bellum incipiatur, ab adversa parte reparatio petatur: quae si offertur congrua, a bello desistendum est, sin minus, ex communi praxi indicitur, antequam inferatur.

376 6. Quoad *bellandi modum* quaedam lege naturali licita aut illicita sunt, quaedam jure gentium constituta. Per se naturae lex id permittit, quod citra fraudes inevitabiles ad conterendos eos, qui actu hostes sunt, confert et ad puniendos eos, qui formaliter deliquerunt: at jus gentium quaedam moderamina induxit, ne illico nimia strages efficiatur vel devastatio. — Praxis communis est, ut excepto bello navali parcatur bonis privatis. Verum quidem est, in bello justo posse etiam intra certos limites privata bona invadi, praecipue per modum tributi impositi, atque ita a duce militibus facultatem hanc invadendi dari; imo in rebus minoris momenti ad victum pertinentibus eam posse non raro praesumi; sed si dux bonorum invasionem prohibeat, nunc prae-

sumptio est, id fieri, ut bonis illis parcatur, ideoque militem inobedientem non solam inobedientiam committere, sed etiam *injustitiam* contra hostem. — Quamquam contra milites, qui injuste pugnaverunt, per se, nisi fides data sit, post victoriam severe procedi potest: tamen quia hodie plerosque non formaliter injuste egisse praesumi debet, eos vita punire generatim injustum fuerit.

Milites, ex quorum parte bellum injustum est, etsi coacti sunt, aërem verberare debent, hostem occidere vel actiones periculosas exercere nequeunt; imo ne contra aggressorem quidem sese cruente defendere possunt, nisi forte, quando constat, se coactos esse et nunc se tradere volunt, haec venia eis injuste negetur. — Ceteroqui de damno personaliter illato vel ad quod alios excitaverunt in bello injusto singuli milites tenentur; circa reliqua damna *communi actione* illata saltem tenentur pro rata; in solidum ii, qui efficaciter in totum damnum influxerunt, ut sane duces fecerunt.

Tractatus III.

De officiis circa bonum conjugale ac de luxuriae peccatis.

Praec. VI. decalogi: *„Non moechaberis."* Exod. 20, 14.

Ante hanc materiam satis lubricam sit monitum S. Alph. 377
l. 3 n. 413.

„Det mihi veniam, quaeso, castus lector, si plures quaestiones et circumstantias hîc discussas et declaratas inveniet. Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed quum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, et propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur, imo non dubito asserere, ob hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo omnes damnari, quicunque damnantur: hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare — licet quo castissime fieri potuit — me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum . . non legant, nisi quum fuerint ad excipiendas confessiones jam proximi; legantque ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatae se commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur."

Ex iis, qui peccata luxuriae succincte et clare explicant, consuli merentur praeter S. Alph. l. 3 (al. 4) n. 412—485; Sporer *de matrimonio* cap. 3; Tambur. *in decal.* lib. 7 et 10; Del Vecchio v. I. n. 442—479.

Voluptatem veneream capere et eis, quae ad propagationem humani generis spectant, inhaerere, in solo matrimonio licitum esse, ipsa natura satis declarat: nam alioqui cum ruina humani generis libi-

dinis habenae laxarentur, provida autem propaginis humanae cura non haberetur. Quare recte hujus materiae tractationi titulum ‚de bono conjugali' inscripsimus.

Positiva officia his continentur, ut debitum conjugale conjuges inter se praestent: quod postea de matrimonio agentes tractabimus.

Negativa officia in matrimonio sunt, ne contra conjugis jus neve contra sacramenti sanctitatem fides frangatur; extra matrimonium, ut a venerea voluptate prorsus abstineatur.

De negativis obligationibus, earumque gravitate hîc tantum acturi sumus, de materia castis oculis taedio plena, sed confessariis maxime necessaria, ne aut indulgentiores peccatis conniveant, aut rigidiores peccata adaugeant.

Caput I.

Generalis luxuriae conceptus ejusque malitia.

378 Luxuria est inordinatus venereorum appetitus. Cujus completus actus est in seminis effusione atque voluptate inde percepta, incompleta in commotione spirituum generationi servientium, atque circa genitalia percipitur.

In feminis veri seminis quidem secretio non fit, attamen etiam apud eas completa venerea voluptas cum secretione humoris in organis generationi servientibus percipitur, incompleta similiter in turpi commotione.

A seminis secretione ‚distillatio' distinguitur, quae levioris et plane diversi humoris emissio est, neque tam copiosa, sed fere stillatim facta. At duplici modo talis distillatio potest contingere, 1) cum genitalium commotione et delectatione, 2) sine delectatione. Si priore modo fit, cum seminis quadam effusione vel saltem ejus periculo conjungitur, atque de ea quoad moralitatem specifice idem dici debet, ac de seminis effusione seu pollutione: si vero sine delectatione accidit, etsi cum quadam naturali commotione, de ea nihil curandum est, et negligi debet sicut cujuslibet excrementi abscessus, neque *talis* distillationis causas cavere tenemur. Ita Tamb. *in decal.* l. 7 c. 3 § 5 n. 53; Anton. a Spiritu Sancto tr. 9 n. 91; S. Alph. l. 3 n. 477 cum aliis multis. — Nam de studiosa illius distillationis procuratione sane nemo cogitabit. Id quod notari debet, quando quaeritur de malitia luxuriae in causa tantum volitae.

A venerea delectatione distinguitur mere sensitiva. Sensitivam delectationem eam, quae ex alia prorsus re, quam ex qua venerea, percipitur, non esse similis culpae, *si* culpa est, nimis est evidens, ut sensitiva delectatio percepta ex auditu harmoniae, ex aspectu florum, ex tactu serici etc. — At quando loquuntur scriptores de sensitivae delectationis malitia in comparatione ad veneream, intelligunt eam sensitivam delectationem (sentitur ex commotione sanguinis circa pectus), quae percipitur ex re (potissimum tactu, sed etiam visu) quae, etsi in se non obscoena, tamen idonea est ad excitandam veneream commotionem.

Eam igitur delectationem admittere, vel non statim supprimere, ex se peccatum grave non est, eam autem studiose quaerere, saepissime immune non erit a peccato gravi, quoniam periculum incidendi et consentiendi in veneream delectationem secum fert. Imo si quis ex tactu graviter obscoeno praetenderet solam utique sensibilem delectationem se percipere: id admitti prorsus non potest, siquidem illa delectatio aut erit in se venerea, aut cum ea inseparabiliter erit conjuncta. V. Reuter, *Neoconf.* n. 67; Sporer l. c. n. 688.

Quibus praenotatis sint haec **principia:** 379

1. *Luxuria directe volita, i. e. sive quaesita sive deliberate admissa, parvitatem materiae non admittit.* Quare quamcunque actionem, sive graviter influentem, sive ex se leviter vel nullatenus turpem, ex intentione habendae libidinis ponere, grave peccatum est; sine illa intentione eam ponere peccatum erit grave vel leve vel nullum pro diversis adjunctis.

2. *Causam leviter influentem ex vanitate, curiositate, petulantia ponere, peccatum veniale est, modo motus pravus, si exoritur, supprimatur: at eam causam, potissimum si plane levis non est, commotione jam orta, ex proposito sine ulla ratione continuare; aut ex ea sensualem delectationem quaerere, valde periculosum est, ac facile evadit grave peccatum:* non statim autem desistere, peccati gravis incusari nondum potest. Gobat tr. 7 n. 330; Less. l. 4 c. 3 n. 102. — S. Alph. l. 3 n. 422.

3. *Causam non ita leviter, sed neque pro omnibus graviter influentem ab iis, qui fere semper pravum effectum patiuntur, exerceri sine causa excusante, a peccato gravi, etiam ratione solius effectûs, immune dici nequit, idque eo minus, quo effectus pejor est.*

4. *Causam ex natura graviter turpem ideoque graviter influentem in effectum pravum sine gravi ratione ponere, mortale peccatum est, non solum quatenus causa posita in se graviter peccaminosa est, sed ipse effectus pravus agenti imputatur, nisi quis — id quod sane rara exceptio est —, in ejusmodi actione se graviter non commoveri sciat.* Cf. Salmantic. tr. 26 cap. 7 n. 41.

Explicationis gratia dicendum est, quaenam censeantur causae graviter influentes, quae leviter, quaenam causae mediae.

1. Causae graviter influentes sunt: cogitatio practica vi- 380
vacior de venereis; tactus in partes obscoenas alterius personae exercitus, nisi forte prorsus transeunter fiat in persona ejusdem sexûs sine pravo affectu; aspectus personae plane nudae alterius sexûs voluntarie continuatus; imo etiam aspectus viri in pectus nudum feminae, aut aspectus picturae obscoenae, saltem si continuatur, commotione jam exorta; quibus addit S. Alph. cum aliis relate ad ipsam pollutionem: diuturnius colloquium tenerum cum persona *inordinate* amata [1], item

[1] Intelligo personam, in quam passio fertur vel sensualis sympathia. Si quis igitur sine causa excusante, sed ex mera sensualitate, illius personae colloquium quaerit atque protrahit vel etiam ejus solam praesentiam: pro gradu sensualis inclinationis, qua in eam fertur, facile fiet, ut *non leviter* commoveatur ad venerem, atque praesenti periculo consensûs sese exponat. Quando igitur *talis*

diuturniorem et fixum ejus aspectum. Cf. Reuter, *Neoconf.* n. 70; S. Alph. n. 417 sq. et n. 482.

381 2. Causae leviter influentes: tactus vel aspectus in partes inhonestas proprii corporis obiter factus; tactus feminae non inhonestus obiter factus et levis; apprehensio manûs illius; osculum leve ex causa honesta; colloquium vanum cum femina; aspectus pectoris illius non fixus, a fortiori alii leviores aspectus. Leviter influentes dici etiam magis debent causae, quae vocantur ‚per accidens', ut: intemperantia in cibo et potu; equitatio; situs commodus.

3. Causae mediae: Lectio non ita leviter turpis curiosa; spectacula turpia ex vanitate aspicere; aspectus coitûs animalium grandiorum sine causa; aspectus personae nudae ejusdem sexûs deliberate continuatus; tactus turpis animalium diutius productus; tactus in proprium corpus factus vel repetitus. S. Alph. ib. n. 484. — Ceterum haec doctrina in sequentibus completur, quum dicatur, quid circa tactum, aspectum etc. *per se* grave peccatum sit: id scilicet intellige esse causam graviter influentem.

Caput II.

Discussio singularum actionum, quae ad luxuriam imperfectam pertinent.

382 *Praenotanda.* In omnibus illis actionibus quae accusantur, confessarius attendere debet 1) ad intentionem agentis; 2) ad naturam actionis in se; sed etiam 3) ad periculum consentiendi in turpem delectationem exorituram: quod quum non raro adsit satis grave in hominibus non timoratis, confessarius *saepe* subjectivam poenitentis conditionem respicere debet, ut recte judicet de singularum actionum peccaminositate. — His praenotatis breviter dabo ea, quae claro et distincto ordine Sporer, *Theologia sacram.* p. IV. cap. 3 sect. 6, et S. Alph. l. c. exponunt.

De impudicitia cordis.

Hoc nomine vocatur voluntaria occupatio mentis circa res obscoenas sine legitima causa: fit autem cogitatione, delectatione, desiderio.

1. Speculativa et abstracta cogitatio et imaginatio rerum obscoenarum voluntarie assumpta et continuata ex mera curiositate vel levitate, si res sunt graviter obscoenae, quamquam ex se grave peccatum nondum est, practice tamen ob praesens periculum incidendi in delectationem turpem ejusque consensum plerumque grave evadit.

Verum attentio ad hoc periculum requiritur. Imo si cui per exceptio-

---

est conditio, sive ejusmodi colloquium vel praesentiam causam ex se graviter influentem vocas, sive inter causas medias collocas; certe habes causam non levem, ex qua per experientiam scitur pravum effectum oriri consuevisse: quam sine ratione excusante exercere, ex supra dictis grave peccatum evadere potest.

nem periculum non oriretur, ille, qui id sciret, sola cogitatione hac speculativa non peccaret graviter; esset autem peccatum grave, si approbaret peccatum turpe solum speculative cogitatum.

2. Delectatio morosa, i. e. voluntarie capta, est complacentia in motum venereum ex cogitatione et imaginatione ortum sine animo peccatum opere complendi. Quae mortaliter peccaminosa est: utrum et quando et quibus limitibus species peccati diversa sit pro diversis rebus cogitatis, v. supra, ubi de peccatis in genere dictum est n. 113a sqq.

3. Desiderium denique fertur in ipsum opus turpe; de quo etiam ibid. supra dixi.

De impudicitia oris.

1. Turpia loqui, canere, legere, peccatum mortale est, si haec fiunt 383
1) delectationis venereae excitandae causa; 2) propter delectationem in ipsas res narratas, lectas etc.; 3) cum periculo animadverso incidendi in consensum delectationis venereae oriturae.

2. Haec facere ex sola levitate, curiositate aliave delectatione circa artificium, dexteritatem, secluso periculo consensûs, venialia sunt: nisi tamen gravia sint ratione *scandali.*

3. Practice igitur raro excusari possunt a *mortali* peccato, qui de rebus graviter obscoenis sine ulla necessitate sermonem protrahunt easve legunt. 1) quia idem valet, quod supra dictum est de cogitatione; 2) quia, si alii haec audiunt, praesumi debet, ex eo quod sermo protrahatur de rebus sexualibus, aut etiam ex eo aliquando, quod unum alterumve verbum turpissimum proferatur coram hominibus solutis, ipsis audientibus grave periculum creari. — Paulo liberius quidem citra peccatum grave sermo institui potest inter conjugatos; verum si obscoeniora sunt, illis gravioris etiam peccati, utpote adulterii malitia affecti, scandalum datur.

4. Aliud est, si ex vanitate quaedam non graviter turpia jocandi causa dicuntur: haec enim pro gravi peccato non habentur.

5. Audire ejusmodi turpia facilius quidem a peccato *gravi* ex- 384
cusari potest; atque etiam subridere ex se nondum grave peccatum est, v. Stoz, *trib. poenit.* l. 1 p. 3 n. 542; est autem 1) si placet res turpis narrata *in se;* 2) si audiens excitando, animando causa est, cur sermones graviter peccaminosi fiant seu protrahantur; 3) aut si propter auctoritatem suam, ex qua impedire eos potest, vel etiam debet, silendo causa est, cur continuentur; 4) si propter suam conditionem personalem audiens scandalo est, v. g. si sacerdos audiens particeps esset istiusmodi sermonum, aut si quivis, sermone obscoeno ad se directo, non-obloquendo pravam intentionem loquentis promoveret vel approbare videretur.

Sic igitur intellige, quae Sporer et Tamb. dicunt: „Si aliis loquentibus tibi illud turpiloquium vel impura cantilena displiceat, seu non placeat, nec tamen loco discedas, nec eos reprehendas ob ruborem, imo etiamsi — secluso scandalo et animo de illo peccato

delectandi — rideas vel quid simile facias: te non accuso peccati mortalis, quia ipsa erubescentia non contemnenda ratio est pro tua excusatione."

Impudicitia aspectûs.

Aspectus turpis mortaliter illicitus esse potest triplici ex causa, ex objecto nisi necessitas excuset, ex intentione, ex periculo.

1. Ex objecto ipso graviter peccaminosum est, illas res aspicere sine necessitate, quarum aspectus graviter ad libidinem provocat atque turpem commotionem ex se causat. Ita: aspicere deliberate coitum humanum; aspicere pudenda diversi ab aspiciente sexûs; aspicere serio et deliberate personam alterius sexûs plane nudam; fixis oculis intendere in pectus feminae nudum; morosus aspectus picturae valde obscoenae, S. Alph. n. 424; morosus aspectus propriorum genitalium sine necessitate continuatus, S. Alph. n. 419.

385 2. Ex periculo praeviso, vel periculo quod nunc animadvertitur, aspectus igitur paulo minus graves (inter quos aliquando posteriores illi aspectus ex modo jam allatis computantur) mortalia esse possunt secundum ea, quae dixi n. 379 sq., praecipue quando aspiciens jam sentit pravam commotionem atque consentiendi tentationem, ab aspectu tamen ulteriore, licet causa excusans desit, non abstinet.

386 3. Ad haec revocari aliquo modo possunt, quae dicuntur de lectione rerum inhonestarum, atque aspectu comoediae inhonestae. Colligo circa ea ex S. Alphonso sequentia:

1) Legere libros turpes ex curiositate, sine turpi delectatione vel ejus (consensûs) proximo periculo, *ex se* veniale tantum peccatum est; attamen quia saepe ejusmodi periculum adest, in praxi saepissime habes peccatum mortale: S. Alph. n. 426. Quod periculum etiam censeri debet adesse in eo, qui ex lectione non leviter turpi consuevit pati pollutionem, vel qui incidere consuevit in vehementes tentationes: cf. S. Alph. n. 484.

2) Spectare comoedias quando et qua ex causa mortale peccatum evadat, dixi supra n. 288. Item, quid sentiendum sit de iis, qui ea exhibent vel promovent.

Impudicitia tactûs.

387 1. Non est mortale peccatum (seclusa prava intentione) tangere alterum ejusdem sexûs in partibus inhonestis obiter tantum, i. e. „non ex proposito neque per aliquod temporis spatium", sed „ex petulantia vel curiositate tantum": S. Alph. n. 420. Minus etiam, id facere in proprio corpore; si modo non fiat diutius aut repetitis vicibus.

Neque mortalis peccati reae haberi debent ancillae sic obiter tangentes pueros, quum propter infantilem aetatem minus sit periculum. — Summopere autem cavendum est, ne forte ex industria vel diutius id committant, neve unquam in infantibus, qui jam incipiunt animadvertere, quid fiat: quare mortale peccatum facile erit, infantes in verendis titillare.

Tactus animalium ordinarie non est nisi veniale, nisi forte tactus producatur usque ad animalis pollutionem; quod si voluntarie fit, generatim propter nimium periculum proprium pro mortali peccato habendum est: S. Alph. ib.

Multo minus peccatum mortale est ex se, leviter tangere in partibus non inhonestis personam etiam alterius sexûs, manum mulieris apprehendere, digitum intorquere etc., obiter osculari; neque teneros infantes osculari, etsi quaedam sensitiva delectatio non venerea oritur neque reprimitur.

2. Verum si ejusmodi actiones aut diutius cum mora exercentur, aut furtive et clam, habes aut periculum grave turpis commotionis et consensûs, aut indicium pravae intentionis: adeoque grave peccatum. Unde generatim recenseri solent ut gravia peccata: Oscula inter diversi sexûs personas *insolito modo*, cum longiore mora vel ex ardore facta; idem dic de amplexibus.

Imo premere manum feminae, digitos intorquere, potest *cum* pravo affectu sive *ex* eo fieri et mortale evadere. — Quod cum quadam proportione transfer ad tactus cum eodem sexu, aut ad tactus in proprium corpus.

3. *Ex se* igitur *mortalia* peccata sunt, seclusa justa causa, partes turpes tangere personae alterius sexus etiam obiter, aut super vestes, si id deliberate fiat; — etiam id ex industria, aut per notabile aliquod tempus committere in persona ejusdem sexûs; — imo idem dic, si mulier in mulieris pectoris tactu inhaeret, aut si vir mulieris pectus nudum tangit, vel etiam non nudum cum mora; — etiam proprii corporis inhonestas partes sine causa repetitis vicibus tangere aut tactum continuare, non obstante commotionis jam factae initio.

4. Qui se tangi permittit, non repellendo etc., *graviter peccat* com- 388
muniter loquendo, non solum, si ipse pravum animum gerit, seu consensum dat, sed etiam ratione solius cooperationis: 1) si tactus est ex se turpis, i. e. sive ex objecto, sive ex modo tangendi; 2) si tactus quidem ex se ut certo turpis non apparet, at de pravo animo tangentis constat, saltem si tangere tentat non coram aliis.

Non peccat, aut non graviter: 1) si tactus ex solo animo tangentis turpis est, atque coram aliis committitur — justa enim causa permittendi est tum propria verecundia, tum timor alterum diffamandi; 2) si tactus ex se turpis non est, neque constat de tangentis mente prava.

Caput III.

De luxuria perfecta seu consummata.

Peccata consummatae luxuriae alia dicuntur juxta naturam, alia contra naturam. Nimirum naturalia seu juxta naturam dicuntur illae actiones, quae servant in usu venereorum ratione ipsius actûs id, quod a natura praestitutum est, i. e. prolis procreandae finem seu possibilitatem, peccant autem in eo, quod extra legitimum matrimonium exercentur. Contra naturam ea peccata dicuntur, in quibus ratione

ipsius actûs prolis generatio excluditur, atque ita semen humanum contra finem profunditur. Naturale peccatum luxuriae proprie loquendo unum est, innaturalia peccata complura.

§ 1.

De peccato luxuriae consummatae naturali.

389 1. Fornicatio est carnalis copula hominis soluti cum soluta ex mutuo consensu.

2. Fornicatio, etsi peccatum mortale sit secundum I Cor. 6, 9; Ephes. 5, 5: „Nolite errare . . . neque fornicarii regnum Dei possidebunt", idque secundum superius dicta (cap. I.) ex natura rei pateat: tamen quoad specificam luxuriae malitiam reliquis peccatis consummatis levius est. Dico quoad *luxuriae* malitiam, quia quod in peccato solitario abest, hîc accedit, nempe mutui ratio *scandali;* dein dico, quoad *specificam* luxuriae malitiam, quia subjectiva malitia in concreto saepissime major videtur, quam pollutionis malitia, eo quod et pudor multo magis exuitur et actus multo plus voluntarii habet, quare in canonibus poenitentialibus etiam constanter pro fornicatione major poenitentia injungi consuevit, quam pro pollutione.

3. Ad fornicationem per se reducitur: 1) *concubinatus,* quo quis continuo cum muliere matrimonio sibi non juncta, ac si conjux sit, vivere pergit: est igitur continuus status committendi fornicationem atque perpetua occasio; quare non propter specificam peccatorum accusationem, sed propter peccandi occasionem communiter in confessione haec circumstantia a confessario sciri debet;

2) meretricium, quo femina se cuilibet prostituit: de quo similiter sentiendum est. — Nihilominus in meretricio et concubinatu etiam alia peccata, ut adulterii, sacrilegii etc. accidere possunt (v. infra), atque in meretricio non ea solum, sed et alia innaturalia frequenter committuntur re ipsa.

§ 2.

De peccato luxuriae innaturali solitario seu de pollutione.

390 Contra naturam peccatur aut sine concubitu, aut concubitu. Diversae species sunt 1) pollutio seu mollities, 2) onanismus, 3) sodomia imperfecta, 4) sodomia perfecta, 5) bestialitas.

Theologis vox, ‚pollutio' indeterminata est; designat sc. seminis (quasi-seminis[1]) emissionem sive inculpabilem sive culpabilem, eamque quocunque tandem modo moraliter non diverso causatam. Quare si de *peccato* pollutionis loquimur, culpabilem intelligi evidens est. Caven-

[1] Quod addo propter pollutionem apud mulieres, et apud pueros vel eunuchos. Malitia fere eadem est, et etiam apud mulieres distingui debet a simplici venerea delectatione; in pueris et eunuchis vero ab hac vix distinguitur, nisi forte affectu et desiderio. — *Onanismus* ad pollutionem addit fornicationem attentatam: plura v. *de matrimonio*, n. 1117 et 1118.

dum igitur est a confusione, quando in libris medicis non eodem sensu vocem videas adhiberi.

1. Pollutione, seu seminis effusione, directe voluntaria qualibet contrahitur peccatum mortale, sive est directe procurata, sive naturaliter quidem exorta, sed lubens ejus voluptas acceptata: modus, quo procurata sit, nisi *in se* diversam malitiam habet, necesse non est ut indicetur. — Pollutionem naturaliter orituram supprimere, si possibile est, etiam secluso consensûs periculo consilium esse potest, severum praeceptum non est.

2. Pollutio indirecte seu in causa solum voluntaria, in quam 391
neque intentio, neque postea delectationis consensus fertur, culpa est secundum eum modum, quo culpabilis est causa in genere luxuriae: nisi forte propter consensûs grave periculum culpa augeatur. Ita contra complures severiores S. Alph. n. 484 cum plerisque theologis.

3. Quare pollutio, licet indirecte tantum voluntaria, 1) *ipsa in gravem culpam* imputatur, si sequitur ex actione graviter influente sine gravi causa exercita: atque etiam aliquo modo subjective sumi debet ille *gravis* influxus;

2) etsi pollutio ipsa, re secuta, peccatum grave non sit, tamen *grave peccatum secum fert,* si sequitur ex leviore actione temere suscepta *cum magno periculo consensûs,* etiamsi consensus postea datus non sit;

3) *leve peccatum* est, si sequitur ex actione non graviter influente sine sufficienti causa, sed etiam sine gravi consensûs periculo positâ;

4) *nullum peccatum* est, si, remoto consensûs periculo (sive eo quod periculum nullum subesse prudenter putetur, sive eo quod opportuna remedia contra periculum adhibeantur), exercendae actionis, ex qua pollutio secutura esse praevidetur vel timetur, ratio adest, nimirum causa *gravis,* quando actio graviter influit aut grave periculum consensûs alias inducit, ut necessitas vel notabilis utilitas propria aut aliena; alias saltem *rationabilis* causa, etsi eo minus gravis, quo actio pollutionis causandae minus est efficax atque insuper periculum consensûs levius. — Quare per se licebit ea facere, quae pertinent ad mundandum corpus, ad abigendum gravem pruritum, nisi forte pruritus tendat ad veneream delectationem.

4. Nocturna pollutio peccatum esse potest 1) propter consensum, 392
qui postea datur, i. e. si voluntas in ea sibi postea complacet propter voluptatem, sive quae actu, dum homo vigil evaserit, percipitur, sive quae percepta est (quamquam si in praeterita pollutione voluntas sic sibi complacet, non proprie ipsa pollutio in peccatum imputatur): aliud est, solum gaudere de naturae exoneratione et de tentatione cessante; 2) propter causam efficacem ante somnum positam; 3) propter intentionem in ponenda causa ex se non graviter influente, ex qua aliquis intendat effectum. Aliter nocturna pollutio, i. e. quae accidit in somno, peccatum esse nequit. Quare qui causam efficacem culpabilem ponit, eo ipso reus fit effectûs postea secuturi.

NB. Tandem confessarius advertat, eos qui pollutionibus indulgeant, saepe cum isto peccato indulgere etiam aliis pravis desideriis, de quibus in confessione accusatio fieri debet.

§ 3.

De Sodomia.

393 Sodomia alterum peccatum est contra naturam, tum ex se ratione luxuriae pollutione pejus, tum ratione scandali gravius. Est autem usus venereorum completus in vase indebito. Distinguitur vero sodomiae species perfecta et imperfecta: perfecta, si fit copula inter personas ejusdem sexûs, imperfecta, si sexuum distinctio quidem observatur, sed organo ad id non destinato coitus perficitur.

1. Sodomia specie perfecta et specie imperfecta secundum specificam malitiam distinguitur: S. Alph. n. 466.

2. Sed probabile est, peccati specificam malitiam desumi ex affectu aut ad sexum innaturalem, aut ad vas innaturale: ita ut si duo homines ejusdem sexûs peccaverint, sufficiat sciri, utrum per modum concubitûs peccatum cum seminis effusione seu pollutione factum sit, an sola manuum attrectatione: in ultimo casu non censetur sodomia esse, nisi in affectu, si revera affectus ille turpis adsit. Major autem explicatio *modi* luxuriosi actûs non requiritur, nisi forte propter peccati reservationem necessarium sit scire, fueritne vere corporum commixtio per copulam necne. — De cetero in sodomia imperfecta, sc. si vir cum muliere peccat extra vas naturale, S. Alph. l. c. cum communi sententia docet, tum demum esse sodomiam (utique imperfectam), si in ano coierit, aliter per se fornicationem in affectu et in effectu pollutionem.

3. Actus igitur perfectus sodomiae potest adesse in specie tum perfecta, tum imperfecta. Si autem sodomia reservatum peccatum est, reservatio, nisi aliud expressum sit, intelligitur de actu perfecto seu copulâ sodomiae perfectae: quae facilius quidem inter mares, at etiam inter feminas accidit.

4. Secundum S. Alph. probabile est, specie non distingui peccatum agentis et patientis; si modo constet de pollutione, quae facilius aderit in agente: S. Alph. n. 468.

§ 4.

De bestialitate.

394 Peccatum luxuriae omnium gravissimum est bestialitas, qui est congressus venereus non servata speciei identitate. De quo pauca haec fere c. S. Alph. n. 474.

1. Bestialitatis peccatum non est, si quis tactu animalis in se ipso pollutionem excitat, sistens in ea: imo hoc peccatum non habet malitiam a pollutione distinctam.

2. Si vero feratur affectus turpis in bestiam, bestialitas habetur, saltem affectu, atque etiam effectu, si per modum concubitûs, quocunque tandem modo, peccatum perpetratum sit cum seminis vel quasi-seminis effusione; sin minus, saltem attentatum peccatum habes.

3. Nihil refert quoad moralem malitiam, cujusnam speciei animal fuerit, quia malitia specifica ex diversitate a specie humana desumitur;

neque cujus fuerit sexûs, saltem si verum est, ex congressu hominis et bestiae generationem sequi non posse.

NB. Ad bestialitatem scriptores revocant congressum cum diabolo 395
sub forma sive hominis sive cujuslibet animalis sese exhibentis: quia revera species humana non servatur. Cui peccato non solum semper peccatum contra religionem (superstitionis) conjungitur, sed etiam conjungi *potest* affectus aliorum luxuriae peccatorum pro diversis formis, sub quibus diabolus sese exhibeat, si hae ipsae affectum peccantis determinent. S. Alph. n. 475. Contrahi autem hujusmodi enormis peccati malitiam non solum, si quando diabolica revera adfuerit apparitio, sed etiam si quis, hallucinationibus subjectus eam adesse putans, in illa cum luxuriae peccato sibi complaceat, vix est, quod moneam. — Haec, quamquam raro fiunt, tamen accidere aliquando, non est impossibile.

Caput IV.

De peccatis luxuriae, quae cum circumstantia malitiam addente conjuncta sunt.

Prout ille, qui peccat aut quocum peccatur, vi alterius virtutis 396
aut ab omni luxuria, aut a luxuria cum certa persona abstinere debet, peccato luxuriae nova malitia extra luxuriae malitiam potest conjungi, i. e. contra justitiam, contra religionem, contra pietatem.

Hae autem malitiae luxuriae extrinsecus accedentes non in solo peccato luxuriae naturali et consummato inveniuntur, sed etiam in aliis peccatis imperfectis, aut — quod pejus est — innaturalibus. Quod quamquam in singulis peccatis mox enumerandis fere notaturus sum, tamen universim notasse juvat.

Enumerantur peccata sequentia: Stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, quae singula explicanda sunt.

I. Stuprum est violenta mulieris oppressio seu copula vi extorta: sic secundum aliquos; quare secundum hunc conceptum stuprum est, si ad luxuriae malitiam, quae in fornicatione est, gravissima illa injustitia accedit.

Alii, idque *sensu theologico*, stuprum sumunt pro *injusta virginis defloratione*, seu pro copula cum puella, quae adhuc virgo est, cum injustitia in eam conjuncta. Pro diversa autem injustitia distinguitur stuprum *violentum*, et *voluntarium:* violentum, quando virgo physica vi subigitur; voluntarium, si fraude, minis, importunis precibus cum metu, ad consensum cogitur. (Imo nonnulli id extendunt ad virginis consensum quomodolibet obtentum, quoniam sive puellae, sive ejus parentibus irreparabile damnum inferatur: at quum haec non sit communis sententia, negligi potest, neque puellae libere consentientis defloratio pro peccato a fornicatione distinctum habeatur opus est.)

Quare si casus reservatus est ‚stuprum', id sume prorsus pro injusta virginis defloratione; si est ‚stuprum violentum' pro sola virginis violenta oppressione. Habet igitur stuprum utique semper malitiam injustitiae fornicationi superadditam.

Illa *injuriae* species, quae summo gradu et diversa malitia est in copula extorta, invenitur etiam imperfecto modo in mulieris invitae turpi attrectatione seu tactu: proin in confessione declaranda est.

NB. Addunt aliqui pro distincta specie ‚raptum': verum quum hic non tantopere ex parte luxuriae, quam injuriae sit distinctum peccatum, id hoc loco omitti potest. Sufficit de raptu, quod in impedimentis matrimonii notabitur.

397 II. 1. Adulterium est accessus ad torum alienum: quare praeter luxuriae reatum malitiam habet laesi juris alieni gravissimi, ejusque sacro charactere sacramentali affecti.

2. Quamquam adulterium sensu perfecto sumitur pro copula, tamen etiam in quibuscunque peccatis, etiam imperfectis, quibus persona conjugio ligata turpiter attrectatur, adulterii ratio inest, i. e. violati juris alieni et violati sacramenti. Imo si alteruter conjugum pollutionem committit, haec adulterii imperfecti ratio jam contrahitur, quoniam, ut monet Apostolus, „mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier". I Cor. 7, 4.

3. Ab adulterii reatu non eximitur peccatum ex eo, quod fortasse vir impius consentiat in suae uxoris prostitutionem, siquidem injuria quidem marito illata aufertur, at nihilominus jus alienum *inalienabile* et sacramenti sanctitas laeditur: verum si consentiente marito seu altero conjuge adulterium committitur, haec circumstantia ut partialem aliquam malitiae speciem auferens videtur declaranda esse a confitente, sicut in homicidio, si quod in consentientem commissum sit.

4. Si conjugatus cum conjugata peccat, adulterium *duplex* committitur: nam duplex jus alienum violatur; quare haec circumstantia in confessione necessario declaranda est.

398 III. 1. Incestus est luxuria cum personis cognatis exercita, ita ut praeter luxuriae malitiam simul etiam contra reverentiam seu *pietatem* peccetur.

2. Ratio incestûs tum erga consanguineos, tum erga affines extenditur ad eos gradus, qui impedimentum matrimonii dirimens constituunt: imo vocatur etiam incestus peccatum cum legaliter et spiritualiter cognatis.

3. Probabile est, incestum inter consanguineos et affines specie non differre: at inter spiritualiter cognatos specie differre omnino videtur.

4. Incestus inter diverso gradu cognatos probabiliter specie non differt, nisi adsit *primus* cognationis gradus, isque lineae rectae, i. e. si fit incestus inter parentes et filios (S. Alph. l. 3 n. 448): imo puto omnino, diversum esse peccatum, prout pater filiam, aut filius matrem, aut novercam vivente patre seducat. — Ratio scandali specialis semper addi debet, si seductor curam quasi paternam in personam seductam habeat.

5. Incestûs malitia non solum peccatis luxuriae, quae juxta naturam fiunt et complentur, contrahitur, sed etiam iis actionibus, quae aut imperfectae sunt, aut fortasse contra naturam committuntur: quod idem de adulterio dictum est, eo tantum discrimine, quod incestûs malitia nunquam in peccato solitario inest, malitia adulterii inesse potest.

IV. Sacrilegium seu potius luxuria sacrilega committitur 399
aut *personale,* si a sacra persona sive cum sacra persona fit: aut *locale,* si in loco sacro peccatur secundum ea, quae dicta sunt supra de virtute ‚religionis' n. 167.

Ibi etiam vide, quo sensu solum privatum votum castitatis *sacrilegum* constituat luxuriae peccatum.

NB. 1. Quod jam de adulterio et incestu aliquo modo dictum est, etiam a fortiori de sacrilegii reatu dici debet, sc. eum contrahi etiam actibus *quibuslibet* contra castitatem; imo sacrilegium etiam sola voluptate venerea interna committitur.

2. Interno desiderio diversas has malitias adulterii, incestûs etc. contrahi posse, per se patet, et supra n. 110a jam explicatum est.

Tractatus IV.

De bonis externis seu fortunae atque humanis erga illa officiis.

Praeter scriptores n. 316 laudatos et S. Alph. l. 3 n. 486—961, cfr. Elbel *de restitut.;* Vogler, *juriscultor theologus circa obligationes de restitutione practice instructus;* Reuter p. 3 tota; Pruner *de jure* seu *Lehre vom Recht;* Crolly *de justitia et jure.*

Quo frequentior et magis necessarius est externorum bonorum usus atque permutatio inter homines, eo facilius stricta justitia in iis potest violari, eoque magis necessarium est a confessario bene cognosci, quid justitiae restitutionisque leges requirant. Respondet igitur hic tractatus septimo decalogi praecepto:

„*Non furtum facies.*" Exod. 20, 15.

Sectio I.

De jure hominis in bona fortunae.

Caput I.

De variis juris speciebus.

1. Supra n. 318 jam dictum est, quid sit *dominium,* idque sive 400
perfectum, sive *directum tantum,* sive *indirectum.* — Praeterea attende has jurium species:

2. Usus est jus temporaneum re aliena utendi, salvâ ejus substantiâ.

3. Ususfructus est idem jus cum jure dominii in rei fructus: v. g. in foetus animalium, in *consuetam* portionem lignorum in silva caedendam etc.

4. Emphyteusis est jus haereditarium ad plenum usumfructum rei cum potestate formam rei accidentariam mutandi.

5. Feudum est emphyteusi simile, ita tamen, ut loco pretii annui exhibeatur domino rei directo obsequium et fidelitas.

6. Servitus seu servitutes, (quae dicuntur activae, si pro jure unius, passivae, si pro onere alterius sumuntur), vocatur jus determinatae *personae* vel *rei* inhaerens, vi cujus aliena res ipsi serviat, i. e. aliquam utilitatem, commodum praestare debeat, vel incommodum creare nequeat.

Distinguuntur *urbanae* (in utilitatem aedium), *rusticae* (in utilitatem agrorum); continuae et discontinuae; *apparentes* et *non-apparentes; legales, conventionales, naturales* (ratione originis).

Sic habes *urbanas servitutes:* stillicidii immittendi, fluminis recipiendi, cloacae immittendae, altius non tollendi etc.;

rusticas: servitutes itineris, actûs, viae, aquaeductûs, aquaehaustûs, pascendi etc.

Praecipuae obligationes ex se facile intelliguntur:

1) Servitus realis seu pro utilitate *rei* constituta post rem inter plures possessores divisam transit ad omnes et singulos. 2) Dominus praedii servientis nihil facere potest, quo servitus activa ejusque usus diminuatur vel difficilior evadat. 3) Dominus praedii dominantis nihil facere potest, quo onus servitutis passivae gravius fiat.

Caput II.

De temporalium bonorum dominii subjecto in particulari.

De subjecto dominii confer, quae supra dicta sunt n. 319. Hîc ea tantum exponentur, quae specialem aliquam difficultatem afferre possunt, maxime quum etiam legum localium diversarum ratio haberi debeat, quae non sunt eaedem ubique.

§ 1.

De dominio et bonis filiorum familias.

401 I. **Notiones.** 1. Filii familias vocantur liberi utriuslibet sexûs sub paterna potestate constituti. *Constituitur paterna potestas:* 1) legitimo matrimonio; 2) legitimatione per subsequens matrimonium vel publicam auctoritatem; 3) adoptione. — *Finitur paterna potestas:* 1) morte naturali aut civili patris (attamen si filius emancipari nondum potest, paterna potestas transit in alterum); 2) emancipatione sive expressa sive tacita. Scilicet emancipatio *saltem* fieri *debet* volente filio, postquam annos majorennitatis attigerit, in plerisque locis *eo ipso fit; potest* fieri antea, i. e. uno vel aliquibus annis antea, prout diversa jura id constituunt. Aetas vero majorennitatis nunc fere ubique est

annus 21. completus. *Tacite* autem in plerisque locis datur emancipatio, si filii parentum consensu matrimonium ineunt, separatam societatem domesticam condunt, separatim artem exercent.

2. Bona filiorum familias seu sub paterna potestate constitutorum distinguuntur recentioribus juribus fere: bona libera, et non-libera; vel: separata industria acquisita solive filio data, et aliter acquisita. Priorum bonorum filius minor nondum emancipatus communiter usumfructum quidem habet, sed nondum administrationem; posteriorum ne usumfructum quidem.

Jus Romanum distinxit: 1) bona castrensia et quasi-castrensia, quae filius occasione militiae vel publici officii acquisiverit; 2) bona adventitia, quae ipsius filii intuitu donata vel aliunde quam ex bonis paternis acquisita fuerint; 3) bona profectitia, i. e. ex bonis paternis v. g. negotiatione orta, vel filio intuitu patris donata. Primum genus bonorum pleno jure est filii, sed ante pubertatem non habet administrationem; tertium genus pleno jure patris est; secundum genus quoad usumfructum patris est, quamdiu filius est sub ejus potestate.

II. Quaedam pro praxi confessarii. 402

1. Quae *filius minor* nondum emancipatus, in domo paterna in arte, negotiatione etc. patris occupatus, lucratur, etiam secundum ea jura, quae filium sui juris faciunt ad bona acquirenda, generatim non filii, sed patris sunt; siquidem non sibi, sed patri acquisivit et acquirere debuit. — Imo etiam *filius majorennis,* quamquam aut sui juris exsistit, aut, ut sui juris fiat, postulare potest, tamen, si in negotiis paternis occupatur, mercede quidem vel retributione dignus est, sed ipsos laboris fructus patri acquirit, non sibi, siquidem patris nomine laborat.

2. Si filius *natu major,* qui in domo paterna laborat atque in augenda bona familiae incumbit, clam quaedam sibi prae fratribus et sororibus assumit atque reponit, ratio ab injustitia excusans haec esse potest: 1) si majorennis sit necdum emancipatus; 2) si majorennis quidem nondum est, sed extraordinarie laboravit, i. e. si vel praeter statum suum, vel aliis fratribus *notabiliter plus* laboravit. Nam in his adjunctis ejus conditio pejor non esse debet, quam famuli pro mercede laborantis. Attamen ne facilius filio credatur, atque maxime cavendum est, ne filius pro labore suo *bis* remunerationem accipiat, eo quod parentes pro majore labore praestito in testamento vel simili modo remunerationem dare intendant.

3. Si filius minor *extra domum paternam* laborat in fabrica, offi- 403
cina etc. et ab hebdomadaria mercede, quam pater sibi afferri vult, partem aliquam retinet, generatim ante factum id non est permittendum: nam 1) si pater filium minorem locat, per se merces patri debetur (imo leges *Americanae* semper, etsi filius suos labores locavit, quamdiu a patre alitur, patri totum lucrum addicunt; leges *Anglicae* filio plus juris videntur concedere); 2) etiam aliunde patri jus oriri potest in lucrum quod filius facit, scilicet a) ut filius saltem expensas suae sustentationis compenset, b) ut parentum necessitatibus provideat, c) ut pro sua conditione etiam conferat ad sustentandos fratres et sorores minores; 3) etsi sola administratio patri competat, generatim periculum est, ne filius lucrum factum male impendat.

Sed revera esse possunt exceptiones; praecipue vero *post factum* attendi debet ad causas, quae ab injustitia vel gravi injustitia excusent. Videlicet 1) si filius lucrum secundum loci leges *suum* fecit, et probabiliter quantum severe debuit in parentes contulit; 2) si praesumi potest, patrem potius subjectionis causa, quam ut ipse lucrum percipiat, totam filii mercedem postulare; 3) accedere potest causa a *restitutione* excusans, si praesumi potest, patrem hanc filio condonaturum esse.

4. Si filius cum bonis paternis negotiatur, videndum est, *quo nomine* egerit, ut discernatur, lucrum cedatne patri an filio: in omni casu, si filius illicite sibi negotium arrogavit, patri cavere debet pro damno. Cf. *Theol. mor.* n. 887 sqq.

§ 2.

De bonis uxorum.

Particularia de bonis et juribus uxorum ita diverse statuuntur a diversis legibus, ut hac in re suae quisque regionis leges consulere debeat. Sub unum conspectum colligi possunt tantum quaedam generalia.

404 I. Diversa bona. Distinguuntur 1. bona *dotalia*, quae affert uxor marito quoad usumfructum, quo conferat ad onera matrimonii portanda; eorum tamen substantia vel valor uxori privilegiato quodam modo reservatur. 2. Bona *paraphernalia*, vel *receptitia*, quae jure suo sibi uxor reservat: utrum liberam eorum administrationem habeat necne, a regionis legibus pendet. 3. Bona *communia*, si quae a lege vel conventione matrimoniali statuuntur: horum administrationem quidem maritus habet, uxori tamen competit jus saltem in partem eorum, quae soluto matrimonio supererunt.

Etsi saepe jam lege statuuntur quaedam pro bonis dotalibus, communibus, tamen accuratius haec definiendi per liberam conventionem conjugibus facultas datur.

405 II. Pro praxi confessarii haec notatu digna sunt:

1. Utcunque jura uxoris constituta sunt, jus saltem habet ad honestam sustentationem pro conditione sua. Nam si bona communia adsunt, haec etiam ad uxorem spectant; si dotem uxor attulit, ex sua parte ad onera matrimonii jam contulisse censetur, ita ut jus acquisiverit, ut vice versa a marito sibi provideatur; si nihil attulit, maritus juri suo cessisse censetur et gratuito alendae uxoris onus in se assumpsisse.

2. Ad congruam et convenientem sustentationem pro varia uxoris conditione pertinet, praeter victum, facultas: 1) largiendi parva munera; 2) faciendi consuetas eleemosynas; 3) impendendi quaedam ad honestam recreationem eaque omnia faciendi, quae a muliere similis conditionis omitti sine aliqua nota non possunt.

3. Etiam necessaria sustentatio secundum ipsius conditionem uxori post mortem mariti superstiti debetur. Quare si ex dote aut aliunde nequit ea habere, quae ad parcam sustentationem pro sua conditione requiruntur, secundum jus naturale ex bonis mariti ea uxori debentur: id quod etiam leges haereditariae respicere solent.

4. Quare uxor non laedit justitiam commutativam, si ea, quae ad sustentationem sive praesentem, sive futuram spectant, etiam clam assumit, si aliter difficile erit, ea obtinere; magis etiam sumere potest, quae ad familiae curam hîc et nunc necessaria sunt.

5. Si uxor habet parentes indigentes, vel ex priore matrimonio filios necessitate pressos, iis subvenire debet, idque communiter ex *suis* bonis, si libera habet; alioquin ex aliis: quae expensae si eleemosynas ordinarias *multum* excesserint, computare eas debet in partem dotis recuperandae vel portionis bonorum communium post mariti mortem recipiendae.

6. Maritus vero, si mala administratione vel dissipatione damnum 406
intulerit familiae et uxori, sitne ut injustitiae reus ad restitutionem erga uxorem obligatus, solvi debet ex hac quaestione, utrum sc. uxor ad ea bona jam habeat jus dominii vel condominii, an tantum jus post divisionem factam certae partis eorum, quae restant, recipiendae. Quodsi hoc posterius jus solum ex lege regionis habet, maritus ad restitutionem non tenetur: alias tenetur pro culpa commissa.

§ 3.

De dominio clericorum.

Clerici quoque in bona quaedam jus non ita plenum habent, ut 407
pro libitu omnino de illis disponere possint. Quare recte iis adnumerantur, quorum bona vel jura secundum certas quasdam leges et regulas restringuntur.

I. Diversa bona. Distinguuntur 1) Bona *patrimonialia,* i. e. ea, quae clericus possidet ex paterna haereditate; extenditur autem illa vox ad omnia ea, quae ex qualibet donatione aut causâ profanâ possidet. 2) Bona *ecclesiastica,* i. e. ea, quae ex reditibus ecclesiastici beneficii percipit. 3) Bona *quasi-patrimonialia,* vel *quasi-ecclesiastica,* vel *casualia.* Triplex illud nomen eandem rem designat, sc. ea, quae occasione sacrarum functionum percipit, ut stipendia Missarum et jura stolae, quae vocantur. 4) *Parcimonialia* bona, i. e. ea, quae clericus parcius vivendo ex ecclesiasticis bonis seposuit, quatenus ea licite consumere potuerat.

II. Jura clerici. 1. *Clericus, etsi alia bona habeat, ex bonis* 408
ecclesiasticis seu ex reditibus beneficii honestam sustentationem sumere potest, sed quae honestam sustentationem superant, in pauperes vel causas pias erogare tenetur. V. Trid. sess. 25 cap. 1 *de ref.* — Bened. XIV. *de syn.* ad honestam sustentationem refert:

1) quae pertinent ad honestum victum ipsius beneficiati et ejus familiae seu famulorum, quos pro sui statûs convenientia habet;

2) ad exercendam hospitalitatem erga consanguineos et amicos;

3) ad exhibendas remunerationes pro acceptis beneficiis, non tamen prodigas;

4) ad alias convenientes quasdam et honestas relaxationes.

Quae omnia non eodem modo pro omnibus aestimari debent; sed quâ mensurâ haec contineri debeant, ut maneatur intra limites *honestae*

sustentationis, judicandum est tum ex personae dignitate, ex redituum amplitudine, tum ex meritis beneficiati.

2. *Clericus perfectum dominium habet parcimonialium bonorum*, ita ut de iis ad libitum disponere possit, siquidem non convenit, eum propterea jure inaequali cum aliis uti, quod sibi et genio suo subtraxerit. V. S. Alph. n. 491 cum communi sent.

3. *Bonorum casualium etiam perfectum dominium habet:* sunt enim ex oblationibus et donationibus fidelium collecta, qui obligationem aliquam seu onus illis non imposuerunt. V. etiam decl. S. Poenitent. 9. Aug. 1824.

4. *A fortiori clericus perfectum et liberum dominium bonorum patrimonialium habet*, de iisque pro suo arbitrio disponere potest. Nulla enim lege ecclesiastica declaratur clericus dominii incapax, neque ulla lege ad profitendam paupertatem adstringitur [1].

409 III. Difficultas est, quo titulo teneatur clericus bona ex reditibus ecclesiasticis superflua in pauperes piasve causas impendere, *utrum ex sola obedientia et religione, an ex justitia.* Eum posteriore titulo teneri, sane non constat: de quo fusius vide *Theol. mor.* n. 900 not.

Unde deduco sequentia:

1. Quando clericus male impendit proventus ecclesiasticos, non constat de obligatione restitutionis: quapropter illi non potest stricta obligatio imponi, ut parcius vivendo aliâve industriâ ea sibi comparet, quibus reparationem facere possit.

2. At si clericus, habens bona propria simul cum proventibus ecclesiasticis, expensas facit ad profanos vel malos usus, eas ex bonis propriis fecisse censendus est — siquidem supponi debet, eum cum peccato quam minimo agere velle —: quapropter residua bona pro ecclesiasticis habenda sunt, i. e. pro iis, quae gravata sunt onere obedientiae et religionis, qua postuletur erogatio in causas pias.

410 3. Relate ad eos, quibus clericus illicite bona illa ecclesiastica dederit, complures causae sunt, quibus ab obligatione restituendi seu pauperibus ea distribuendi excusari possunt:

1) Si non constat, bona donatione erogata esse ex ecclesiasticis bonis: nam si possunt esse ex patrimonialibus, casualibus etc., accipienti non est faciendus scrupulus.

2) Imo etsi constet, bona illa esse ecclesiastica, ille non peccat, qui a clerico *offerente* dona accipit (v. S. Alph. n. 491 et 492): — nam illa cooperatio ad peccatum clerici tanta non est, quum malitia actionis peccaminosae ex parte clerici jam sit completa.

---

[1] Pro bonis ecclesiasticis haberi debent salaria illa a gubernio clericis constituta loco priorum beneficiorum, quorum possessiones occupatae fuerint. Non vero pro ecclesiasticis bonis habentur: 1) ea supplementa, quae ex parte fidelium — etsi ex conventione — dantur, ut „congrua", quae dicitur, justam mensuram attingat; 2) illa pensio a gubernio data, quae clericis emeritis, aegrotis etc. confertur; 3) illa pensio, quae pro clericis emeritis a potestate ecclesiastica assignatur, etsi ex fructibus certi alicujus beneficii sit desumenda — haec enim in *plenum et liberum* dominium pensionarii transit neque pro ampliori, quam quae ad decentem sustentationem emeriti clerici exigatur, habetur. Cf. hac de re S. Alph. n. 491 q. VI et Lugo d. 4. n. 32. — De salario a gubernio dando cf. Responsa S. Poenit. 19. Aug. 1821 et 19. Jan. 1819.

3) Imo qui clericum ad donationem citra fraudem et injusta media induxit, peccavit quidem, sed quum neque ipse neque clericus *injustitiae* reus sit, ad restitutionem non videtur stricte obligari posse, quamquam rectissime illi ea suadetur, et pro circumstantiis aliqua eleemosyna danda pro poenitentia imponi potest.

4) Qui vero fraude mediisve in se injustis clericum ad talem donationem induxit, eumve a testamento condendo impedivit, quo melius et securius ejus haereditatem adiret: ad restitutionem erga pauperes vel causas pias, ut quilibet in simili fraude, tenetur.

5) Quae de donatione a clerico accepta dicta sunt, valent etiam de legato vel haereditate *per testamentum* clerici, qui testandi liberam potestatem habet, acceptâ.

6) Qui, etsi sine commissa fraude, haereditatem clerici *ab intestato* adiret, quum clericus a condendo testamento impeditus esset, quod probabiliter pro piis causis fecisset, ad bona ea, quae certo sunt ex proventibus ecclesiasticis residua, eroganda in pauperes et in pias causas obligatus est; isque multo certius *ex justitia* ad id tenetur, quam ipse clericus.

7) Si vero clericus *ex consulto* sine testamento vel ultimae voluntatis declaratione ulla decessit, sciens, haeredes lege civili ab intestato in bona relicta successores esse: justitia non videtur ab haeredibus laedi, si bona omnia sibi applicant, videtur tamen laedi obligatio religionis et ecclesiasticae legis, quae tam clerico, quam ejus haeredibus facultatem disponendi de ecclesiasticis bonis ad pias tantum causas concedit. Quousque autem relate ad haeredes id urgeri debeat, si constat bona residua esse stricto sensu ex ecclesiasticis relicta, prudentiae est discernere, ne ex materiali peccato formale reddatur.

§ 3.

De dominio scriptorum.

Dominium scriptorum, de quo peculiaris quaestio movetur, illud 411
est, quod in foetus sui ingenii habent. Quod certe aliquo modo ex ipso jure naturae exsistit; verum accuratos limites assignare vix non debet lex positiva.

1. Auctor, quamdiu ea, quae mente et scripto concepit, non fecerit publici juris, laeditur ab eo, qui illa invaserit vel publicaverit.

2. Auctor jus habet, ne impediatur, quominus ex laboribus suis, quos in communem utilitatem contulit, justam mercedem atque convenientem fructum percipiat. Justum autem praemium pro auctore et bibliopola consistit in pretio libri, cujus igitur partem ex conventione cum bibliopola sibi vindicare possit. Quare si quis alius opus jam publicatum denuo prelo committat et in commercium tradat, et auctoris et bibliopolae jus laedit, quatenus eos a percipiendo lucro impedit.

3. Verum si propter circumstantias a lucro aliter percipiendo non impediuntur, justitia ex sese laesa dici non potest: quare in versione librorum facilius injustitia potest abesse, quam in iterata impressione. — Ceterum si qua constituta sunt a lege positiva, haec, quatenus commercium spectant librorum, etiam in conscientia generatim observari debent, ne contra auctorem vel bibliopolam injuria et injustitia committatur. Consulenda tamen est etiam consuetudo in hac re.

Caput III.

De modo acquirendi dominium et jura.

412 Modus, qui primitus bona externa constituat in dominio privato certi hominis, *originarius* vocatur; alii modi *derivati*, quibus nimirum jus et dominium ab uno in alterum transfertur.

Articulus I.

De modo acquirendi originario.

Originarius acquirendi modus una est occupatio earum rerum, quae in nullius privato dominio exsistunt. Quae in primordiis generis humani latissime patuit; sed, constituta civili societate, haec occupandi facultas tum ex natura sua propter res jam occupatas limitata evasit, tum per publicam auctoritatem restringi debuit et restricta est. In quibusdam autem rebus etiam nunc ubique exercetur.

§ 1.

Occupatio animalium maxime per venationem et piscationem.

Captio animalium, quum vera sit occupatio, ut re ipsa dominium creet, eas conditiones habere debet, quibus quaelibet occupatio instructa sit oportet: sc. 1) ut res dominii capax sit (quod in animalibus obtinere, planum est); 2) ut adsit animus occupandi; 3) ut adsit realis et externa occupatio; 4) ut res non sit in ullius dominio, neque 5) lex positiva eam alterius dominio addicat. Posteriores duae conditiones hîc imprimis considerandae sunt, quum non eodem modo in quibuslibet animalibus impleantur.

Claritatis causa distinguuntur animalia: 1) *fera* seu silvestria, quae sc. ab humano consortio abhorrent, naturali libertate fruuntur neque in ullius dominio constituta reperiuntur; 2) *mansueta*, quae natura sua humano consortio utuntur, atque ad domesticos usus adhibentur; 3) *mansuefacta*, quae in naturali quidem libertate nascuntur, sed hominum industria ea privantur et ad dominium et consortium humanum adacta sunt, ut columbae, apes etc.; 4) *efferata* vocantur tum animalia per se mansueta, si connaturalem hanc indolem exuerunt, tum mansuefacta, quae pristinam libertatem rursus adepta sunt.

413 I. Quod ad *dominii acquisitionem* pertinet, haec observanda sunt:

1. *Animalia fera seu silvestria fiunt primi occupantis*, siquidem eousque libertate fruuntur neque in ullius dominio sunt. Remanent vero in ejus, qui acquisivit, dominio, quamdiu in custodia detinentur, vel si forte evaserint, quamdiu eorum insecutio non nimis difficilis evadit. Quodsi difficilior evaserit, nullius esse iterum incipiunt, atque postea *occupantis* fiunt.

2. *Animalia mansuefacta ut apes, columbae tamdiu manent in dominio detinentis, quamdiu non evaserunt efferata neque consuetudinem revertendi amiserunt.* Quod si obtinuerit, fiunt primi occupantis. — At fraude ea ad se attrahere, injustitia est. Si vero graviter nocent, abigi non solum, sed etiam, *si necesse est,* occidi possunt.

3. *Animalia mansueta seu domestica, nisi forte efferata evaserint, nulla aberratione elabuntur ex dominio ejus, qui ea tenuit,* ac proin occupatione acquiri nequeunt.

Haec tum ex natura rei fluunt, tum positivis juribus confirmantur.

II. Circa *venationem* et leges obstantes adverte: 414

1) legem quidem ex justa causa universim venationem prohibere posse, etiam aliquando domino fundi; domino fundi seu agri in conscientia tamen prohiberi non posse animalium occisionem vel capturam, qua a se suisque agris damnum secus ab animalibus inferendum avertat; 2) seclusa lege, dominum fundi alteri eatenus venationem prohibere posse, quatenus eum arceat, quominus ingrediatur suos agros cum damnificatione, vel alia damna sibi inferat; 3) leges, quae venationem vel egressum extra certos limites prohibent, si neque in agris intrandis neque in feris capiendis damnum aliquod infertur, pro mere poenalibus haberi possunt.

Quare: 1) Qui venatur et piscatur in alieno fundo, et grave 415
damnum infert, graviter peccat, nisi forte damnum praevisum non fuerit, et adsit voluntas resarciendi damni culpabilis. At damnum *grave* esse, aliter determinatur in fundo clauso, aliter in pervio.

2) Qui venatur etc. in alieno fundo omnino clauso nec amplo, contra justitiam commutativam peccat ex ipsa animalium captura atque illa eorumve pretium restituere debet praeter alia damna illata.

3) Qui venatur etc. in fundo publico vel ad communitatem, cujus ipse membrum est, pertinente, aut in fundo alieno (hominis privati) omnino pervio, non facile graviter peccat contra justitiam, nisi propter stragem ferarum *vere notabile* damnum inferat. — Verum si paratus est, armatus custodibus resistere, hac re graviter plane peccat.

4) Si venatio vel piscatio sit in loco clauso quidem et septo, at omnino amplo, justitia quidem laeditur, attamen non omni captura graviter laeditur; siquidem mensura injustitiae non est sumenda ex pretio ipsius praedae factae — non enim censetur dominus in singula animalia jam strictum jus habere — sed ex probabili spe capturae, quam dominus fecisset, et a qua aliena captione impeditus est. Quare etiam restitutio secundum hanc probabilem spem seu *secundum probabilem damni aestimationem* facienda est. — Si vero [ut n. 2) dictum est] singula animalia a domino facile capi possunt, in singula jus suum habet et urgere potest.

§ 2.

De thesauro ejusque occupatione.

I. Thesaurus, utut a diversis legibus paulo diverso modo definitur, 416
dici potest res pretiosa abscondita, quae certo domino careat. — Quamquam, spectato solo jure naturali, ejusmodi thesaurus inventoris est:

tamen communiter tenent, leges positivas eatenus saltem in conscientia obligare, quatenus certam partem domino fundi adscribant; quatenus vero in certis casibus fisco — *quando fundus ad eum non pertinet* — partem thesauri adscribunt, aut inventorem parte sua privant, leges pro poenalibus haberi posse, quibus ante judicis sententiam inventor in conscientia non teneatur.

II. Leges vero positivae sic statuunt generatim, non tamen ubique:

1) *Thesaurus, qui invenitur in proprio fundo, totus cedit domino.*

2) *Thesaurus, qui invenitur casu in alieno fundo, dividitur inter inventorem et dominum fundi.* (Ergo si locus sacer est, dimidia pars cedit ecclesiae; si locus publicus profanus est, dimidia pars communitati vel fisco, prout locus ipse sive fundus in alterutrius dominio est.)

3) Qui ex industria in alieno fundo (invito domino) quaerit, totum thesaurum in poenam domino fundi cedere debet, aut secundum alias leges *suam* partem fisco; similiter qui magicis artibus thesaurum quaerit, pro mulcta portione sua privatur.

417 III. Inde concludes: 1. Qui in alieno fundo ex industria thesaurum quaesivit, contra justitiam non peccat, si suam partem celat, modo dimidiam partem domino fundi vere tradat. Si vero a domino ex illa dimidia parte aliquam portionem pro remuneratione acciperet, illam retinere non potest; siquidem illa donatio ex errore domini procedit, putantis inventorem totum thesaurum sibi tradidisse.

2. Qui in loco aliquo, qui ad nullius dominium pertinet, sive casu sive ex industria thesaurum invenit, ante judicis sententiam totum sibi retinere potest. Ita *Lugo* disp. 6 n. 115 et 116. Attamen id secundum hodiernas leges non videtur contingere aut admitti posse; quum quaelibet loca jam in alicujus dominio sive hominis privati, sivi fisci etc. adscripta exsistant.

3. Inventor autem ille est, qui *detegit thesaurum*, i. e. qui eruendo vel res, quibus tegebatur thesaurus, removendo eum patefacit et animadvertit. Quare post hanc detectionem factam in regnis, ubi pars thesauri domino fundi addicitur, licitum non est illi, qui invenit in alieno agro thesaurum, eum denuo abscondere et agrum sibi comparare, ut totum thesaurum sibi servet.

§ 3.

De inventione rerum amissarum.

418 1. Rei amissio per se jus domini non exstinguit, adeoque res inventa per se domino, qui eam amisit, debetur.

2. Attamen fieri potest, ut impossibilis censeri debeat rei amissae recuperatio, videl. si spectatis circumstantiis nullatenus sperari potest, fore ut dominus unquam compareat, aut, qui fuerit, inquiri possit. Quodsi talis impossibilitas orta est, res ex illius dominio excidisse ac proin nullius facta esse censeri debet. Quare consuli quidem potest, ut res detur pauperibus, obligatio probari nequit.

419 3. Inventor non tenetur ex justitia rem inventam secum ferre, sed eam in suo loco relinquere potest, attamen non raro haec laesio caritatis est.

4. Inventor autem, si rem secum tulit, tenetur ex justitia a) diligentem curam in ejus custodia et conservatione collocare, b) diligentem curam adhibere, ut dominus inveniatur inquirendo, pro rei gravitate in publicis ephemeridibus inventionem denuntiando, vel ad magistratum eam deferendo.

5. Quando post adhibitam diligentiam spes inveniendi domini exstincta esse videtur, vel res inventori judicialiter addicta est, ille eam *ut suam* occupare potest, neque postea domino forte apparenti tenebitur: nisi forte, ut in Anglia, jus domini etiam magis protegitur: plerumque tamen ante commune tempus praescriptionis spes inveniendi domini pro exstincta sumi non potest.

6. Si inventor etiam ante tempus ordinariae praescriptionis *prudenter* judicavit, dominum non amplius posse inveniri, et sic de re disposuit, domino forte comparenti nihil reddere tenetur nisi summum id, in quo evaserit ipse ditior. — At quando citius temere de re disposuit, domino comparenti tenetur de damno illato. Cf. Reuter l. c. n. 69; *Theol. mor.* n. 915 et 916.

Nota: De bonis derelictis et vacantibus ex sola lege naturali 420
similiter judicandum est: at positivae leges alia statuerunt.

Derelicta bona ea vocantur, quorum dominium abjicitur, neque a priore domino in alterum transfertur; *vacantia*, quae morte domini et defectu haeredis dominio destituuntur.

Haec quidem bona secundum positiva jura fisco ipso facto addicta habentur; sed consuetudo hanc legem intelligit, si de bonis *derelictis* sermo est, de solis immobilibus; ita ut mobilia abjecta primus occupans sua facere possit in foro conscientiae, reddere tamen debeat post sententiam judicis. Gury I. n. 576, Kenrick, *theol. mor.* tr. 10 p. 1 n. 63. — His bonis autem non accensentur ea, quae in naufragio timore mortis projecta sint vel post naufragium in litore inveniuntur: nam ea dominis, si appareant, a legibus plane servari solent et debent.

§ 4.

De variis modis, quibus una res cum altera conjungitur, et juribus inde exorituris.

Primo occurrit *accessio.* Quae fit a) nativitate animalium: in ea 421
applica axioma „partus sequitur ventrem"; quare pullus ejus est, qui sive dominium, sive usumfructum matris habet; b) *alluvione:* in ea observa, alluvione paulatim facta, non repentina, domino fundi fundum augeri; c) *adjunctione*, qua unum cum altero sic coaluerit, ut nullatenus vel non sine detrimento separari possint: quod si factum est, „accessorium sequitur principale"; sed leges positivae respici debent, ut in difficilioribus casibus sciatur, quid habeatur pro principali.

Secundo habetur *commixtio,* quae dicitur de confusione rerum aeque 422
principalium: quando igitur res sic commixtae cujusnam sint sive fuerint, dignosci non potest, totum vendendum vel dividendum est, ut cuilibet domino pro rata suae quantitatis pars rei vel pretii cedat; verum generatim jura concedunt, ut dominus massae potioris totum cumulum sibi vindicare possit, facta debita compensatione.

423 *Tertio* habetur *specificatio,* seu inductio certae formae in informem materiam vel massam, ut si ex massa argentea aliena artifex statuam fecerit: in qua modo artifici, qui formam rei dedit, modo domino massae res addicitur secundum diversas leges, cum obligatione alterum reddendi indemnem; sed haec indemnitas non debet alteri esse damnosa, neque eadem esse debet, si bona atque si mala fide actum est.

424 *Quarto* occurrit *aedificatio* et *plantatio,* si dominus fundi et dominus rei plantatae vel aedificatae diversi sunt. Generalis regula est, totam rem in dominium domini fundi transire, ita tamen ut, si bona fide actum sit, primarie jura etiam positiva intendant, ut uterque, quantum fieri possit, evadat indemnis; si mala fide, ut ipse ille, qui mala fide egerit, potius damnum ferat. Accuratius rem non omnia jura eodem modo definiunt; sic jus Romanum eum, qui mala fide in suo fundo aliena plantavit, sive construxit, ad solvendum duplex materiae pretium obligat, jus Gallicum simpliciter ad pretium et ad reparanda damna forte exorta.

Adverte tamen, in omnibus istis modis eum, qui mala fide egerit, in conscientia etiam majorem indemnitatem alteri plane debere praestare, quam quae lege praescribitur, si *constet,* illum vere majus damnum esse passum.

Articulus II.

De modo acquirendi legali, publico jure inducto, seu de praescriptione.

§ 1.

Communiores notiones.

425 Diuturna possessione ipsa certis circumstantiis munita dominium seu jus stabiliri vel acquiri, naturae consentaneum est, ne nimis dubiae possessiones evadant. Verum positivae leges tempus et conditiones accurate definire debent. Modus ille acquirendi juris ipso temporis lapsu vocatur *praescriptio,* eaque *acquisitiva;* quatenus consistit in onere vel debito exstinguendo, dicitur praescriptio *liberativa.*

Distinguitur praescriptio *ordinaria* et *extraordinaria:* posterior, quae 30 annos et plures requirit; prior, quae spatio breviore absolvitur, 3, 10 vel 20 annorum.

Conditiones ad legitimam praescriptionem necessariae, ut etiam in foro conscientiae valeat, sunt: 1) *Res praescriptibilis,* quae ejusmodi sit, ut a praescribente possideri legitime *possit,* neque positiva lege a praescriptione eximatur — quare generatim nequeunt praescribi res publicae, res sacrae, neque jura essentialiter clericalia a laico viro, neque ordinariâ praescriptione res ecclesiasticae, aut res furtivae vel vi possessae.

2) *Possessio* debet esse civilis et continua, ita ut praescribens rem ut *proprietarius* possederit: quare qui pro altero ut mandatarius rem detinet, non sibi, sed mandanti rem praescriptione acquirere potest.

3) *Bona fides,* qua possessor ex inculpabili persuasione vere putet, sibi jus illud proprietarii competere. Illa bona fides sic requiritur, ut toto illo tempore permanserit, aut saltem dubio superveniente et

inquisitione factâ mala fides non evaserit. (Negligentia *venialiter* mala bonam fidem non destruit.) „Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit." Ita jus can. ex regula juris 2, et ex *definitione* Concil. Lat. III c. 20, X 2, 26.

4) *Titulus* requiritur coloratus, vel existimatus sive praesumptus; non requiritur verus, non sufficit vitiosus. — Titulus nimirum est causa illa seu factum, propter quod possessor putat rem esse suam: qui est *verus*, si re ipsa dominium transtulit; *coloratus*, si externam speciem veri tituli habet, at occulto vitio laborat; *existimatus* vel *praesumptus*, si ratio dominium transferens probari nequit, at aliunde judicatur eam adfuisse: *vitiosus*, si inspecto facto, ex quo possessor putat rem suam esse, patet, eum in natura illius facti manifeste errasse: verum accuratior notio de vi vel deficientia vitiosi tituli ex diversarum legum statutis desumenda est.

5) *Tempus requisitum* — quod pro diversis regionum legibus et pro diversis rebus diversum est. Praecipua statuta relaturus sum.

I. Res immobiles. 1. Res communi praescriptioni subjectae 1) cum titulo 426
colorato praescribuntur *decennio;* 2) sine titulo requiruntur *triginta anni;* 3) res ecclesiasticae sive cum titulo sive sine titulo requirunt saltem 40 annos; bona Benedictinorum (et per communicationem privilegiorum bona ordinum, saltem Mendicantium) 60 annos; bona ad ecclesiam Romanam pertinentia 100 annos. Ita ex dispositione juris canonici, quod in foro conscientiae omnino servandum est, siquidem soli Ecclesiae competit, de rebus suis leges condere iisve vim attribuere, nisi in aliqua re lex civilis magis faveat.

2. Tempus praescriptionis extenditur 1) in favorem *absentium* e provincia ita ut tempus absentiae, si per annum et ultra duravit, *pro dimidio* tempore tantum sumatur; quare si dominus semper abfuit, spatium 20 annorum requiritur ad praescriptionem complendam. Quod de *tricennali* praescriptione non valet. 2) Hunc favorem duplicandi tempus absentibus concessum, jus Borussiacum extendit ad *omnes personas juridicas tantum et morales*, nisi forte etiam amplior favor concedatur. Jus Austriacum *personis moralibus omnibus* loco 30 annorum concedit spatium 40 annorum. 3) In favorem bonorum *ecclesiasticorum, fiscalium et similium* postulat jus Borussiacum spatium 44 annorum.

II. Rerum mobilium praescriptio secundum pleraque jura (Romanum, 427
plurima jura in Germania vigentia, et Austr.) 1) *cum titulo* tribus annis perficitur; 2) *sine titulo* triginta tantum annis completur. Verum

Nota 1° Contra absentes ut praescriptio fiat, tempus triennale duplicatur, non vero tricennale.

2° Jus Austriacum idem statuit de praescriptione contra personas tantum morales, atque spatium 30 annorum ad 40 annos extendit.

3° Jus Borussiacum inter bona mobilia et immobilia *nullam* facit distinctionem; quare etiam ut illa cum titulo praescribantur, requiritur tempus 10—20 annorum.

4° Bona *ecclesiastica mobilia,* quum secundum Juris canonici leges regantur, subjacent cum titulo praescriptioni 3 annorum, sine titulo 30 annorum, ita ut tempus privilegiatum ad immobilia tantum pertineat. Ubi vero lex civilis *majus* temporis spatium assignat pro rebus ecclesiasticis, id, utpote causae piae favorabile, prorsus requiritur. Sed alii tempus privilegiatum etiam mobilibus applicant.

5° De re furtiva vel vi possessa (adeoque etiam de re immobili) supra jam sermo erat. Secundum jus commune hae non praescribuntur unquam ordinario tempore; at probabile est, eas praescriptione acquiri *cum titulo* a possessore

bonae fidei spatio 30 annorum, contra absentes spatio 40 (S. Alph. n. 515); sine titulo praescribuntur nunquam, etsi per mille manus transierint, *nisi vitium purgatum fuerit.* In quo recentiores leges multae videntur consentire aliquatenus.

Lex Borussiaca constituit, ut res furtivae vel rapinâ ablatae a primo possessore bonae fidei tandem post 40 annos praescribantur; quare id tenendum est, sive titulus adest, sive non.

Lex Gallica in solis illis rebus et in amissis domino per 3 annos concedit jus, ea a quolibet possessore vindicandi, neque hoc plene, si possessio acquisita fuerit in publico commercio; de reliquis mobilibus statuit ipsam *possessionem* pro *titulo proprietatis* C. C. § 2279: verum dubito, num valeat in conscientia.

428 III. Jura cetera (ut servitutes activae) secundum jus commune spatio 10—20 annorum praescriptione acquiruntur, computando a prima pacifica usucapione, altero sciente et non reclamante. Aliae leges distinguunt, et aliquorum jurium acquisitionem ad 30, 40 annos limitant. Tolerantia *pro titulo* haberi videtur. Attamen in conscientia (ita omnino jus canonicum) requiritur bona fides in praescribente, sc. persuasio, se jure suo agere. — Pro aliquibus tamen juribus secundum jus Romanum, quando titulus non habetur, et quando agitur de servitutibus discontinuis, tempus immemorabile requiritur (Reuter t. III. 102. 5).

IV. De praescriptione liberativa noto: 1. *Servitutes passivae* fere sic exstinguuntur, sicut activae acquiruntur. Bona fides in exstinguendis servitutibus, quae non aliquid praestandum imponunt, sed aliquid pati postulant, probabiliter negativa sufficit, ut nimirum is, cujus interest exstingui servitutem, alteri nullum ponat obstaculum. — 2. Omnes *actiones personales* et *reales* (nisi de privilegiatis agitur) spatio 30 annorum exstinguuntur. — Debita quam plurima spatio 4, 3, 2 annorum, imo aliquot mensium sic censentur exstincta, ut actio judicialis non amplius admittatur; verum id in foro conscientiae quoad tempus triennio minus vix admitti potest, maxime quum in omnibus illis debitis coram conscientia exstinguendis semper bona fides seu persuasio sive solutionis jam factae sive condonationis ex sententia practice tenenda requiratur: quod enim aliqui putant, sufficere, ut fraudulenter non fuerit negatum debitum neque fraudulenter dilata solutio, id laxius esse censeo.

§ 2.

Singularia quaedam de praescriptione.

429 I. Beneficium contra praescriptionem, qua quis jure suo privari possit, multis jam concessum est per temporis necessarii prorogationem. Verum etiam alia beneficia quaedam communiter conceduntur.

1. Aliquando praescriptio dicitur *non procedere,* i. e. non posse inchoari, v. g. contra pupillos tutore carentes.

2. Dicitur *non-currere* seu *dormire* seu *suspendi,* si certum aliquod tempus inter spatium lege assignatum non computatur, ut fit a) quoad tempus, quo propter bella, contagiones judicia exerceri nequeunt, b) contra ecclesias suo rectore orbatas, vel sede vacante etc.

3. Dicitur *interrumpi* praescriptio, si denuo incipi debet, ut valeat: quod fit, a) si possessor ultra annum rei possessionem amiserit; b) si lis juridice mota est.

4. *Restitutio in integrum* aliquando conceditur, ut post praescriptionem perfectam nihilominus judex eam rescindere atque rem in priorem dominum iterum transferre possit: quod generatim conceditur per quadriennium minoribus, ecclesiis, atque iis, qui a jure suo prosequendo plane impediti erant.

II. Difficultas movetur circa *haeredem*, qui bona fide successit ei, 430
qui mala fide aliena habuerit, num ille possit unquam praescribere. — In qua quaestione dici potest, sive haereditas pro novo titulo acquirendi habetur, sive haeres unius ejusdemque tituli cum antecessore esse censetur: post 30 annos possessionis in bona fide peractos, haeredem probabiliter perfecisse praescriptionem, antea non. Nimirum *ubi* haereditas pro *novo titulo* habetur, jam antea ipsas res alienas suas fecit haeres; at cum obligatione pretium et damni compensationem pro viribus haereditatis priori domino laeso conferendi. Cf. *Theol. mor.* n. 925.

Alia difficultas est, num *sententia judicis* de re vindicanda haberi debeat pro titulo dominii translativo. De qua sic practice tene: sententia, si injusta fuerit, sane dominium non transtulit; sed nisi injustitia *pateat* vel *cognoscatur*, pro justa haberi debet, ita ut sententia judicis generatim in et cum causis allatis evadat titulus *verus* aut *coloratus:* si vero nitatur in causis et rationibus aperte falsis, ipsa sententia plane habenda est ut titulus vitiosus, qui nihil operetur.

Pro jure Anglico, quod in causa praescriptionis multum dissidet 431
a reliquis juribus praecipua statuta haec sunt ex Crolly *de jure et justitia collecta:*

I. Jus Anglicum nullam admittit praescriptionem mobilium.

II. Circa bona immobilia et jura in ejusmodi bona (uti usum, usumfructum etc.), ut praescriptione acquirantur:

1. requiritur et sufficit nunc (ex stat. Gulielmi IV.) usus non interruptus 30 annorum; imo sufficit probatio non interruptae possessionis per 20 annos, ut juris praesumptio exsistat, rem a tempore immemoriali in possessione fuisse. Atque recentius (37 et 38 Vict. c. 52) statutum est, ut domus, agri et alia immobilia corporalia omnino praescribantur, si per 12 annos neque reditus soluti, neque debiti recognitio in scriptis sit facta.

2. Si quis autem a jure suo prosequendo impeditus erat, illo tempore contra ipsum praescriptio non currit, spatium illud inter 30 annos requisitos non numeratur.

3. Attamen, etsi legale impedimentum exstiterit, 60 annis praescriptio completur.

4. Titulus quidem specialis non requiritur; verum si contra possessorem probatur titulus *vitiosus,* praescriptio nihil juvat.

III. Servitutes rusticae activae spatio 20, resp. 40 annorum acquiruntur.

IV. Jura autem exstinguuntur per non-usum 20 annorum; imo judices possunt, *spectatis circumstantiis*, sententiam ferre ante elapsos 20 annos, dominum voluisse juri suo cedere: qua sententia lata, jus prioris domini prorsus exstinctum manet.

V. Actiones judiciales ad solvenda debita ex contractu simplici aut ex delicto orta infra sex annos (nisi legale adfuerit impedimentum) intendi debent; alias actionis instituendae jus exstinguitur: aliae actiones contra debita ex firmiori contractu orta infra 20 annos intendi possunt.

Attamen, teste Crolly, haec praescriptio in conscientia non liberat, si de debito *constat.* Debitor igitur eatenus tantum in conscientia uti potest praescriptione illa legali, ut in dubio debiti contracti aut jam soluti immunis evadat.

NB. Difficultas circa haeredem bonae fidei, qui succedit possessori malae fidei, aut difficultas circa bona furto vel vi possessa in jure Angliae locum non habet, quum ex una parte ejusmodi bona non magis protegantur quam alia, ex altera parte autem pro *qualibet* praescriptione tantum temporis spatium requiratur, quod alia jura fere in bonis privilegiatis postulant. (V. Crolly n. 611.)

Sectio II.

Laesio juris alieni in bonis externis seu fortunae.

Caput I.

De gravitate illius peccati ejusque materiae.

432 Laesio juris alieni quoad peccaminositatem ad *furtum* revocatur. Quamquam si stricte loqui volumus, non solum furtum est, quod jura aliena laedat. Praeter meram damnificationem enim, injusta rei ablatio fieri potest 1) per *simplex furtum, quae est occulta et injusta ablatio rei alienae,* 2) per *rapinam, quae est ejusmodi ablatio violenta,* 3) per fraudem, quae est jurium laesio per dolosam alterius circumventionem; ex rerum, quae auferuntur, speciali conditione distinguitur a) peculatus seu fisci defraudatio, b) *sacrilegium seu rei sacrae laesio.* — Moralis malitia distincta, i. e. nova ex genere suo mortalis, accedit solum in *rapina* ratione personalis injuriae, et in *sacrilegio* ratione laesae religionis.

433 *Furtum et quaelibet alieni juris laesio ex genere suo quidem est peccatum mortale; at* quoniam *materiae parvitatem admittit,* accuratius distinguatur oportet, quae sit materia gravis. Ad quam quaestionem dicendum est, eam esse materiam gravem, cujus laesio apta sit ad pacem concordiamque inter singulos homines perturbandam, vel ad securitatem publicam in humana societate in grave periculum vocandam. Quod si posteriorem rationem respicis, mensuram *absolute gravem,* si priorem, mensuram *relative gravem* habes.

Videlicet prout ditior vel minus dives est ille, qui laeditur: eo gravius peccatur, quo relative gravior laesio fiat. — Relative gravem igitur materiam multi statuunt eam, quae sufficiat ad diurnas expensas patrisfamilias cum sua familia: quod verum erit inter homines communis conditionis; relate ad hominem perdivitem, qui magnos sumptus faciat, hanc normam statuere laxius fuerit.

Quo igitur magis definiatur taxa, secundum hodiernum pecuniae valorem statui potest tamquam materia gravis: absolute gravis circiter *libra aurea* monetae Anglicae, 20 mc. Germ., 25 fr. in Gall., 5 doll. pro America; relative gravis pro hominibus satis opulentis $^1/_2$ libra aurea (pro *valde* opulentis ipsam libram); pro ordinariis operariis 5 shill. (in Germania 3—4 mc.) et ita proportione habitâ diversae conditionis.

De cetero attende, hanc normam magis servire ad determinandam obligationem gravem reparandi damni, quam malitiam gravem commissi peccati: haec enim, praecipue si circa limites materiae objective gravis furtum factum est, a subjectivo furis dictamine pendet.

434 Majoris claritatis causa haec addenda sunt:

1. *Norma supra statuta servit in singulis furtis erga homines extraneos.*

2. *Si major conjunctio inter laedentem et dominum laesum exsistit, major quantitas requiritur,* quia dominus minus invitus est. Sic in furtis

filiorum erga parentes, uxoris erga maritum materia saltem *duplo major* censetur requiri: in famulis generatim non plus requiritur quam in extraneis, nisi tamen excipias ordinaria esculenta (circa quae, si consumuntur saepius, mitius judicandum est) vel etiam pro liberalitate domini minusculas defraudationes in emptione et venditione. Relate ad filium autem, si pater potius quoad modum, quam quoad substantiam invitus est, multo major quantitas ad grave peccatum necessaria est.

3. *Major etiam quantitas requiritur, ut complura furta, quorum singula gravia non erant, in gravem materiam coalescant,* quam si una vice grave furtum committitur; *similiter si una vice plures laeduntur,* quam si res ablata ad singularem hominem pertinet. Videlicet in his casibus materia saltem dimidio amplior necessaria est; vel si plures simul laeduntur, materia duplex.

4. In *furtulis minutis* probe distinguendum est, quando ob 435
materiam totalem evadant peccata gravia, et quando ex parte furis auferentis id fiat.

Igitur ex parte materiae seu objecti graviter peccatur:

1) si bona sublata *retinentur* in se vel in aequivalenti — quia sicut ablatio rei alienae gravis est, ita etiam retentio rei alienae in gravi quantitate mortale peccatum est;

2) si ex intentione perveniendi ad materiam gravem aliquis, ut securius propositum exsequatur, iterato, sed singulis vicibus partem ex se non gravem surripit: quod si fit, ad materiam gravem constituendam vix plus requiritur, quam si una vice totum aufertur;

3) si furtula non retinentur quidem amplius, neque ex intentione ad majorem quantitatem perveniendi ab initio suscepta sunt, attamen re ipsa *sine notabili intervallo interjecto* ad gravem materiam totalem pervenerunt. — Longum vero intervallum, post quod furtula sic patrata neque amplius retenta coalescere desinunt, est:

a) si materia furtulorum non multum infra materiam gravem manserit, spatium duorum mensium: S. Alph. n. 530;

b) si vero valde notabiliter infra illum valorem manserunt, etiam spatium unius mensis sufficit, ut non amplius coalescant;

c) imo si agitur de furtis in rebus minimis, ne tantum quidem tempus requiritur, ut concludi licet ex iis, quae de furtulis famulorum quoad esculenta diximus.

Ex parte furis auferentis furtula evadunt peccatum grave: 436

1) Si fur ab initio intendit furtula continuare, et ad gravem materiam seu notabile lucrum injustum ita impunius pervenire: — in *singulis* furtulis peccatum grave committitur, siquidem adest exsecutio intentionis mortaliter peccaminosae.

2) Si post plura furtula aut retenta, aut sine notabili intervallo facta demum gravis materia completur: hoc ultimo furtulo, si modo fur satis attendit, se nunc tandem gravem materiam complere, mortale committitur peccatum, nisi adsit seria voluntas praecedentia furtula reparandi.

3) Si parva quidem quantitas surripitur, sed *in conspiratione* cum aliis, ita ut tota quantitas ab omnibus ablata gravis evadat: quilibet

ex furibus graviter peccat, quatenus singuli ad gravem domini laesionem efficaciter cooperantur.

4) Post summam gravem ablatam vel completam, si denuo aliquid surripitur, quod in se solo leve est, grave peccatum committitur, si fur ad praecedentia furtula advertens seriam voluntatem ea reparandi non habet.

Caput II.

Ablatio rei alienae, quae a furti peccato immunis sit.

Duplex causa occurrit, ob quam liceat aliena sumere, sc. 1) necessitas extrema, 2) occulta compensatio.

§ 1.

De necessitate, propter quam aliena bona auferre liceat.

437 I. Declaratur ipsa necessitas, quae et quanta debeat esse.

1. Apud omnes in confesso est, licere in *extrema* necessitate homini assumere ex illis rebus, quae natura facile suppeditat, quantum requiritur ad illam necessitatem depellendam.

2. E contrario id etiam certum est, non licere in qualibet gravi necessitate aliorum bona invadere. Nam si id liceret, via aperiretur innumeris furtis cum communi damno et periculo gravi securitatis possessionum perturbandae et hallucinationis inducendae. Ceterum hac in re habetur thesis 36 ab Innoc. XI. confixa: „Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi."

3. Attamen ut facultas aliena bona sibi sumendi indigenti concedatur, illa *extrema* necessitas non ad summos apices sumenda est, sed cum majore quadam latitudine, ita ut ad valde gravem seu quasi-extremam etiam extendatur, quae scilicet secum ferat periculum incidendi in extremam.

438 II. Declaratur rei alienae ablatio, quanta et qualis liceat.

Jam igitur videndum est, quid et quomodo liceat in tali necessitate surripere ex bonis alienis.

1. Si habes *propria* sive in *re* sive in *probabili spe,* quamquam hîc et nunc iis uti tibi impossibile est: non potes absolute aliena accipere, sed tantum ea mutuari cum onere restituendi. — Si vero neque in re neque in spe propria habes, non teneris ea, quae in extrema necessitate consumpseris, reddere, etsi casu postea propria acceperis: Lugo disp. 16 n. 171 et S. Alph. n. 520 q. V, nisi excipias casum, quando rem nimii valoris surreptam consumpseris. (Lugo ib.)

2. Si petendo a domino rem accipere vel sperare potes, debes prius petere, nisi necessitas vere extrema et omnino instans sit: S. Alph. l. c. Cujus rei neglectus tamen non semper est mortalis.

3. Si dominus rei in eadem necessitate versatur, non potest res ab ipso auferri.

4. Si extrema necessitas sive supremum periculum vi extrinsecus illatâ alicui creatur, v. g. a latrone, certum est, licere ex alienis rebus ea sumere, quae sunt bona ordinaria; imo probabiliter etiam cum magno domini dispendio, quod ipse sua sponte facere non teneretur.

5. Si agitur de auferenda re omnino levis momenti, necessitas non adeo gravis aliquando sufficere potest, ut ex consensu domini rationabiliter praesumpto agere liceat: S. Alph. n. 520 in fine; imo Lugo l. c. n. 156 id concedit, etsi praevideatur, dominum, si rogaretur, id irrationabiliter negaturum esse.

6. Quando pauper in extrema necessitate constitutus sibi aliena sumere potest, etiam alter nomine illius pauperis a tertio rem pauperi necessariam potest auferre.

§ 2.

De occulta compensatione.

1. Occulta dicitur compensatio in oppositione ad juridicam et 439
legalem. Hanc occultam et privatam compensationem aliquando homini licere ex eo patet, quia accidere potest, ut aliter non possit recipere, quae sua sunt.

2. Ut vero occulta illa compensatio licita sit, sequentes conditiones requiruntur:

1) ut debitum, quod occulte exigo et mihi compenso, non sit incertum; 2) ut praecaveatur, quantum fieri possit, damnum debitoris, ne scilicet bis solvere cogatur; 3) ut compensatio fiat tantum, quando recursus ad judicem aut alia publica juris mei vindicatio difficilis est; 4) ut sumam rem mihi debitam, quantum fieri possit, in eadem specie.

Quae ut magis explicentur, adverte: Conditionem tertiam et quartam *non ex gravi* obligatione servandas esse; quare difficultas mediocris ab omni culpa eximit eum, qui illas non servat. Restat fere sola *prima,* de qua haec observanda sunt: *Factum* particulare, in quo debitum illud nitatur, *certum* esse debet humana certitudine; *jus* vero seu juris sententia, quae ex tali facto debitum solvendi vel facultatem exigendi oriri docet, non necessario certa esse debet, sed sufficit, ut sit *valde probabilis* seu ita probabilis, ut probabilitatem contrariam, quae probabili debitori facultatem possidendi vel retinendi adscribat, in foro judiciali *coram judice* vincat vel vincere possit: Lugo d. 16 sect. 5. Sed si ad talem probabilitatem quaestio devolvitur, ne quis in propria causa erret vel hallucinationis periculo exponatur, generatim exigi debet, ne quid agat sine prudentis confessarii alteriusve periti et timorati viri consilio.

Singulares casus, in quibus occultam compensationem permittunt, quando jus controversum est, postea suo loco notabuntur; praecipue agitatur quaestio quoad dispositiones testamentarias informes, de quibus confer, quae postea dicturi sumus.

Practica causa potest accidere *quoad famulos.* Hi certe non 440
possunt pro arbitratu suo, quod putent, labores suos salario, de quo

convenerant, majores esse, compensatione uti. Id expresse damnatum est thesi 37 ab Innoc. XI. Verum si famulus non libere, sed coactus consensit in mercedem infra pretium justum infimum, usque ad illud jus habet, nisi forte dominus, illius operâ non ita indigens, eum susceperit ex *misericordia*. Alias enim ex justitia debetur famulo saltem pretium infimum, modo advertas, illud pretium ex magno numero eorum, qui ultro famulatum suum offerunt, vere decrescere, non tamen ita, ut necessitatibus suis pro sua conditione non amplius possint satisfacere. Quod autem *ex justitia* debetur, id, nisi dominus solvat, famulus occulta compensatione complere potest. Attamen, nisi res evidens sit, opus est utatur consilio periti viri vel confessarii: S. Alph. n. 524.

Idem dic, si famulus jussu seu rogatu domini operam suam ultra debitum auget; pro excessu laboris enim nova mercede dignus est. Si vero famulus propria electione debito plus laboraverit, nihil potest stricto jure postulare ac propterea nihil per occultam compensationem sumere, quia censetur id fecisse gratis ad favorem domini sibi conciliandum: S. Alph. l. c.

Sectio III.

De reparatione juris laesi, seu de restitutione in bonis fortunae.

Caput I.

Praeviae notiones.

441 Antequam ad singulas causas restitutionis descendamus, communia de restitutione principia menti imprimenda sunt:

1. *Restituendi voluntas de se seria et efficax est omnino necessaria ad salutem, si modo agitur de materia gravi:* unde consequatur ipsa restitutio, nisi justis ex causis per accidens excuseris. Oritur autem restituendi obligatio ex violata justitia commutativa tantum.

2. *Gravis obligatio esse desinet, quando ex materia gravi tantum restitutum fuerit, ut, quod restat, materia gravis non jam exsistat.* — Similiter si neque singulares homines neque singulares fines honesti graviter laesi sunt, non est *gravis* obligatio, ut *ipsis iisdem* restitutio fiat, qui fuerint laesi; quare ex causa mediocriter gravi alii, pauperes, eligi possunt, quibus pro restitutione valor rei conferatur.

3. *Duplex causa et mensura restitutionis observari debet: res aliena detenta, et actio injuste damnificans.* In furto *utraque* conjungitur, atque etiamsi una super alteram excedat, utraque attendi debet in restitutione determinanda.

442 Colliges practice: 1. Si quis per plura furtula ad gravem materiam pervenit: quando res ablatas aut in se aut aperte in aequivalenti retinet, sub gravi tenetur restituere, sive in furtulis committendis graviter peccavit, sive graviter non peccavit; quodsi dominus

laesus sive domini laesi ignoti sunt, restitutio facienda est pauperibus vel causis piis.

2. Si res furto sublatae nullatenus possidentur, neque fur ditior evaserit, radix restitutionis sola actio injuste damnificans est, ac proin fur eodem modo, nec plus nec minus, tenetur restituere, ac ille, qui plures actiones leviter damnificantes exercuit. Quem tunc saltem sub gravi ad restitutionem teneri, quando materiam gravem complendo graviter peccaverit, extra controversiam est. Num vero etiam tunc gravis obligatio adsit, quando culpa gravis commissa non est, infra fusius discutietur.

Caput II.

De radicibus restitutionis, atque actionibus principalibus ex sese restitutionem inducentibus.

Articulus I.

De prima radice seu retentione rei alienae.

Rem alienam possidere animo dominativo aliquis potest aut *bona* 443
fide, qua putat, eam esse suam; aut *mala fide*, quum sciat, rem esse alienam; aut *dubia fide*. De triplici illo statu fusius agere convenit, quo melius restitutionis mensura cognoscatur. — In possessore bonae fidei sola rei alienae detentio, in possessore malae vel etiam dubiae fidei insuper alienae rei damnificatio ut radix restitutionis considerari debet.

§ 1.

Notiones generales de alienae rei detentione.

1. *Res clamat ad dominum.* Videlicet, quum dominus prae omnibus aliis cum sua re conjungatur, haec ad eum quasi redire nititur; ipse eam, ubicunque invenerit, suo jure ad se suamque possessionem reducit.

2. *Res fructificat domino.* Fructus enim non minus quam ipsa res domini sunt.

3. *Res naturaliter perit domino:* quodsi aliena culpa perit, perit quidem etiamtum domino, sed ita, ut jus habeat ad valoris compensationem.

4. *Nemo ex re aliena injuste locupletari debet.* Nam si ratio ditescendi *plene ex* re est, habes rei fructum, qui cedere debet domino: aliter, si ratio ditescendi solum *occasione* rei aderat.

Dein ad plenius cognoscendam mensuram restitutionis fructus rei a rei substantia distincte dignoscendi sunt.

Fructus alii sunt *naturales*, alii *industriales*, alii *mixti*. 1) Naturales 444
vocantur ii, quos natura ipsa ex aliqua re producit, non accedente labore humano; 2) fructus industrialis vocatur illud incrementum aut emolumentum, quod labor et diligentia humana e re eliciunt; 3) mixti fructus sunt, quos non sola natura neque solus labor humanus, sed

natura cum labore humano conjuncta procreat. — Aliquo sensu *mixti* sunt fere omnes fructus, qui principaliter naturales vocantur.

Demum a fructibus vero sensu naturalibus distinguuntur *civiles*, quorum aliqui quasi-naturales vocari possunt, alii industriales, alii mixti. Sunt enim civiles ii fructus, qui non ex ipsa re gignuntur, sed qui in commercio humano ex utilitate rei alteri traditae tamquam pretium percipiuntur: ut pretium locationis, reditus annui etc. Quando ex sola re tradita sine alio labore percipiuntur, vocantur civiles quasi-naturales: ut commune pretium locationis aedificii vel agri. Si specialis diligentia necessaria erat ad augendum pretium, illud augmentum pro fructibus civilo-industrialibus habetur: quare in tali eventu lucrum seu pretium totale fructus civiles mixtos vocare possumus.

Quibus notatis ad varios rei alienae possessores principia communia applicemus.

§ 2.

De possessore bonae fidei.

445 Possessor bonae fidei ille est, qui inculpabiliter putat, rem alienam, quam detinet, suam esse, praecipue, si illam aliquo titulo, qui per se vere dominium transfert, e. g. donatione, emptione acquisivit. — Consideratur autem ille possessor ante tempus legitimae praescriptionis finitum; nam, illo elapso, non amplius alienae rei possessor est, sed vere illius rei dominus evasit eamque suam fecit.

Res aliena aut tenetur etiamnunc a possessore bonae fidei, aut consumpta jam est, aut in tertii cujusdam possessionem transiit.

I. Possessor bonae fidei, qui etiamnunc retinet rem alienam, quum primum eam comperit esse alienam:

1) nequit amplius de ea ut de propria disponere: consumendo, destruendo, vendendo, usu atterendo etc., nisi forte, domino incognito, rem quasi inventam suam facere possit;

2) eam titulo gratuito acceptam atque exstantem domino reddere tenetur, sive dominus potest eam sibi vindicare, sive non potest;

3) titulo oneroso acceptam, antequam dominus ipse comparens eam ut suam evincit atque sibi reddendam postulat, rescisso contractu, antecessori reddere potest, si putet, id necessarium esse, ut semet-ipsum indemnem servet;

4) quando vero aut talis contractûs rescissio impossibilis est, aut dominus rem ut suam postulat, eam occŭltare possessori non licet, ne ad securiorem quidem indemnitatem propriam;

5) quod si reddi quidem domino debet, sed statim nondum potest, possessor eam ut bonus paterfamilias diligenter custodire atque domino servare debet.

446 II. *Possessor bonae fidei, qui durante bona fide rem alienam consumpsit, destruxit, si ditior inde non evaserit, postea, quando cognovit, rem alienam fuisse, ad nihil tenetur.* Nam neque ex re, quam teneat, neque ex actione injusta tenetur: rem enim non amplius habet; actionem injustam et culpabilem non exercuit, quum de re tamquam de sua disposuerit.

Ditior autem evadere potuit praecipue 1. si res apud ipsum crevit, 2. si rem gratuito acceptam utiliter impendit, suis rebus parcens, in alterum pro pretio rem transferens etc.

III. *Fructus rei, saltem si naturale jus respicimus, secundum hanc normam distribuendi sunt:* 447

1. Fructus industriales et qui industriae laborive respondent, restituendi non est obligatio.

2. Fructus naturales vel quasi-naturales ante triennium vel secundum diversa jura ante biennium, resp. quadriennium (si modo lege regionis ita fit praescriptio *mobilium*) jam percepti, sive exstant sive non amplius exstant, restitui non debent, si bonae fidei possessor *ipsam rem* titulo colorato possidebat. Ratio est, quia titulo legitimae praescriptionis eos, utpote res mobiles cum titulo detentas, fecit *suos*.

3. Fructus naturales vel quasi-naturales, etiam per se nondum praescriptione acquisitos, ille, qui *rem* legitimo tempore praescripsit, accessoria praescriptione suos fecit adeoque restituere non tenetur. Videlicet ex legibus positivis illis fructibus applicatur axioma: Accessorium sequitur principale.

4. Fructus naturales vel quasi-naturales neque in se neque ratione rei substantialis praescripti, qui adhuc exstant sive in se sive in aequivalenti, reddendi sunt domino. Ita *per se* in foro conscientiae videtur tenendum esse. Si vero leges civiles mitius judicant: etsi videantur excedere, tamen cavendum est, ne multi simus in computando valore, in quo quis ditior evaserit ex fructibus jam perceptis atque consumptis. Et quamquam, si leges civiles, ut Gallicae aliaeque, *omnes* fructus possessori addicunt, hoc rei dominum non videtur impedire, quin fructuum valorem ut suum reclamet; tamen etiam possessores facilius lege sibi favente uti possunt, vel saltem eos monere vix expediet, quia quod leges concedunt, facile pro sibi licito habent.

IV. *Possessor bonae fidei rem alienam in tertium quendam transtulit.* 448

1. Si eam gratuito donavit:

1) In quo ipse ditior evasit ex ipsa re aliena ejusve usu, id restituere debet: ad quod etiam pertinet, si donatario donum conferre *absolute* voluit, aliud certe collaturus, si istam rem non habuisset: (fructus industriales sane non tenetur restituere).

2) Alioqui, si facile fieri potest, ex justitia tenetur donatarium monere ut ille reddat rem vero domino, vel dominum ut rem suam sibi vindicet.

3) Si neque ditior evasit, neque monere satis facile potest, ad nihil tenetur.

2. Si eam vendidit a fure emptam: 449

1) Suo emptori tenetur pretium reddere: a) si ille sibi reddat rem, b) si ille domino in casu evictionis rem reddiderit, c) si id sponte fecerit, nisi forte praematura redditione causa sit, cur ipse jam a fure indemnis fieri nequeat.

2) Si res consumpta vel destructa est, vel impossibile est, ut ad dominum redeat: tenetur solum, quatenus *ex* illa re ditior factus sit.

3) Ut suum damnum praecaveat, potest, rescissis contractibus, rem sibi recuperatam furi reddere et pretium a se solutum recipere; sed ita agere vel rem occultare non potest amplius, quando dominus rem suam esse probavit eamque sibi petiit.

450 3. Si eam vendidit gratuito acceptam:

1) Semper tenetur suo emptori de pretio.

2) Domino vero de eo, in quo evasit ditior, dum rem alienam detineret.

3) Si res ad dominum redire nequit, in eum videtur omnino pretium acceptum refundere debere, nisi forte ipsa res naturaliter periit, etiam apud dominum peritura: in quo posteriore casu non videtur cogens ratio esse, cur damnum re ipsa domino compensari debeat ultra id, quod per detentionem suae rei incurrit vel in quo possessor bonae fidei evasit ditior.

§ 3.

De possessore malae fidei.

451 1. *Possessor malae fidei debet restituere rem alienam aut ejus aequivalens cum toto incremento, quod ex se res ipsa fecit.* — Id ex *re* aliena, quae detinetur.

2. *Non solum res aut valor rei restituenda sunt, sed etiam omne damnum, quod dominus rei ex illa injusta possessione passus est atque aliquo modo praevidebatur, resarciri debet, ad quod etiam pertinet lucrum cessans.* — Id ex *actione* injusta culpabili, quae commissa est.

3. *Attamen etiam possessor malae fidei retinere potest fructus industriales et ex fructibus mixtis tantum, quantum labori vel industriae respondet: nisi forte a judice ad horum fructuum jacturam condemnatus fuerit.* Nam praeter rem et damnum illatum per se nihil restituendum est; quia quod mensuram juris laesi excedit, non jam a justitia commutativa exigitur; attamen justitia vindicativa potest juste in poenam criminis reo majus damnum ferendum imponere idque domino rei ablatae addicere.

Hinc ipse etiam fur per se in re aliena restituenda deducere potest expensas necessarias et utiles, quas in re conservanda vel augenda impendit; imo etiam quaecunque additamenta vel meliorationes, quas, licet voluptatis causa, fecerit, quando sine detrimento rei ab ea separari possunt, potest retinere. — Quando autem lex harum rerum jacturam contra possessorem malae fidei statuit, haec poenalis est neque ipsum reum obligat, ut poenam in se sponte exsequatur: juridice tamen convictus et condemnatus jam ex justitia commutativa hanc mulctam ei, cui addicta est, cedere debet.

Haec in universum dicta sunt.

Difficiliores quaestiones sunt:

452 1. Ad quid teneatur fur, qui *rem secus certo perituram surripit.*

1) Si res in ipso periculo statim consumpta est, nulla est obligatio, quia res erat tunc nullius valoris.

2) Idem dic, si res periculo nondum plane subducta erat, quum consumeretur: quamquam a fure facile subduci et servari poterat. Nam, utut peccavit, contra justitiam peccasse non videtur.

3) Quum primum res in tuto collocata est, fur eam domino ex justitia servare debet, ac proin postea domino tenetur de pretio, nisi pro labore vel periculo assumpto justam mercedem detrahere possit.

2. Ad quid possessor malae fidei teneatur, *si res perit apud ipsum.* 453
Tenetur valorem rei restituere, sive sua culpa, sive sine culpa rem perire siverit. *Excipe:* 1) si res periit interno vitio — quia tunc internum valorem non habuit;

2) si res periit vitio seu periculo extrinsecus accedente, quod *idem* fuit tum apud dominum rei, tum apud possessorem malae fidei, neque periculo eripi res potuit;

3) si periculum seu calamitas non eadem quidem erat, at aliqua calamitas rem, si apud dominum fuisset, destruxisset eodem tempore, quo apud furem seu possessorem destructa est.

Quamquam *semper* damnum illud resarciri debet, quod usque ad tempus interitûs dominus passus est, et lucrum, quod fur *ex* aliena re usque ad illud tempus percepit.

3. Ad quid teneatur fur, si *rem consumpsit, cujus valor muta-* 454
tiones subiit.

1) Si fur eam tempore majoris pretii consumpsit, sive 2) si dominus eam usque ad tempus majoris pretii servaturus erat: in *utroque* casu fur tenetur reddere illud pretium majus, nisi forte in secundo, quum fur eam prius consumpsit, dominus facile sibi rem similem emit, quam loco prioris nunc servat.

3) Si fur tempore minoris pretii rem consumpsit, antequam valor crescat, neque dominus eam servaturus erat, sufficit, ut solvatur illud pretium minus. Idem etsi 4) dominus eam servaturus erat toto tempore, dum cresceret et iterum decresceret atque tum tandem consumpturus.

Sed 5) si dominus quidem statim rem consumpsisset, fur eam servat, donec valor crescat, et decrescat, fur tenetur ad *majus* pretium: quia *quolibet* tempore domino obstrictus erat.

Quando vero practice circumstantiae illae ignotae sunt, tunc obligetur fur ut reddat pretium, quod viguit tempore furti vel consumptionis cum consueto foenore.

§ 4.

De possessore dubiae fidei.

Dubiae fidei possessor est, qui rationabilem causam dubitandi 455
habet, utrum rem, quam possidet, vero et justo titulo *suam* fecerit, an ut alienam habeat. Illud dubium potest bonam fidem subsequi seu dubium superveniens esse, potest in ipsa rei acquisitione jam exsistere.

1. *Omnis possessor, quum primum dubius fit, i. e. ex vera et rationabili causa positiva, serio inquirere tenetur.* Quodsi bona fide rem possidere coepit, et exorto dubio inquisivit, at dubium solvere non potest, ad nihil tenetur, atque de illa re disponere potest, ita tamen, ut rem utiliter disponat atque capax et paratus sit utilitatem perceptam vel pretium rei domino reddere, si forte postea certum dominum alter se probaverit: Lugo disp. 17 n. 89—91.

456 2. *Si vero inquisitionem ex gravi negligentia omisit, tenetur abhinc de damno, quod hac ratione causat:*

quare 1) si dominus postea comparet vel invenitur, ei damnum resarcire tenetur;

2) si ob inquisitionem neglectam nunc jam impossibile evaserit dubium solvere, tamen pro rata dubii ad aliquam restitutionem tenetur, saltem si dubium erat circa jus, quod *determinatus* aliquis homo fortasse in eam rem habuerit vel habeat. Sed generatim S. Alph. (*de conscientia* n. 37) putat, quantitatem, quae restitui debeat, si bona fide fuerit incepta possessio, dimidio rei valore multo minorem esse. Quae restitutio, si determinatus ille homo cognoscitur, huic facienda est, si vero cognosci non potest, pauperibus causaeve piae est conferenda.

457 3. *Qui dubia fide, sc. aut cum probabilitate facti tantum, aut sine solida omnino probabilitate juris coepit rem possidere; per se malae fidei possessori aequiparandus est.* Quare

1) Si spoliando alterum in possessionem venit, manente dubio, alteri restituere *totam rem* debet atque insuper damnum resarcire; quia injuste eum re privat.

2) Si titulo oneroso rem acquisivit ab eo, qui malae vel suspectae fidei erat, manente dubio tenetur pro rata dubii partem valoris restituere, idque vel dubio domino, si de jure determinati hominis agitur, vel alioqui pauperibus: a qua partiali restitutione ex se nunquam eximitur. Si vero dominus certus appareat, illi praeter rem ipsam etiam damnum, si quod passus est, tenetur reparare, siquidem a tempore possessionis ut *malae fidei* possessor tractandus est.

3) Si quis titulo oneroso cum fide dubia rem acquisivit ab eo, qui bona fide erat, dubio insolubili manente, potius ut bonae fidei possessor considerari debet; quare domino postea fortasse comparenti cum suo damno non tenetur, nisi gravem negligentiam in omittenda inquisitione commiserit.

4) Qui rem ab homine suspecto titulo oneroso acquisivit ea mente, ut eam domino secus gravius damnum passuro ita servet, damnum sane per se reparare non tenetur; imo si prudenter agit, a domino soluti pretii redditionem petere potest.

5) In dubio de peracta alicujus debiti solutione, quod facta inquisitione solvi nequit, creditor quidem non impeditur, quominus solutionem urgeat; at si quaeritur, quid debitor ex sese facere teneatur, mitius agi potest.

Sunt quidem pauci, qui ab omni onere debitorem absolvant, si res stricte dubia maneat; at id non videtur satis recte fieri. Nam 1) si res stricte dubia manet, pro rata dubii censeo esse solvendum; 2) si multo probabilius est, te solvisse quam te non solvisse, non abnuo, te exspectare posse, num res postea patescat aut creditor solutionem petat; 3) ceteroqui pro circumstantiis res plerumque ex praesumptione solvi potest, ita ut quaedam moralis certitudo solutionis aut factae aut non factae acquiratur.

Articulus II.

De secunda radice et mensura restitutionis seu de actione damnificante.

§ 1.

Generalia principia.

458 1. Ut secluso contractu vel judicis sententia ex actione damnosa obligatio stricta restitutionis oriatur, actio vel omissio, ut supra dictum est, debuit esse 1) *formaliter perfecte* injusta, i. e. cum culpa theologica perfecta: alioqui damnum potius *infortunio* quam humanae actioni attribuendum est; 2) contra justitiam *commutativam*, quia haec sola restitutionem secum fert; 3) *realiter* injusta: nam restitutio fit damni illati, non pravae intentionis; 4) efficaciter seu *efficienter* injusta: alioqui, nisi actio humana vera causa injusti damni fuerit, sed occasio tantum, non illi actioni adscribitur damnum.

2. Mensura restitutionis non ex solo damno immediate illato desumenda est, sed ex toto damno, quod dominus laesus ex illa actione patitur et quod aliquo modo, etsi confuse tantum, praevisum est: id totum enim est voluntarium in causa.

459 3. Culpa, quae dicitur *juridica tantum,* post sententiam judicis ad restitutionem ab illo impositam etiam in conscientia obligat. Si quae alia est causa restitutionis, haec ex contractu ejusque natura vel libera contrahentium conventione ortum ducit.

Videlicet culpa juridica dicitur defectus diligentiae et curae illius, quam jus seu leges requirunt: qui defectus cum advertentia et vero peccato committi potest, potest etiam sine peccato. At leges id non considerant, utrum cum, an sine peccato commissus fuerit. In priore casu evadit culpa juridica *simul theologica,* in posteriore fit culpa *mere juridica.* Plerumque nisi ex advertentiae defectu fieri nequit, ut omissio diligentiae a lege requisitae sit culpa *mere* juridica, quia ipsa haec diligentia plerumque in conscientia debetur.

Distinguitur quidem culpa juridica lata, levis et levissima, attamen non eo sensu, ut ei respondeat culpa theologica gravis, levis, levissima; nam culpa juridica levis et levissima theologice gravis seu mortalis esse potest, prout in diversis negotiis ordinaria, major, exquisita cura et diligentia adhiberi debet. Posse autem et velle legislatorem etiam in conscientia obligare, etsi culpa *mere* juridica adfuerit, sed post judicis sententiam tantum, communis est legum interpretatio.

Culpa juridica latiore quodam sensu complectitur etiam *factum alienum damnosum,* ut damnum ab animali, a filiis, subditis illatum, pro quo dominus, pater, herus etc. cavere debeat.

§ 2.

Uberior discussio primae conditionis, ut sit actio formaliter injusta.

Ad quam pertinet:

460 **Quaestio I.** Quomodo teneatur ad restitutionem, qui *cum culpa veniali* damnum intulit.

1. Si peccatum est solum propterea veniale, quia materia levis est, sed culpa plene deliberata, aderit plane obligatio reparandi.

2. Si culpa venialis est ex imperfectione actûs seu advertentiae, probabile est, obligationem strictam reparandi non adesse per se, sed solum post judicis sententiam.

461 **Quaestio II.** Quid, si *pluribus culpis venialibus plene deliberatis* demum damnum grave illatum est?

1. Generatim quidem suppositio negari debet; nam qui plene deliberate complet materiam gravem, graviter peccat, et proin *sub gravi* tenetur ad reparandum saltem ultimum damnum, reliqua sub levi.

Verum 2. Si tandem damnificator priorum damnorum non amplius recordabatur, restare videtur, ut ad singula damna teneatur quidem reparanda, sed sub veniali, quia ad culpam gravem non coaluerunt.

3. Si vero damnificator, priorum quidem damnorum plane memor, putavit tamen, ad culpam gravem *plus* requiri: censeo, eum teneri ad damnum illatum reparandum, idque *sub gravi,* nisi nimia sit disproportio inter ipsius facultates et facultates ejus qui damnum passus est. Rationes vide in *Theol. mor.* n. 967.

462 **Quaestio III.** An unquam *ex inculpabili actione* onus restitutionis oriatur?

Ex inculpabili actione *immediate* illa obligatio non potest oriri; attamen *mediate.* Scilicet qui actione inculpabili vel imperfecte culpabili causam alieni damni posuit, tenetur ex justitia, si modo id etiamtunc sine incommodo relative gravi potest, impedire, quominus actio sua nocere pergat. Quod si negligit, contra justitiam peccat, et ex hac negligentia, si graviter culpabilis fuit, ad restitutionem damni abhinc exorti vel orituri tenetur.

463 **Quaestio IV.** Quousque teneatur aliquis ex causa culpabili, sed *retractata* ad reparandum damnum?

1. Qui causam *physicam* posuit, tenetur de damno, utut ante effectum productum dolet, si damnum non amplius impedit vel impedire nequit.

2. Qui ut causa *moralis* in damnum influere coepit, non tenetur de damno quod infertur, si ante damnum ipse suum influxum efficaciter retractavit: de quo accuratius vide, quae infra dicentur de cooperatione.

§ 3.

Discussio secundae conditionis ad restituendi onus necessariae, ut actio fuerit contra justitiam commutativam.

Difficultatem movere possunt illi casus, quando justitia commutativa *mediate* videatur laesa.

464 **Quaestio V.** Num et quando ad restitutionem teneatur, qui in *distribuendis officiis* publicis inique egit.

In hoc negotio peccari potest in communitatem, et peccari potest in eos qui, quum aptiores sint, praetermittantur.

Erga communitatem strictae justitiae satisfactum est, si ministros dignos et vere aptos habeat; justitia violatur, si indigni et inepti praeficiantur: quare qui culpabiliter eos instituit, communitati et ejus

membris damna reparare tenetur, quae illi in munere suo ineptitudine sua causent.

Erga eos, qui digniores erant et praetermissi sunt, *per se* laeditur justitia distributiva, non commutativa; at etiam commutativa laedi potest 1) si muneris alicujus candidati per modum onerosi contractûs convocantur; seu si illis sub onerosa conditione promittitur, ut dignior eligatur; 2) si supremus societatis Superior inferiores distributores justitiâ commutativâ erga candidatos obligaverit, ut optimum eligant. Quod in beneficiis ecclesiasticis, si per modum concursûs candidati ad ea vocantur, obtinere, sententia longe communior docet. Judicium autem de majore dignitate *late* intelligi, patet ex iis, quae communiter traduntur de argumentis majoris dignitatis; idque magis etiam valet, si examinatores synodales quoad scientiam de *sola idoneitate* testari debent.

De reliquo quoad gravem obligationem eligendi digniores utcunque, et quoad normam, unde major dignitas aestimetur, v. *Theol. mor.* n. 972.

Quaestio VI. Quando is, qui alterum a consecutione alicujus boni impedit, restitutioni obnoxius fiat. 465

1. Qui *quocunque modo* exclusit aliquem a consecutione boni ad quod et ad cujus consecutionem alter tunc jus habuit (sive jus in re sive jus ad rem), is tenetur ad restitutionem — propter injustitiam ratione rei commissam.

2. Qui a consecutione alicujus boni eum exclusit, qui positivum jus ad illud bonum non habuit, tenetur ad restitutionem, *si mediis injustis* usus est; alias non tenetur: — ergo teneri potest propter injustitiam *ratione modi* commissam. Quae restitutio facienda est pro rata spei, quam alter habuit, fore, ut bonum illud consequeretur.

In usu autem mediorum injustorum injustitia committi potest directe aut 1) contra eum, qui bonum aliquod ab altero se consecuturum esse sperabat, aut 2) contra eum, a quo sperabat, aut 3) contra utrumque. Restitutionis obligatio vero adest, quatenus injustitia utcunque commissa est contra eum, qui bonum aliquod sperabat. Si ergo directe contra eum injustum medium adhibitum est, sive *solum*, sive *simul* contra eum: de restitutionis obligatione dubitari nequit. Si autem injustitia directe respiciebat *eum*, *a quo* boni consecutio sperabatur, restitutionis obligatio eatenus adest, quatenus injustitia in alterum, *qui* sperabat seu spem habuit, *redundavit*, atque ita redundavit, ut damnum seu boni sperati non-consecutio *per se*, non per accidens tantum, secuta esse censeatur.

3. Qui alterum, etiam fraudulenter, a consecutione boni excludit, cujus acceptio aut collatio *ex parte rei* peccaminosa fuisset, ad restitutionem non tenetur; si vero peccaminosa sit ex sola agentis agendi ratione, aliter fuerit dicendum.

Unde colliges: 1. Uxor, quae fraude maritum impedit a *prodiga* donatione, a sumptuoso convivio etc., minime tenetur damnum iis resarcire, quibus spes erat lucrum inde percipiendi. 466

2. Qui clericum decipiendo impedivit, quominus *illicitam* dispositionem testamentariam in favorem cognatorum faceret, his cognatis nihil restituere debet; deberet autem, qui a *licita* dispositione ita impedivisset.

3. Qui amicum ab itinere fraude et mendacio retinet, in quo largam donationem facturus erat: a) tenetur ad compensandam illam donationem secundum spem, si mendacio contra donatarium utens donatorem ab itinere avertit; b) si aliis fraudibus usus est atque amicus donationem non principaliter intendit, sed solum *occasione* itineris eam facturus erat, deceptor non tenetur de illo damno, utpote per accidens secuto.

§ 4.

Discussio tertiae conditionis ad onus restitutionis necessariae, quod actio debuerit esse realiter injusta.

Hinc solus affectus injustitiae non sufficit. Verum proponitur:

467 **Quaestio VII.** Num sit obligatio reparandi damni, quod illatum est ab *errante circa personam.*

1. Omnes fatentur adesse obligationem, si error fuit concomitans, i. e. si damnificator nihil curavit, sitne res Petri an Pauli; item si error ipse ex culpa damnificatoris erat.

2. Acris quidem controversia est, quando aliquis soli Petro damnum inferre voluit, sed invincibiliter errans destruxit rem Pauli. Negant gravissimi auctores, eo, quod damnum desideratum re non intulerit, damnum re ipsa utpote a nolente illatum sit involuntarium.

At equidem puto damnum *re illatum* esse plane *voluntarium*, quatenus sit *destructio rei alienae:* quare obligationem reparandi damnum utique exsistere. Cf. *Theol. mor.* n. 977.

468 **Quaestio VIII.** Quousque obligatio restituendi sustineri debeat in *dubio de damno illato.*

Dubium potest esse 1) de ipsa damni exsistentia; 2) damno certo illato, dubium esse potest, a quonam fuerit productum.

Pro diversis illis dubiis dicendum est:

1. Si dubium est de damni exsistentia neque, inquisitione facta, solvitur: obligatio non est imponenda, ut cum S° Alph. communis doctrina auctorum est, quia substantia rei et obligationis est incerta.

2. Si dubium est solummodo de auctore, damnum vero certo effectum est, rursus distingui debet. Ille, de quo certum non est, posueritne actionem ex natura sua damnum illud causantem annon, etiam ad nihil obligandus est. Quem vero constat posuisse causam damni ex natura sua damni efficientem, ex eo autem dubiam, quod plures eandem actionem posuerunt, neque sciri potest, cujusnam actio re ipsa effectum produxerit, reliquorum actione superflua vel inefficaci manente, ille saltem ad damni partem restituendam obligatur; imo aliquando hypothetice ad totam, videlicet quando ex conspiratione omnes egerunt — de quo tamen confer, quae postea dicenda sunt. — Nam omnes causant impossibilitatem inveniendi certum damni auctorem; hanc ipsam impossibilitatem causare, damnosum est illi vel illis, qui alias a *certo* auctore totius damni reparationem postulare possent; ergo omnes, qui hanc incertitudinem sive soli sive cum ceteris causaverunt, ad damnum illud reparandum sive ex parte sive in solidum tenentur.

Ceterum variarum regionum jura concedunt laeso ejusve haeredibus jus, a quolibet agentium totius damni compensationem postulandi: quae poena justa est, at antequam infligatur, in foro conscientiae nondum est pleni juris.

§ 5.

Discussio ultimae conditionis, quae ad restitutionis obligationem requiritur, sc. ut actio fuerit causa ex natura sua efficax seu, quae ex natura sua apta sit ad damnum producendum vel verum influxum in illud exercendum.

1. Ex defectu hujus conditionis: qui exercuit actionem lege pro- 469
hibitam atque eam exercendo involuntarie alteri damno fuit, a) non tenetur ad restitutionem, si ratio prohibitionis alia erat, quam periculum actionis illius; b) neque tenetur per se in foro conscientiae, si ratio quidem prohibitionis periculum fuit, attamen ille, qui actionem exercuit, omnem diligentiam adhibuit, ita ut censeri debuerit periculum cessasse.

Tenetur vero ad restitutionem, qui in actione aut simpliciter prohibita aut sine certis cautelis prohibita cautionem necessariam non adhibuit atque ita infortunio occasionem dedit.

Quare per se restitutioni obnoxius non est, qui contra leges venatur atque in venatione mero casu alterum occidit, si modo imprudentiam et negligentiam non commiserit. — Restitutioni obnoxius est, qui, quum tectum domûs suae repararet, et cautelam sive ad praecavendos casus sive ad monendos praetereuntes omisisset, tegula fortuito delapsa, alterius vulnerationis vel necis causa fuit.

2. Qui crimen committit, quod praevidet vel etiam optat, fore ut alteri imputetur atque gravem poenam attrahat, tenetur ad restitutionem, si actione sua ipse suspicionem in alterum *ita* convertit, ut hîc prudenter pro reo haberi debuerit; aliter non tenetur, quia occasio, sed non causa illius damni fuit. — Verum aliquando difficile omnino est discernere, fueritne causa an occasio tantum.

Caput III.

De restitutione bonorum fortunae oriunda ex actione damnificante per connexionem cum alio damno seu peccato.

Quasdam actiones, quae ad titulum hîc inscriptum referri possunt, 470
crisi subjecimus *cap. praeced. § 3,* quaestionem tractantes, quid statuendum sit de eo, qui alterum a bono aliquo consequendo avertat seu impediat. Complures tamen aliae quaestiones discutiendae restant, quae primo et per se aliud virtutis objectum laedunt. Insistendo in ordine decalogi potest nimirum damnum in bonis fortunae conjungi cum laesione justitiae legalis vel obedientiae legibus debitae (contra *quart.* praeceptum), cum laesione in bonis corporis (contra *quintum* praec.), cum laesione castitatis (fornicatione, adulterio contra *sextum* praec.), cum laesione famae (contra *octavum* praec.).

Justitiae legalis laesio, quae damna in bonis fortunae secum trahit, praecipue versatur circa tributa eorumque defraudationem, et circa leges militiam conscriptionemque spectantes.

§ 1.

De tributis eorumque defraudatione.

1. Publica auctoritas jus habet subditis tributa imponendi, quum id necessarium sit ad onera publica ferenda atque finem societatis publicae attingendum. Quare etiam S. Script. admonet Rom. 13, 7: „Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal".

2. Haec tributorum impositio, quamquam ad legalem justitiam pertinet: tamen, postquam certum tributum cuidam impositum est idque a gubernio exigitur, fisco seu Principi titulo justitiae commutativae tributum illud deberi potest, modo justitiae limites in eo imponendo atque exigendo ne laedantur: quapropter qui in eo defraudat, etiam commutativam justitiam potest laedere atque ad restitutionem teneri; sc. eam re ipsa laedit 1) si tributum justum a se exactum dare declinat, eoque causa est, cur aut certa persona juridica, cui tributum exigere concessum est, minus recipiat, aut alii plus solvere debeant; 2) si *mediis injustis* utcunque causa est, cur ab aliis plus exigatur, quam justa proportio postulat. — Ad tributorum justitiam autem pertinet 1) ne alii aliis notabiliter plus onerentur; 2) ne tributa exigantur, nisi ex causa verae necessitatis vel utilitatis.

471 3. Si vero, cui restituendum sit, quaeritur, quando justitia commutativa laesa est, non semper illi, cui tributum competebat, restitutio est facienda, sed ei, qui reipsa damnum ex defraudatione patitur. Nam plerumque neque fiscus vel Princeps, neque certae causae publicae damnum verum sustinent, sed potius alii subditi, qui, quo minus ab aliis solvitur, eo plus ipsi solvere compelluntur. Quare tunc restitutio facienda generatim ita est, ut conferatur in communem utilitatem vel in pauperes.

4. Fieri autem potest, ut tributa quaedam nullatenus immediate justitiam commutativam spectent, sed mediate et hypothetice tantum, vid. per modum legis poenalis, ita sc., ut prima solutio non statim immediate et absolute in conscientia debeatur, ille tamen, qui sese subtrahere voluisse deprehenditur, pro poena longe plus solvere cogatur. Quod re ipsa obtinere in vectigalibus seu tributis indirectis, multi sentiunt.

472 5. *Quare in tributorum defraudatione obligatio restitutionis non est:* 1) si tributa *per modum legis poenalis* exiguntur; 2) si tributa *in se injusta et excessiva* sunt; 3) si *relative injusta* sunt, seu si is, qui defraudavit, hac defraudatione non obstante, tamen secundum aequam cum aliis proportionem ad publica onera conferat vel contulerit. Sufficit, si haec ita sint ex judicio *prudenti*, etsi non plane *certo*.

Quamquam igitur tributa, quae agris, aedibus, breviter possessionibus ipsis imponuntur, ad modum vectigalium per modum legis *primo* poenalis exigi dici nequeunt: tamen qui in declarando valore eum

paulo deprimunt, non statim *injustitiae* rei sunt; sed videri debet, num nihilominus proportio tributorum solutorum satis servetur, et quae sit reliquorum civium consuetudo.

At sive in directis sive in indirectis tributis praepositos corrumpere eosque ad fraudulentum agendi modum sollicitare, magis etiam iis violenter resistere, sane summopere peccaminosum est. Qui igitur ita agunt, et agere pergunt, absolutione nequeunt donari.

6. Erga eos, quibus certa vectigalia a gubernio locata sunt, non est alia neque major obligatio solvendi, quam erga ipsam rem publicam; quando igitur ille status rerum est, ut erga rem publicam vel fiscum justitia non laederetur, neque erga eum, cui jus vectigalium cesserunt, justitia violatur. Nam non est plus juris translatum, quam quod a republica vel fisco habebatur.

7. Quod autem ministros attinet, qui secundum leges tributa exigunt, tamdiu possunt exigendis tributis cooperari, quamdiu de injustitia tributi iis certo non constat; imo generatim, si juramento sese adstrinxerunt, ita agere *debent*, cum hoc tamen moderamine, ut in singularibus circumstantiis, quae tributum in se non injustum redderent valde probabiliter injustum, ex rationabili legis interpretatione benignius agere possint.

§ 2.

De militia atque conscriptione, cui aliquis se subducat.

1. Ad militiam non tenentur vi justitiae commutativae, nisi milites 473
conducti. Quare ab aliis, qui se subducunt, per se solum laeditur justitia legalis atque obedientia legibus debita, si justae fuerint; potest autem per accidens justitia commutativa laedi erga alios, qui loco eorum, qui se subduxerunt, assumuntur.

2. Ut aliquis per justitiam legalem ad militiam sive conscriptionem sequendam teneatur, necesse est, ut lex conscriptionis sit justa: justa autem est in genere, si adest necessitas belli justi atque necessaria ad illud praeparatio.

Contra certos autem juvenum ordines, si ipsi quoque ad militiam sequendam cogantur, injustitia eo ipso committitur; ejusmodi sunt clerici et communiter etiam ii, qui familiae alendae prorsus sunt necessarii.

3. Qui igitur juste ad militiam conscripti, postea desertores exsi- 474
stunt, per se ad castra redire tenentur ex justitia legali, imo si libero contractu se locaverunt, ex commutativa justitia; quibus adde obligationem religionis ex juramento praestito: attamen per accidens excusari possunt; — quae causae excusantes quousque et quando exsistant, confessarii est expendere —, scilicet:

1) propter gravissimam poenam, qua plecterentur, si redirent, licebit non redire;

2) si in bello injusto militare coguntur, non solum non tenentur redire, sed potius tenentur aufugere (cf. quae dicta sunt in praec. 5. decal. de bello);

3) si in castris aut inter sodales gravi animae periculo exponuntur, quod nequeunt removere, aut si gubernium non satis providit, ut sacerdotes animarum curam pro militibus gerentes instituantur, saltem aufugere licet: imo haec pericula et incommoda tanta fieri possunt, ut spectatis circumstantiis potius obligatio aufugiendi oriatur.

4. Qui in iis locis, ubi obligationi militiae per alterum militem substitutum satis fieri potest, pretio conducti sunt pro altero, si militiam deserunt atque ita eum, qui eos conduxit, in periculum subeundae militiae conjiciunt, ad restitutionem tenentur 1) saltem pretii accepti, si putant se propter conditiones non praevisas posse contractum locationis juste rescindere; 2) alias ne haec quidem restitutio sufficere videtur, sed ejus mensura potius secundum illud damnum determinanda est, quod, qui conduxerat, subire tenetur.

5. Qui autem ad conscriptionem vocati artibus vel fraudibus utuntur, ut immunes evadant, aliquo modo in causa esse possunt, cur ipsorum loco alii assumantur, qui alias sorte liberi exstitissent. Quare certo ad restitutionem tenentur, si *contra certum juvenem* fraude utantur. Multi etiam putant, id dicendum esse, si officiales vel medici corrumpantur, ut contra leges aliquem immunem declarent, quo fiat, ut alter assumi debeat. Verum, utut peccatur, justitiam commutativam contra alios juvenes laedi, non certo constat.

§ 3.

De restitutione in bonis fortunae, quae ex homicidio vel vulneratione sequitur.

475 1. Obligatio restituendi oritur tantum ex homicidio vel vulneratione injusta, ergo non connectitur cum defensione cruenta erga injustum aggressorem, nisi cum gravi culpa moderamen inculpatae tutelae laesum fuerit.

2. Restitutio per se non debetur — quamquam judex mulctam imponere potest — pro vita, membro, doloribus, quia sunt bona alterius ordinis, quorum in suo ordine restitutio impossibilis est: S. Alph. n. 627 ex communiore sententia.

3. Restitutio igitur versatur circa omnia damna, quae et vulneratus incurrit, et quae per se cum occisione sive vulneratione injusta pro aliis connexa sunt. Erga vulneratum consistit: 1) in expensis pro sua cura faciendis; 2) in defectu lucri, quod tempore illo, quo aegrotat, fecisset: S. Alph. n. 631.

4. Debitum restitutionis, quod contractum erat immediate erga eum, qui vulneratus postea ex vulneribus etc. mortuus est, solvendum est *quibuslibet haeredibus* sive necessariis sive liberis, siquidem jus illud jam erat in bonis defuncti, cujus omnia bona et credita ad haeredes transeunt: S. Alph. ib.

476 5. Major difficultas est in assignanda restitutione eorum bonorum, quae occisor defuncto immediate nondum debebat, sed quibus alii, qui a defuncto bona consecuturi erant, per occisionem privantur.

Ad quam difficultatem solvendam attende ea, quae ante de impediente alicujus boni consecutionem dicta sunt. Ex quibus facile erues:

1) Occisor tenetur proxime cognatis vel haeredibus necessariis ea restituere, quae defunctus probabiliter (i. e. secundum spei aestimationem) lucraturus erat.

2) Si vero alia via fortasse perinde provisum est uxori, ac si defunctus superstes sit, erga eam minor obligatio erit; (neque illa haeredibus necessariis ubique absolute adnumeratur). — Idem fere de parentibus defuncti saepe dicendum, — quando sc. ex necessariis haeredibus non sunt — si illis tam bene providetur, quam provisum esset a filio occiso.

3) Aliis haeredibus vel cognatis, quibus providendi occisus obligationem non habuit, nisi forte ex iis aliquem pro filio quasi susceperit, non ita constat esse aliquid titulo restitutionis conferendum.

4) Plerumque etiam deerit certum fundamentum obligandi occisorem ad restitutionem erga creditores occisi: si tamen perspectae fuerint singulares circumstantiae, maxime si occisor ipsam creditorum damnificationem intenderit, propter verum nexum inter occisionem et damnum, illumque praevisum, obligatio restituendi exsistere potest.

5) Si ante mortem ille, qui per homicidam occubuit, omnia debita remitteret, occisor liberaretur, etsi occisus importuna condonatione pietatem laesisset. — Aliquando ex circumstantiis concludi posse, ipsos haeredes homicidae restitutionem condonare, vix necesse est, ut moneam.

Quae de homicidio dixi, etiam aliquo modo ad duellum appli- 477
canda sunt, attamen cum certis limitibus:

1. Ille, qui alterum provocat ita, ut metu infamiae aliorumve damnorum eum *quasi cogat* ad acceptandum, eumque provocatum in duello occidit aut vulneravit, ad restitutionem damnorum in bonis fortunae tenetur non tantum erga vulneratum, sed etiam erga haeredes propinquosque eodem modo, quo secundum superius dicta homicida tenetur. Nam revera qui ita provocatus est, mansit plane invitus quoad damna, quae fortasse ii incursuri sunt, quos alere debuit.

2. Si vero alter *sponte* et libere duellum acceptat, etsi provocans provocatum occiderit, ille ad restitutionem non tenetur.

3. A fortiori, si provocatus provocantem vulneravit aut occidit, restitutionis obligatio non est.

Appendix de medico ejusque obligationibus.

Ex tacito contractu medicus aegrotos curare debet: cujus officium 478
summi momenti et gravissimae obligationis est, quum bonorum temporalium maximum ejus fidei committatur. Quare non solum si ex industria, sed etiam si ex inscitia aut negligentia medicus nocet sive positive, sive negative: injustitiam circa vitam alienam committit.

Et quamquam sicut in omni injustitia, ita etiam in illius injusta actione, ut obligatio restituendi damna oriatur, culpa perfecta, in hac re mortalis, requiratur; tamen sciri debet, etiam ex culpabili inscitia et negligentia mortaliter peccari posse.

1. *Medicus igitur non potest sine sufficienti scientia aegroti curam suscipere:* susceptâ autem causâ, *diligentiam adhibere debet,* quae etsi communiter extraordinaria non requiritur, tamen pro morbi conditione

et speciali contractu seu promissione aliquando fieri potest, ut extraordinaria omnino sit oporteat.

2. *Tenetur non sine causa multiplicare expensas per inutiles visitationes et medicamenta;* at si conditio quidem aegroti desperata est, sed cura protracta ad solatium illius multum conducit, media innoxia alias quidem inutilia plane inutilia dici nequeunt; quare haec praescribi ex voluntate aegroti rationabiliter supposita, praecipue apud ditiores, possunt, modo cognati de statu aegroti moneantur neque expensae justo majores fiant.

3. *Pauperes in necessitate constitutos medicus ex caritate gratis curare debet:* nisi forte pro eorum cura a civitate salarium datur; quod si fit, plane ex justitia eorum curam medicus agere debet.

4. *Non potest, relictis mediis securis, incerta adhibere:* prioribus deficientibus, innoxia quidem adhibere potest; ea vero, quae etiam probabiliter grave nocumentum, praesertim si mortis accelerationem, inferre possunt, adhibere non licet, nisi et desperatum sit alioqui de salute aegroti et insuper ejus consensus sive explicite sive implicite accesserit.

5. *Experimenti causa adhibere remedia cum probabili aegroti periculo, etsi exploratio remedii multum utilis esse possit, graviter prorsus illicitum est,* neque ex aegroti consensu licitum potest evadere.

6. Quum animae salus corporis sanitati infinite praestet, *gravis peccati reus est medicus, qui neque per se neque per alios aegrotum de vitae periculo monet, ut tempestive de animae salute,* sacramentis recipiendis, atque componendis negotiis *cogitare possit.*

479 *Inde colliges,* graviter peccare medicum sequentibus praecipue modis:

1) si sine sufficienti cognitione curam aegroti suscipit;
2) si accidente casu difficiliori alios peritos non vult consulere, idve dissuadeat;
3) si inutiliter expensas auget,
4) si aegrotos pauperiores deserit aut negligit,
5) si remedia dubia extra necessitatem adhibet;
6) si mortem hominis desperati accelerat (v. g. ne diutius dolores sentiat), aut falsa commiseratione efficiat, ut sensus ita sopiantur, ut ad sui conscientiam aegrotus redire non possit, sed in tali statu decedat. (Quando medicus ita agens in bona fide relinqui possit, quando plane ex ea deturbandus sit, vide supra n. 313.)
7) si media abortûs procurat: nisi quando ad salvandam matrem ex probabili opinione liceat;
8) si foetum abortivum aut de vita periclitantem non curat sive absolute sive conditionate baptizandum;
9) si suadet remedia, quae, ut inhonesta, adhiberi licite nequeunt;
10) si incuriosus est in monendis aegrotis, ut animae saluti prospiciant. — Qua in re antiquae leges valde severae latae sunt. Nostro autem tempore pro multis regionibus alia obligatio vix superest, nisi ut aegrotus de suo statu moneatur, ut et animae suae et rebus temporalibus tempestive providere *possit.*

Praeterea nota: 1. Si medicus in ipso suo officio exercendo animae propriae pericula incurrat, per se patet, cautelis et mediis, quae religio suministrat, sese muniat oportere.

2. Medicus, si pro futuro sese jam obligavit ad curam habendam aegrotorum, statuto salario, tempore morbi contagiosi locum deserere nequit: qui autem liberum plane retinuit exercitium suae artis, quoniam ex sola caritate tenetur, raro obligatur cum propriae vitae periculo manere.

§ 4.

De restitutione in bonis fortunae debita propter fornicationem aut stuprum.

1. Per se propter corporis laesionem etiam vi factam restitutionis 480
obligatio, utpote impossibilis, non adest: at qui vi mulierem oppressit, ob id etiam solum juste a judice damnatur, ut injuriam pecunia redimat; neque injustum est, si mulier juri denuntiandi violatoris, nisi oblatâ sibi pecuniâ, non renuntiat.

2. Attamen si mulier vi oppressa, aut gravi metu ad consensum dandum permota est, violator ex se tenetur reparare omnia damna, 1) quae puella patitur, quum jam bene nubere non possit, 2) quae parentibus oriuntur ex infamia aliisve incommodis, 3) quae incurruntur propter expensas pro prole alenda, educanda, si puella conceperit.

Hinc si aliâ viâ damna plene resarciri possunt, neque promissio matrimonii facta est, ad matrimonium cum puella ineundum obligatio per se non adest. At si causa ad judicem ecclesiasticum defertur, violator, etsi puella gravida non evaserit, adigitur ad puellam aut ducendam aut dotandam, per se *pro libitu puellae violatae.* Nihilominus vir repugnans non adeo severe ad matrimonium adigitur.

3. Si puella sponte sua in peccatum consensit, violator tenetur 481
tantum, idque in solidum cum puella, circa prolem forte natam. Attamen parentes puellae possunt nihilominus coram judice agere ob damna sibi obventura, ut ex onere augendi dotem. Alia obligatio, ut ex injusta diffamatione, per accidens etiam oriri potest.

4. Si puella sub matrimonii promissione sive vera sive ficta ad peccandum inducta est, communissima doctrina tenet, juvenem obligari ad puellam ducendam, non solum quando gravida evaserit, sed etiam si non conceperit: aliter habetur injusta deceptio, quae solo matrimonio inito reparatur.

Attamen haec obligatio corruit, si causae omnino graves contra matrimonium adsunt: 1) si magna disparitas conditionis; non tamen sola disproportio divitiarum, nisi ex circumstantiis puella promissionem matrimonii pro ficta habere debuit; 2) si malus exitus matrimonii jure timeri debet, v. g. si puella nimis levis est; 3) si juvenis magnas inimicitias magnumque et diuturnum odium parentum et proximorum incursurus sit: at si discordias brevi cessaturas esse praevidetur, potius standum est matrimonii obligationi secundum ea, quae dicentur de sponsalibus, quibus parentes sese opponant.

Verum alia reparatio non jam propterea excluditur, quod matrimonii ineundi obligatio aut facultas desit: neque illa alia reparatio propterea

excluditur, quod fortasse puella jam nubere nolit juveni, si videlicet hujus voluntatis justam causam habet. Cf. S. Alph. n. 647.

5. Si puella plures viros admiserit, ac propterea dubium oritur, quinam sit pater prolis, nemo videtur obligari posse, si puella providere proli potest; sed ipsa sibi damnum adscribere debet. Aliud est, si vis ei inferatur, aut si de muliere matrimonio juncta agitur.

§ 5.

De restitutione in bonis fortunae debita propter adulterium.

482 In praesenti quaestione ad ea, quae de fornicatione dicta sunt, accedit damnum mariti ex suppositione prolis adulterinae pro legitima, et damnum, quod filii in haereditate incurrunt ex adulterinae prolis consortio [1]. — Quare:

1. Qui injuste extorsit adulterium a muliere (sive violenta oppressione, sive metu incusso etc.), tenetur solus de omnibus damnis, quae uxori, marito, legitimis filiis oriuntur.

2. Si mulier libere in adulterium consensit, uterque adulter *in solidum* restitutioni obnoxius est relate ad damna, quae marito legitimisque filiis oriuntur; per se quisque pro dimidia parte damnorum obligatur [2].

3. Mulier adultera restitutionem facere debet ex bonis paraphernalibus, si quae habet, aut ex dote sua post mariti mortem; si nihil proprii habet, majore labore et industria studeat viro suo damnum reparare, quantum potest, atque etiam alia via pro possibilitate damno filiis legitimis impendenti occurrat.

At vix unquam ad sui criminis revelationem propriamque subeundam infamiam tenetur; imo plerumque propter pessimos effectus sic ne licet quidem agere.

483 4. Si plures adulteri ad mulierem accesserint circa idem tempus generationi aptum et, cujusnam sit proles adulterina, nesciatur: dicendum esse puto, teneri omnes pro rata dubii ad damna marito filiisve legitimis oritura reparanda, idque aut *cum* uxore, aut pro

---

[1] Adulteri tenentur de damnis, quae *per se* ex suppositione adulterinae prolis oriuntur seu connexionem per se cum ea habent, e. g. de diminutione paternae haereditatis, vel alterius haereditatis *ex lege* legitimis filiis *debitae*. Si quis vero consanguineus remotioris gradûs proli adulterinae, quam pro legitima habet, ex mera liberalitate donum vel legatum concedit, quod, nisi ita errasset, fortasse alteri donasset: restitutio illi tertio ab adulteris non debetur, quia ejusmodi damnum potius *per accidens* cum adulterio conjungitur. Cf. Lugo d. 13 n. 37. Quamquam ipsa proles adulterina, si *certo* suum ortum sciret, dona illa, utpote ex errore facta, recipere vel retinere non posset.

[2] In casu valde raro vir adulter, excepta obligatione circa prolis procreatae educationem, ab ulteriore restitutionis obligatione excusari potest. Sc. si adulter nullo modo inducit mulierem ad prolem adulterinam pro legitima supponendam, atque mulier adultera citra infamiae periculum *facile* hanc suppositionem evitare potuit, ipsa sola hujus suppositionis ideoque damnorum sequentium rea est. At raro valde id obtinebit.

diversis circumstantiis, si sc. mulier principalis causa incertitudinis fuerit, *post eam;* S. Alph. quidem eos solos obligat, qui *plurium* accessum *sciverint.*

5. Fornicarios aut adulteros, qui prolem ex peccato conceptam ad brephotrophium mittunt, ex justitia ad compensandas expensas teneri, non constat, quia videntur fundatores intendisse bonum prolium, quod, etiam quando parentes sunt divites, in periculum vocatur. — Aliud sane dicendum est, si, ejusmodi pia fundatione non exsistente, prolis educatio expensis aliorum civium fieri debet: imo etiam in priore casu convenit, ut quaedam compensatio fiat.

NB. De damnis cum *laesa fama* conjunctis vide n. 598.

Caput IV.

De restitutione propter cooperationem cum damno.

Diversae cooperationes hoc trito versiculo continentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Tres posteriores communi nomine *„negativa cooperatio"* dicuntur, ceterae *„positiva"*. Pauca de singulis.

§ 1.

Jussio et mandatum.

Conjungimus *jussionem* et *mandatum,* quamquam non omnino idem 484
sunt. Nam *conveniunt* mandatum et jussio in eo, quod et jubens et mandans *principalis* auctor eorum sit, quae mandato sive jussione fiunt, siquidem exsecutor nomine alieno, i. e. mandantis vel jubentis agat. In hoc autem *differt* mandatum a jussione, quod jubens *auctoritate sua adigat* exsecutorem, mandans vero *libera conventione alteri* actionem aliquam exercendam *committat.*

Nostrum igitur est, considerare, quid juris sit, si quis jussione vel mandato in damnum inferendum influxerit.

1. *Sive jubens sive mandans tenetur principaliter damna omnia reparare, quae alter vi sui mandati vel jussionis tertio intulit.* Exsecutor enim quoddam instrumentum jubentis seu mandantis est; hic primarius auctor totius damni habetur.

2. *Etiam ea damna a jubente seu mandante reparanda sunt, quae in mandati exsecutione difficulter caveri poterant,* quia haec damna cum ipsa jussione ita cohaerent, ut, humano modo re considerata, ex jussione seu mandato orta et praevisa sint.

3. Si vero exsecutor in iis, quae facile omittere vel cavere poterat, limites mandati transgreditur vel errat, de illo excessu vel errore jubens sive mandans non tenetur: quia in his exsecutor proprio nomine agit, neque mandans horum damnorum causa, sed summum *occasio* est.

4. *Si quae damna ipse exsecutor patitur,* mandans mandatario damna reparare non tenetur, nisi forte de hoc contraxerunt; *jubens* vero *illi,*

quem ad exsecutionem coëgit, damna omnia reparare debet, quae exsecutor intra limites jussionis manens contraxit, si modo aliqua ratione praevideri potuerunt.

5. Si quis alterum conducit pro mercede, aut precibus inducit ad damnum inferendum tertio, videndum est, utrum damnificator seu exsecutor *suo*, an *alterius nomine* egerit, ut discatur, debeatne inducens primo loco damna reparare: quod praesumendum generatim est, si res in ipsius commodum erat.

485 6. In casu retractationis ante mandati exsecutionem:

1) *Mandans liber evadit* et obligatio tota in mandatarium transit, a) si retractatio re ipsa satis mature ad mandatarium pervenerit; aut b) si ille acceptas literas, quas suspicabatur continere retractationem, ex industria clausas servavit.

2) *Mandans non liberabitur*, si retractatio sive casu sive aliena culpa ad mandatarium re ipsa non pervenerit. Utrum autem mandans recursum habeat ad eum, qui fortasse sua culpa retractationem impediverit vel retardaverit, ex culpae ab illo commissae conditione pendet. Cf. *Theol. mor.* n. 1000 et 1001.

§ 2.

Consilium.

486 1. Consilium in eo convenit cum jussione, quod alterum ad agendum impellat, sed in eo discrepat, quod consulens non sicut mandans aut jubens principaliter agens sit, siquidem actio non consulentis nomine exercetur, etsi pro diversa consilii conditione principalis causa aliquando dici possit.

2. Consilium distinguitur *nudum* vel *vestitum*. Posterius habetur, si cum consilio seu suasione etiam motiva aliave media agendi subministrantur; nudum, si nihil horum adjungitur.

3. Consilium nocivum, de quo solo hîc agimus, potest injuste nocivum esse 1) ei, cui datur; 2) alteri, contra quem datur.

Quibus praenotatis, haec de restitutione statuenda sunt:

1. Consulens peccat contra justitiam, quando sciens et volens alicui consilium praebet, ex quo damnum injustum cuipiam oritur, ideoque ad illud damnum reparandum tenetur aut primarie aut secundarie pro diversa consilii conditione.

2. Imprimis igitur videndum est, contra quem injustitia fuerit commissa. Si injustitia, ut fraus et deceptio, commissa est contra eum, cui datum est consilium, consiliarius tenetur *primarie* ad reparanda damna, tum quae decepto[1] orta sunt, tum ea, quae ille fortasse aliis vi istius consilii, ideoque involuntarie, intulit. — Si vero, qui consilium accepit, sciens et volens *iniquum* consilium secutus est atque ita tertio cuipiam damnum intulit, consulens tantum *secundarie* tenetur.

---

[1] Ceterum qui petit consilium in aliquo negotio ab eo, quem scit vel scire debet, nulla cognitione vel prudentia in ea re pollere, si ipse illius consilio confisus damnum patitur, id sibi adscribere debet: aliud est, si petitur consilium ab homine perito, sive ab eo, qui in ea re peritiam profitetur vel affectavit.

3. Consilium efficaciter damnosum non censetur esse, quod datur ei, qui jam omnino determinatus est ad damnum illud inferendum neque propter consilium acceptum ad majus damnum inferendum movetur. Num idem dici possit de consilio citius vel certo modo inferendi damnum, ab adjunctis pendet, nam ista consilia non raro influunt in substantiam.

4. Consilium damnosum qui dedit, ex justitia tenetur revocare, 487
ut damnum, antequam oriatur, impediat, aut damni progressum sistat: quod etiam tunc faciendum est, quando aliquis bona fide consilium nocivum dederit, si modo, cognita veritate, revocatio cum incommodo relative magno non conjungatur.

Revocatio sufficiens, si fit, a reparatione damni postea secuturi consiliarium liberat; quaenam autem revocatio re ipsa sufficiat, ex diversa consilii dati conditione pendet. Nam in consilio simplici sufficit sola revocatio; in consilio erroneo error dedocendus est; in consilio motivis vestito alia motiva aeque efficacia proponi debent; si media exsecutionis ostensa sunt, obstaculum efficax opponi debet, vel moneri ille, qui secus damnum est passurus.

5. Consilium minus malum prae majore committendi sane excusat consulentem: saltem si mentem damnificatoris in certam personam non direxit, de qua hic antea nullatenus cogitavit. Cf. *Theol. mor.* n. 1002—1005.

§ 3.

Consensus.

Consensus hîc habetur, quando complures communi suffragio ali- 488
quid decernunt, faciunt, ex quo alii injustum damnum subituri sunt. Utrum obligatio restituendi primaria sit, an secundaria, pendet a conditione actionis *totalis:* quare id hoc loco non attendimus, sed solum hoc conamur statuere, quae sit obligatio singulorum relate ad reliquos.

Cooperandi modus, de quo loquimur, praecipue habere potest locum in sententia judiciali injusta, in comitiis publicis, quando leges et decreta injusta atque nociva decernuntur. In genere igitur statuendum est:

1. Qui complent numerum necessarium suffragantium, semper restitutioni obnoxii sunt.

2. Etiam qui excedunt numerum necessarium, restitutioni obnoxii sunt:

1) si ex conspiratione agitur, ut generatim fit intra eandem fractionem deputatorum ab ejus membris; 2) si omnes simul suffragium ferunt, ita ut nullus sit suffragantium ordo, nulla successio, quod evenire *potest*, e. gr. si stando, sedendo etc. simul signum consensûs datur; 3) si numerus *excessivus* est, qui determinet alios cooperatores, ut actionem damnosam compleant et efficacem reddant, aut, ne sua suffragia retractent; 4) si ii, qui accedunt ad numerum jam completum, causa sunt, cur alii, qui *injuste* abfuerunt, se a restitutione immunes judicare possint: quod si accidit, singuli eorum, qui ita in causa sunt, *pro rata* restitutioni obnoxii evadunt.

Nisi autem harum circumstantiarum una alterave adfuerit, illi, qui post completum numerum necessarium accedunt, probabiliter a restitutione excusantur: S. Alph. n. 566. — Si autem dubium est, num numerus jam fuerit completus, tenetur, qui accessit, *saltem pro rata:* S. Alph. ibid.

489 3. Obligatio restitutionis ex suffragio dato oriunda videtur exstingui, si, antequam actio damnosa legaliter perfecta fuerit, suffragium sincere ita revocatur, ut alii etiam revocare atque damnum efficaciter impedire *potuerint.*

4. Qui non-dando suffragium causa injusti damni fuit, tenetur (quamquam post eos, qui positiva causa sunt) ad damnum reparandum, quando ex officio obligabatur ad damnum, de quo agitur, praecavendum. Quare *non tenetur* 1) qui ex justa causa absens erat, 2) cui ex mero privilegio et favore suffragium competit, 3) qui utcunque non ex justitia obligabatur ad damnum illud avertendum, etsi absentia contra caritatem fortasse deliquerit. Cf. *Theol. mor.* n. 1006 et 1007.

§ 4.

Palpo.

490 Palpo dicitur, qui laudando, vituperando, exprobrando alterum exstimulat ad damnum inferendum. Quare:

1. Qui ita agit, *consulenti* aequiparandus est quoad restitutionem.

2. Ejusmodi vero excitatio non tantum fit, quando aliquis expresse et directe verbis et consilio utitur; sed etiam indirecte fieri potest, e. g., quando aliquis alteri injuriam ipsi illatam ut atrocem in mentem revocat, vel adeo vivide repraesentat, ut alter ad vindictam sumendam inflammetur: si modo, qui ita egit, satis adverterit, probabiliter hunc effectum ex sua excitatione oriturum esse.

3. Qui vero post damnum perpetratum id approbat, laudat, per se restitutioni faciendae obnoxius non fit; attamen obnoxius fieri potest, quatenus haec approbatio aut ad nova damna alterum commovet, aut ad damnum illatum non resarciendum efficaciter determinat.

4. In dubio de influxu efficaci observa ea, quae de consulente etiam valent, ne prematur restituendi obligatio.

§ 5.

Recursus, sive de receptante seu recursum praebente.

491 1. Receptans ille dicitur, qui latroni vel furi refugium praebet, quo securus evadat contra insequentes et tuto bona furtiva deponere possit: a fortiori, qui in ipso furto securitatem praebet. Non accensetur eis ille, qui amicitiae vel cognationis causa eum a luenda poena protegit.

2. Eatenus igitur receptans obligationis restituendi particeps fit, quatenus causa est 1) cur bona sublata non restituantur, 2) cur fures vel damnificatores, securitate oblata freti, animentur ad damna inferenda. — Si autem receptans etiam rei furtivae partem accipit, simul sub alio titulo restituere debet, v. g. qui emunt vel ad emendum paratos se ostendunt ab hominibus suspectis.

§ 6.

Participatio.

Participatio intelligitur praecipue immediata: nam mediata est in 492
omnibus aliis cooperationibus. Versari autem potest circa ipsam actionem damnum inferentem, aut circa rei alienae detentionem.

1. Participans in re aliena detinenda seu in praeda tenetur restituere, idque principaliter ipsam rem, quam detinet.

2. Participans in actione damnificante tenetur saltem restituere damnum pro rata suae actionis idque principaliter, si proxime et immediate agit: si vero ut moralis causa in totum damnum influit, reliquum damnum etiam secundarie restituere debet.

3. At si mandato, jussione, coactione alterius agit, aut actionem physice sed remote tantum cum damno tertii conjunctam ponit, ne suam quidem partem damni *primarie* resarcire debet, imo aliquando ab omni restituendi obligatione excusatur, sc. si tam gravis est metus, quem patitur, ut secundum principia de cooperatione mediata vel immediata illa participatio in damnum tertii licita evadat: quod in bonis fortunae utique facilius fieri potest, quam in bonis altioris ordinis.

§ 7.

Cooperatio negativa.

Hujus cooperationis tres modi assignantur „mutus, non obstans, 493
non manifestans“: qui materialiter diversi sunt, non formaliter.

Mutus dicitur, qui, *antequam* damnum inferatur, loquendo id impedire potest nec facit. — Non obstans ille est, qui, dum *malum* infertur, id avertere, impedire utcunque potest, sed non impedit. — Non manifestans dicitur, qui *post* damnum illatum illud silentio premit, quum manifestando illius reparationem inducere possit, vel ulteriores sequelas praescindere.

1. Qui negative tantum influit in damnum alterius, non tenetur ad restitutionem, nisi *ex justitia* seu *ex officio* illud impedire debuerit. Alias quidem per se contra caritatem peccavit, at ex caritatis laesione restitutioni non fit obnoxius, v. g. confessarius, qui non monuit poenitentem de restitutione; famulus relate ad res suae curae non concreditas.

2. Qui vero ex officio constitutus est ad curam bonorum alienorum habendam vel ad praecavenda damna, restituere debebit (quamquam non primarie), quando gravem negligentiam in suo officio commiserit, vel sciens et volens damnum permiserit, v. g. custos silvarum, agrorum.

3. Sicut autem gravis metus aliquando excusat a culpa et a restitutione eum, qui *positive* cooperatur, ita magis etiam eum, qui negative tantum in damnum influit, saltem communiter loquendo. Frequentius tamen pericula gravis damni illi ex justitia subire debent, qui ad tuendam publicam securitatem in officio constituti sunt.

Caput V.

De variis restitutionis circumstantiis.

494 Circumstantiae, quae restitutionis obligationem magis explanant, hae fere sunt: 1) quantum quisque restituere debeat et quo ordine, si plures concurrerunt ad damnum; 2) cuinam restituendum sit; 3) quo ordine compluribus satisfieri debeat; 4) quo *modo* restitutio peragenda sit; 5) quaenam sint causae a restitutione excusantes.

§ 1.

De quantitate debiti atque de ordine inter debitores.

Propter multorum cooperationem ad unum idemque damnum fieri potest, ut singulis insit obligatio aut totam indemnitatem procurandi aut partem damni tantum restituendi. Alterutra autem obligatio alicui incumbere potest aut absolute aut hypothetice tantum, i. e. in hypothesi, quod alii non restituant aut restituere non possint.

Si singulis incumbit obligatio id efficiendi, ut dominus laesus integre indemnis fiat, dicuntur *in solidum* ad restitutionem obligari.

1. Ut aliquis *absolute* obligationem restituendi habeat, debuit esse damni auctor *principalis;* ut autem hypothetice obligationem restitutionis habeat, sufficit *utcunque* etiam secundarie, seu positive seu negative, in damnum influxisse.

2. Inter ipsos cooperatores seu causas secundarias potest adesse ordo dependentiae, si videlicet alii aliis remotius cooperati sunt. Si qui enim cooperati quidem sunt secundarie, ita tamen ut alii principalius, quam alii egerint: qui remotiorem influxum exercuerunt, solum in defectu aliarum causarum magis principalium tenentur. Qui autem eodem ordine causalitatis damnum effecerunt, *si* ad eos obligatio restitutionis devolvitur, singuli certe ad partem suam pro numero operantium tenentur; deficientibus aliquibus, reliqui, aut etiam unus qui restat, totum damnum reparare debet.

495 3. *Ordo* vero, secundum quem restitutio facienda est, hic teneri debet:

1) possessor rei alienae, saltem si quis est malae fidei possessor;

2) mandans seu jubens, isque relate ad merum damnum omnium primus est; cui aequiparandus videtur ille, in cujus favorem alter ab ipso rogatus damnum intulit;

3) exsecutor;

4) positivi cooperatores, saltem generatim, neque ordinarie inter eos aliquis ordo exsistit;

5) negativi cooperatores, iique, si plures sunt, generatim etiam inter se eodem ordine.

496 4. *Ut obligatio restituendi in solidum utcunque pro aliquo exsistere possit, requiritur et sufficit, ut damnum totum ei tamquam causae utcunque adscribi possit.* Quod discerni sine difficultate plerumque potest,

nisi plures *in eodem genere causalitatis* concurrerint. Si hoc modo plures concurrerunt, videndum est: 1) num *ex conspiratione stricte dicta* egerint, ita scil., ut singuli ad consilium mutuum capiendum efficaciter ceteros determinaverint; 2) num singulorum seu cujuspiam actio in suo genere *sufficiens* fuerit ad damnum totum sive immediate sive mediate efficiendum; 3) num actio, etsi non sufficiens, tamen *necessaria* fuerit, ut damnum inferri posset. Quorum unum si obtinet, de obligatione restituendi in solidum dubitari nequit: alias restitutio ad partem restringitur, v. g. a) in eo, qui se adjungit aliis jam determinatis ad rem furtivam transportandam, *si ipsius auxilio non indigent*, b) in eo qui, aliis ignes aedificio subjicientibus, movetur, ut ipse etiam in ejusdem aedificii partem ignem conjiciat, qui quidem *suffecisset* ad totum damnum producendum, sed nunc revera *non sufficiebat.*

5. *In dubio de influxu in totum damnum obligatio restituendi in solidum imponenda non est.* Neque imponenda est, si est probabile, ab aliis suam partem restitutam esse vel restitutum iri. Imo etsi re ipsa obligatio adsit, saepe expedit, id non monere poenitentem, idque ex praesumpto consensu ipsius domini laesi, qui praeferat partem, quam nihil restitutionis recipere.

6. *Qui secundarie tantum ad restitutionem tenebantur, si damnum* 497
reparaverunt, recursum habent ad causam primariam, idque etiam per occultam compensationem; ad alias causas secundarias solummodo pro parte atque tum tantum, quando obligatio restituendi ad secundarias causas devoluta est.

7. *Si causae principali a domino laeso facta est condonatio, causae omnes secundariae liberantur;* si vero causae alicui secundariae remissio facta est, *neminem*, qui *potius* obligatus est, condonatio juvat, neque ii, qui *eodem ordine et jure* tenentur, a sua parte restituenda eximuntur. Cf. *Theol. mor.* n. 1015—1018.

§ 2.

Cuinam restitutio facienda sit.

Proposita quaestio ex se difficultatem non habet, siquidem illi, qui 498
laesus est, restitutio fieri debet: attamen per accidens difficultas oriri potest ex eo, quod ii, qui laesi sunt, aut cognosci aut adiri non possint; neque semper — id quod alibi jam notatum est — obligatio *gravis* exsistit erga ipsum illum, qui laesus est, restitutionem faciendi. Quare, ut paucis diversos casus, qui facilius occurrere possunt, contraham, noto sequentia:

1. *Restituendum est domino rei certo et noto, vel ei, qui juste rem possedit, nisi nimia difficultas aut alia causa excusat.*

2. Si obligatio restituendi, aut obligatio ipsis dominis utpote graviter non laesis restituendi sub levi tantum urget, ex causa mediocriter gravi id omnino licite permittitur, ut *pro domino laeso pauperes quilibet vel causa pia eligantur:* nisi forte in quibusdam adjunctis *pauperes loci* prae aliis eligendi sint.

3. Si igitur multi ex certo quodam loco laesi sunt, ut fieri contingit fraudibus in pondere et pretio a mercatoribus commissis: iis,

quos notabile damnum passos esse cognoscitur, certe restitutio fieri debet; alias: a) consultum est augere pondus et mensuram emptoribus moraliter iisdem occurrentibus; b) quod si fieri nequit, restitutio in pauperes vel causam piam *ejusdem loci* fiat; c) attamen, ut *ejusdem* loci pauperes eligantur, *gravis* obligatio non est: unde notabilis difficultas ab omni culpa eum excusat, qui *quoslibet* pauperes, quibus restituat, sibi elegerit. Cf. S. Alph. n. 534 et 595; Lacroix l. 3 p. 2 n. 417.

499 4. Si dubium est circa paucos dominos, cuinam jus restitutionis accipiendae competat, pro rata dubii valor pro restitutione debitus in singulos dividi debet, idque sub gravi, quando de materia gravi agitur, nisi alia causa excusans exsistat.

5. Si laesa est communitas atque ita laesa est, ut communitas qua talis seu certus aliquis communis finis damnum re ipsa patiatur, illi, i. e. personae morali seu juridicae, quae laesa est, restitutio omnino fieri debet, neque sufficit per se, pauperes ejusdem vel alterius loci eligere. — Facilius tamen pauperes ejusdem communitatis tunc eligi possunt, si ipsi communitati, quae laesa est, horum cura incumbit. Magis id licet, si non ipsa illa communitas seu communis finis damnum patitur, sed potius singuli cives, qui eo amplius ex suis ad illum finem conferre coguntur.

500 6. Singularis quaestio est, quando agitur *de bonis vel debitis, quae theologi vocant incerta,* scilicet iis, in quibus ne probabilis quidem ratio pro *certis et determinatis* dominis habetur.

Nimirum 1) Si bona fide vel sine peccato ex errore acquisita fuerint bona, quorum dominus plane incertus et incognitus est, ea rebus amissis et inventis aequiparari possunt.

2) Si ejusmodi bona acquisita vel debita contracta fuerint ex delicto, sententia communissima et prorsus tenenda est, restitutionem esse faciendam, eamque pauperibus sive causis piis.

3) Ex hac vero ratione, quod pauperes causaeve piae pro dominis eligendi sint, efficitur, ut aliquando onus restitutionis exstingui possit etiam in iis adjunctis, in quibus non exstingueretur, si dominus laesus certus et notus esset, scilicet a) quando debitor ipse pauper est; b) quando a S. Pontifice condonationem vel reductionem accepit: ejusmodi enim jus Pontifici ut summo causarum piarum administratori, urgente gravi ratione, competit. Cf. *Theol. mor.* n. 1022 seq.

§ 3.

Quo ordine restituendum sit, seu potius quo ordine diversa debita sint solvenda.

501 Ordinem certum in solvendis debitis observari, per se nihil ad justitiam pertinere, quando omnibus creditoribus satisfieri possit, manifestum est. Tum igitur solum quendam ordinem servare interest, quando debitor omnibus solvendo impar est. In qua hypothesi quaedam certa, quaedam controversa sunt:

1. Quae certa sunt, hisce tradam.

1) Res aliena in individuo exsistens domino reddenda est.

2) Cessione bonorum jam facta vel incepta, debitor non suo arbitrio, sed secundum legum positivarum statuta solutionem facere debet; nam illo ordine inverso creditorum jura certa laederentur.

3) Creditoribus privilegiatis, si repetunt suum debitum, ante reliquos satisfieri debet.

4) Creditoribus hypothecariis, si in unam eandemque rem jus hypothecale habent, servato temporis ordine satisfaciendum est; neque in hac re seria est difficultas.

5) Dein reliqua debita solvenda sunt, ita tamen ut a) ea, quae *stricta justitia* debentur, sive ex contractu sive ex delicto, omnino sint solvenda ante illa, quae debentur ex gratuita promissione; b) ut debita erga certos creditores prius solvi omnino expediat, quam debita incerta.

Plerique dicunt *ex obligatione* prius solvenda esse debita certa, quam incerta; quum vero S. Alph. n. 687 contrarium etiam pro probabili habeat, vid. posse utriusque generis debita solvi pro rata: satius duxi dicere, quid *saltem practice expediat.*

2. In ipsis vero debitis communibus seu nullo modo privilegiatis, 502
quum non una sit sententia docentium, quae quibus praeferri postponive possint aut debeant: practice in foro conscientiae haec *licent* debitori, qui statum suum labilem scit, attamen cessionem bonorum suorum re ipsa nondum fecit (cf. S. Alph. l. c.; Lugo disp. 20. sect. 7):

1) Potest fieri integra solutio creditori priori (erga quem debitum jam diutius contractum est), sive repetit debitum, sive non repetit.

2) Potest fieri integra solutio creditori, qui tempore posterior est, *si repetit prius* suum debitum.

3) Potest singulis creditoribus, tempore debiti contracti non attento, solutio fieri pro rata.

4) Potest probabiliter integra solutio fieri creditori, qui tempore posterior est, etsi non petat, si relate ad alios creditores *pauper* est. S. Alph. n. 691 putat, „posse praeferri pauperiorem, recte dici probabile."

3. Solum igitur id *acriter disputatur,* num sit illicitum atque 503
justitiae commutativae contrarium, si integra solutio alteri creditori non pauperi, qui tempore posterior est, offeratur a debitore, a creditore accipiatur. — Unde practice efficitur, ut justitiam laesam esse *non possit probari. Theol. mor.* n. 1027.

In quantum autem leges positivae alicujus regionis obstant vel aliis creditoribus jus concedunt rescissionem solutionis ex parte postulandi, id omnino servandum est. Ita in Gallia ex lege 28. Maji 1838 invalida esset solutio, sive post cessionem bonorum a tribunali declaratam sive intra 10 dies ante; in Statibus Foeder. Americae Sept. solutio intra 4 menses (vel etiam ultra) cessioni bonorum praevios declaratur invalida — diversi tamen Status diversos terminos assignant.

§ 4.

De modo restitutionem peragendi.

Restitutionem aperte et domino conscio fieri, nullatenus necesse 504
est, sed sufficit, ut fiat ea ratione, loco et tempore, ut dominus vere et plene indemnis reddatur.

1. Potest igitur restitutio fieri augendo pondus et mensuram, excedendo debitos labores et servitia, aut etiam per simulatam donationem, modo res sic aucta vel donata domino vere *tanti valeat*, quantum est damnum illi illatum, neve mutua donatio vicissim accipiatur.

Hinc quando fas est, pauperibus pro domino restituere, eleemosynae post contractam obligationem datae pro parte restitutionis saepe computari possunt.

2. Potest restitutio fieri per hominem *intermedium*, nuntium, confessarium etc. Qui si fuit a creditore assignatus vel ex ejus interpretativa voluntate ut ipsius negotiorum gestor constitutus seu consideratus, loco creditoris accepit, ita ut debitum exstinguatur, etsi casu res non pervenerit in manus creditoris: alias obligatio restituendi non exstinguitur, nisi domino re ipsa satisfactum sit. Cf. *Theol. mor.* n. 1030.

505 3. Restitutio facienda est stricto jure *in eo loco, in quo dominus rem seu valorem possideret*, si damnum ei illatum non fuisset; at si domino nihil interest aut pluris interest restitutionem fieri in alio loco, debitor pro majore suo commodo id eligere potest: haec quidem, si obligatio oritur ex culpa; imo ne damnum quidem duplo majus, quam ipsum debitum, debitorem a subeundis expensis excusat. Si vero obligatio ex sola re aliena cum bona fide detenta, vel ex contractu exsistit, aliae regulae statuendae sunt, ne debitor cum suo damno gravetur.

4. Restitutio facienda est *statim ac fieri potest*, at moraliter loquendo; quare ad brevem dilationem mediocris ratio sufficit, v. g. commodior occasio etc.: si vero gravis causa exsistit, debitor etiam in diuturniore dilatione non peccat; secus graviter aut leviter peccat, prout diutius aut brevius differt. — Si vero ex culpa restitutionis obligatio oritur, etiam damna, quae domino ex illa dilatione oriuntur, resarciri debent, si aliquo modo poterant praevideri.

§ 5.

De causis a restitutione sive omnino sive ad tempus excusantibus.

506 Causae excusantes referuntur fere ad impossibilitatem, condonationem legitimam, solutionem aequivalentem. Plenius hae enumerantur:

1) Impotentia atque magna difficultas debitoris; 2) remissio a creditore facta; 3) cessio bonorum; 4) damnum creditoris vel alicujus tertii; 5) solutio creditoris creditori facta; 6) rei interitus; 7) compensatio; 8) auctoritas judicis; 9) donatio creditori facta; 10) incertitudo debiti; 11) transactio; 12) ingressus in religionem; 13) praescriptio; 14) compositio S. Pontificis auctoritate facta.

Pauca de singulis, in quantum nondum explanata sunt per ea, quae in superioribus exposita continentur. Cf. *Theol. mor.* n. 1033 sqq.

1. De *impotentia* et magna debitoris difficultate. Ex hac igitur ad tempus, seu quamdiu illa difficultas exstat, excusantur: qui ipse vel cujus proxime cognati in *extrema* necessitate versantur; vel etiam in quasi-extrema seu valde gravi, nisi creditor in eâdem sit; qui restituendo e statu suo juste acquisito plane excideret (verum intra statum suum parcius vivere, expensas omnino minuere debet); qui sine gravi damno altioris ordinis, v. g. gravi vitae vel famae periculo, restituere

nondum potest; si per restitutionem, etsi ex quadam fragilitate, in magnum animae periculum, v. g. desperandi, filias prostituendi induceretur.

2. *Remissio* a creditore facta, si modo libere et legitime facta est: imo aliquando cum lata quadam certitudine remissio illa praesumi potest, ut in furtulis filiorum, famulorum et similium, ex nota domini liberalitate.

3. *Cessio bonorum* secundum leges facta id saltem privilegium tri- 507
buit debitori, ut residuorum debitorum solutionem tamdiu valeat differre, dum postea commode possit. Ut autem hic favor in conscientia valeat, excluditur 1) omnis cessio fraudulenta; 2) etiam bonorum cessio ex delictis inducta seu causata; 3) retentio bonorum occulta praeter ea, quae lege conceduntur: nam, licet in conscientia ea bona retineri possint, quae ad parce vivendum pro conditione debitoris necessaria sunt, idque occulte, si forte per leges necessaria non concedantur, tamen quod praeter leges retinetur, excluditur etiam postea a favore legis, ita ut pro hac restitutione *commoda* facultas exspectari non possit.

Per se autem neque judicialis neque conventionalis bonorum cessio excusat a futura residuorum debitorum solutione, nisi forte aut expressa creditorum declaratione aut aliis signis satis certis pateat, creditores voluisse debita, quae restent, absolute condonare. Neque sufficit, si leges postea *actionem judicialem* creditorum non amplius admittunt; haec enim sola actionis fori externi denegatio est, quae neque jus neque debitum in foro interno exstinguit. — Si vero alicubi communis persuasio est legem sic interpretandam esse, ut in conscientia omne debitum exstinguatur, atque ex tali persuasione majus foenus pro pecunia concredita solvitur, mitiori praxi aliquid dandum est, at tunc simul excludi debet omnis rerum occultatio praeter res a lege permissas.

4. *Damnum creditoris* vel alicujus extranei, si quod oriretur ex 508
instantanea restitutione, ratio est quae ex caritate *postulet* dilationem.

5. *Solutio, quae creditoris creditori fiat,* non semper ab onere liberat; nam creditor rationabiliter potest esse invitus circa hanc permutationem.

6. et 7. *Interitus rei* et *compensatio* quomodo liberet, supra habes.

8. Item, quomodo *sententia judicis,* etsi objective non plane justa, titulus evadere possit, quocum fiat praescriptio, habes n. 430.

9. *Donatio facta creditori* ab eo, qui debiti immemor fuit, saltem si noluisset mere liberaliter donare, quando debiti memor fuisset: S. Alph. n. 700 id pro practice probabili habet.

10. Quomodo et quando propter *debita incerta* adsit ratio debitum exstinguens, supra satis dictum est.

11. *Transactio.* Quae est conventio extrajudicialis, qua, lite jam mota, partes litigantes rem dubiam componant modo utrisque oneroso, vid. ita ut uterque, alter alteri, aliquo jure dubio, quod *fortasse* habet, cedat, sed vicissim pro majore jure dubio jus minus, at certum recipiat. Si, transactione bona fide facta, alteruter litigantium invenit, sibi jus certum in totam rem fuisse, alteri nullum; tamen transactioni semel factae standum est, neque ab altero aliquid restituendum, nisi forte

transactio redundet in praejudicium tertii, cujus jure transigentes cedere non poterant. Reuter n. 270.

509 12. *Ingressus in religionem.* Num et quando debitori aere alieno gravato religioso fieri liceat etiam cum probabili damno creditoris, non hujus loci est discutere, sed id jam dictum est in tractatu de statu religioso.

Verum religiosus debitor tenetur, si praelatus licentiam dederit, ad opera vel labores statui et conditioni religiosae convenientes, quibus lucrari possit, quae solvat; religio enim *non liberat* ab onere solvendi, nisi quatenus solutioni praestandae *impedimento* est; sed non tenetur ad eos labores, qui statum dedeceant vel extraordinaria opera sint, etsi praelatus licentiam dederit, nisi forte obedientiae praecepto eum ad id adstringere possit et adstringat. — Similiter si quae bona per religiosum sive haereditate, sive donatione, sive etiam stipendio pro ejus labore deductis expensis monasterio accederent, haec primo in exstinguenda ejus debita impendi deberent.

13. *Praescriptio* quomodo et quando a solvendo vel restituendo liberet, supra de praescriptione agentes diximus.

510 14. *Compositio S^i Pontificis* auctoritate facta, quae in bonis *incertis* occurrere possit, commemorata est n. 500. Hic pauca noto de restitutione bonorum ecclesiasticorum injuste direptorum.

Quae bona injuste occupata etiam a subsequentibus possessoribus, sive donatione vel haereditate sive venditione ad eos transierunt, secure retineri nequeunt, nisi S. Pontifex consenserit seu condonationem fecerit.

Circa bona mobilia aliquando ex adjunctis praesumptus consensus admitti potest, ut juste acquirantur, videlicet quando bona ejusmodi ab infidelibus direpta et divendita potius fidelium utilitati servire posse sumimus, quam infidelium, ea tamen ad veros dominos redire non posse satis patet[1].

---

[1] Et revera etiam dissimilis agendi ratio instructionibus a S. Poenit. datis et a Pio IX. approbatis, exigitur in absolvendis iis poenitentibus, qui bona mobilia ecclesiastica, et iis, qui immobilia a gubernio Italico occupata sibi acquisiverint. Praestat responsa occasione Jubilaei Concilii Vatic. data hic subjicere, data ex S. Poenit. 1. Junii 1869, quum *absolvendi* potestas confessariis per Bullam Jubilaei esset tributa, sub nn. 4—6:

4. „An et quomodo possint absolvi, qui acquisierunt et possident bona ecclesiastica immobilia alienata a gubernio?“

R. „Poenitentes qui detinent hujusmodi bona, non esse absolvendos, nisi prius loci Ordinario aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso Ordinario pro sua prudentia per dioecesim designandis, consignaverint syngraphan ab eis subscriptam seu coram testibus subsignatam, eique Ordinario quam primum transmittendam ac caute in Cancellaria dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se suosque haeredes et successores subjacere declarent: 1) retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae ejusque mandatis subinde parendi; 2) conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi; 3) adimplendi pia onera iisdem bonis annexa; 4) subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis, ad quae de jure pertinent; 5) monendi haeredes et successores per syngraphan subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.“

Circa bona immobilia autem vix quidquam aliud valet, nisi expressa S. Pontificis condonatio, quam maxime ex publica causa R. Pontifices saepius fecerunt. Missis exemplis antiquioribus, hîc refero quasdam condonationes a tempore perturbationis Gallicae factas per publicas conventiones seu concordata cum variis regnis. Ita 1) 15. Aug. 1801 Napoleoni I. condonatio facta est eorum bonorum ecclesiasticorum, quae ad illud usque tempus a gubernio occupata *et alienata* erant: quod responso S. Poenit. anno 1818 et postea per Breve Pii VII. 20. Oct. 1821 extensum est ad omnia bona, quae 15. Aug. 1801 a Gubernio occupata erant, sive fuerant alienata sive non. 2) Pro regno utriusque Siciliae habetur condonatio in conventione 7. Martii 1819, 3) pro tota Sardinia 14. Maji 1828, 4) pro Belgio 16. Sept. 1833.

Quae vero acquisita sunt aut privata occupatione, aut etiam sub auctoritate civilis potestatis in iis regnis, quibus condonatio facta non est — (neque hac in re pro condonatione plena haberi potest acceptatio salarii clericis quotannis a gubernio solvendi, nisi condonatio vere adjuncta sit) —, eo tantum modo legitime in possessione eorum, qui detinent, manere possunt, quod recursus habeatur in singulis casibus ad S. Sedem, quae etiamtum, imposita quadam „Componenda" pro causis piis, satis benigne injustam possessionem sanare consuevit.

Sectio IV.

De bonis externis juribusque transferendis.

Bona externa atque illorum jura duplici modo *transferuntur,* con- 511
tractibus et successione in locum defuncti. De utroque modo breviter agendum est, quum in illis, si uspiam, justitia laedi facile possit.

---

5. „An possint absolvi et sub quibus conditionibus illi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisierunt, quae postea aliis vendiderunt atque cooperati sunt ad contractus super iisdem bonis."

R. „Affirmative, deposito lucro exinde injuste percepto in manibus Ordinarii ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis."

6. „An et sub quibus injunctionibus possint illi absolvi, qui acquisierunt bona mobilia ecclesiastica?"

R. „Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore locorum piorum ad quae dicta bona pertinebant, quatenus emerint pretio, quod judicio Ordinarii seu confessarii fuerit minus justo. At si agitur de rebus, quae non sunt usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, aut de supellectilibus et vasis sacris, imponatur poenitentibus obligatio quam primum recurrendi ad loci Ordinarium ad hoc, ut super iisdem rebus juxta indultum ipsi Ordinario jam a S. Poenitentiaria concessum provideat."

NB. Facultas Episcopis data haec erat, ut possint fidelibus, qui recurrant, potestatem facere emendi res ecclesiasticas mobiles, remoto scandalo, atque 1) erogata eleemosyna ut supra, si pretium censeatur justo minus; 2) ut si agatur de rebus, quae servari possint, earum elenchum tradant Ordinario, et parati sint, eas soluto pretio, ecclesiae locisve piis restituere etc.

Partitio I.

De Contractibus.

Praeter scriptores de justitia et jure universim tractantes habes hîc: Beusch *de pactis et contractibus*, Schwane *de contractibus* seu *die Verträge.*

Caput I.

De contractibus in genere.

Articulus I.

Notio et divisio contractuum.

Definitur contractus duorum vel plurium conventio circa aliquid. Illud, de quo conveniunt, potest esse aut *res* aliqua, aut *actio*, aut *omissio*. Dicitur „duorum vel plurium consensus seu conventio“: per se enim sunt *duae* partes contrahentium, quarum unus alterius consensum acceptet suoque assensu consensum efficiat; quia vero ex alterutra vel utraque parte plures esse possunt, qui in eadem re conveniant, propterea dictum est: duorum *vel plurium* consensus.

512 Distinguuntur praecipue:

1) Contractus *unilateralis* et *bilateralis*, prout uni tantum parti, aut utrique obligatio imponitur, atque ita aut contra unam, aut contra utramque ex contractu actio judicialis instrui possit.

2) Contractus *gratuitus* et *onerosus* — quae distinctio fere cum praecedenti coincidit — prout cedit secundum formam suam in unius tantum partis utilitatem (gratuitus), aut per eum utriusque partis utilitas intenditur, seu ita alterutrius partis utilitas respicitur, ut ea pars suo onere etiam ad alterius utilitatem conferri debeat (onerosus) — aliis verbis, si jus unius ad id, quod alter *praestare* debeat, mutua *praestatione* habetur. — V. g. promissio et donatio sunt contractus gratuiti et simul unilaterales; commodatum et depositum gratuiti bilaterales; venditio est aliquis ex contractibus onerosis, qui nunquam non sunt bilaterales.

3) Contractus *solemnis* et *simplex*, prout certis formalitatibus a lege praescriptis perficitur, aut sine ejusmodi formalitatibus privato contrahentium consensu valide et legitime perficitur: v. g. venditio publico instrumento perfecta, aut venditio privatim facta.

4) Contractus *realis* et *consensualis*, prout aut requiritur ex uua parte *rei traditio* (contr. realis), aut solus utriusque partis consensus ad hoc sufficit, ut in sua specie exsistat. Ita v. g. promissio, et secundum pleraque jura venditio, sunt contractus consensuales; mutuum est contractus realis.

5) Contractus *realis* et *personalis*, prout ex contractu praecipue jus circa *rem* nascitur, ideoque *ipsa res obligata est*, aut *sola persona*

contrahens obligatur. — Sic promissio alicujus actionis potius est personalis, promissio alicujus rei plerumque realis est contractus.

6) Contractus *nominatus* et *innominatus* ita distinguitur, ut prior speciale nomen atque specialem actionem in foro judiciali habeat, alter speciali nomine vel actione careat, sed generali tantum titulo laesae justitiae in judicium deferri possit. Innominati sunt regulares et irregulares: priores revocantur ad has formas: 1) do ut des, 2) facio ut facias, 3) do ut facias, 4) facio ut des.

7) Contractus *nudus* et *vestitus*, prout per se solam obligationem in conscientia parit, aut etiam civilem obligationem, de qua in judicio conveniri possit. Sic contractus nudus est c. g. simplex stipulatio, qua aliquis cum altero convenit, se suam domum illi vendere velle.

8) Contractus *stricti juris* et *bonae fidei*, prout obligationes stricte definitae sunt, aut secundum aequitatem et consuetudinem dijudicandae relinquuntur.

9) Contractus *expressus* et *tacitus* (etiam *quasi-contractus*), prout consensus formaliter manifestatur, aut ex alia actione, v. g. officii susceptione colligitur. Juristae quasi-contractum paulo aliter sumunt.

10) Contractus *absolutus* et *conditionatus*, prout obligatio absoluta contrahitur, aut dependens fit ab aliqua conditione.

Contractus tum maxime a contrahentium voluntate pendet, tum 513
ab ipsarum legum determinatione. Quod ut melius intelligatur, distingui debent contractûs a) essentia, b) natura, c) accidentia. *Essentia* enim ea comprehendit, sine quibus contractus non subsistit; *natura* ea insuper addit, quae, tali contractu exsistente, simul secundum leges vel consuetudines adesse censentur, nisi contrahentes expresse contrarium statuerint: siquidem ambitus obligationum et jurium non solis verbis contrahentium, sed etiam lege, consuetudine, *aequa* interpretatione definiuntur; *accidentia* ea dicuntur, quae nisi expresse addantur a contrahentibus, cum contractu ipso non censentur constituta.

Singula vero, quae in quolibet contractu occurrunt, vel occurrere possunt, discutienda sunt, tum circa contractum ‚in fieri', tum circa contractum ‚in facto esse', i. e. circa obligationem juridicamque relationem ex contractu exortam. Ad contractum autem in fieri necessaria sunt a) objectum seu materia circa quam contractus versatur, b) personae contrahentium, c) legitimus consensus.

Articulus II.

De causis contractuum seu de contractibus in fieri.

§ 1.

De objecto seu materia, circa quam contractus versatur.

Objectum contractûs id omne et id solum esse potest, circa quod 514
contrahentes liberam juridicam facultatem habent, vel circa quod juridicam obligationem inire possunt. Conditiones autem hae enumerantur (cf. *Theol. mor.* n. 1048 sqq.):

1) ut sit objectum *possibile* tum physice tum moraliter; alioquin obligatio est plane impossibilis, vel voluntas sese obligandi assumi nequit;

2) ut sit objectum *exsistens* sive in re sive in spe: alioquin rei impossibili aequiparatur;

3) ut sit aut fieri possit offerenti *proprium:* de re enim aliena disponere nequeo; at teneor de fraude seu injustitia;

4) ut sit objectum aliquo modo *determinatum:* alioqui censetur actio contrahendi nugatoria;

5) ut sit objectum *honestum;* impossibile est enim, ad aliquod inhonestum exsistere obligationem; attamen actionis peccaminosae, sed simul onerosae, fieri potest aestimatio secundum incommoda vel labores conjunctos, et ita pretium post praestitum peccatum deberi potest, nisi leges in poenam jure pretii accipiendi privant (*Theol. mor.* n. 1052—1054);

6) ut sit objectum aliquo modo *pretio aestimabile,* si agitur de contractu oneroso seu de pretio reddendo: alioqui laeditur justitia, maxime quum non ita ex utilitate quam alter habet, sed ex onere quod ego fero vel ex re qua ego privor, pretium quod ego recipere possim, aestimari debeat. — Unde res spiritualis non potest esse objectum temporalis pretii: sunt enim duae res incommensurabiles.

Accidere tamen potest, ut, non accedente novo labore, sine injustitia nova merces aliquando sumi possit: v. g. si *suscepta obligatio* est objectum contractûs idque pretio aestimabile, atque illa per accidens sine labore aucto impleri possit. Ita de nuntiis, qui plura negotia eodem itinere possunt perficere: verum videndum est, quid consuetudo vel lex positiva hac in re definierit.

§ 2.

De personis contrahentibus seu de subjecto contractuum.

515 Ex iis, quae de objecto contractûs dicta sunt, jam patet, eos omnes contrahere posse, qui de rebus vel actionibus suis liberam habent disponendi facultatem. At id non ex sola hominum natura, sed etiam ex positiva lege repeti debet, quum publica auctoritas eam disponendi facultatem, quam natura dederat, aliquando auferre vel restringere possit.

Videlicet 1) *Ex natura* sua excluduntur a faciendo contractu, qui usum rationis non habent, ideoque *infantes, amentes, ebrii.*

2) *Lege positiva* vel non possunt, vel firmiter non possunt in multis saltem rebus contractum facere: *filii minores, uxores, interdicti, civiliter mortui.*

De singulis eorum pauca notanda sunt: accuratiora videnda sunt in singularum regionum legibus. Cf. etiam postea art. III § 1 ubi de rescindibilitate contractuum principia statuuntur.

I. **De Minoribus.** 1. Minores generatim sine consensu tutoris vel curatoris firmiter contrahere non possunt, ita ut ipsi non sint obligati. Qui vero contraxit cum minore, obligationem excutere nequit, si ex parte minoris ejusve curatoris res, de qua conventum erat, fuerit praestita.

2. Etsi tum ipse minor, tum qui ejus curam agunt, seu quorum interest contractum rescindi, hanc rescissionem petere possint: nihilominus in conscientia minor resarcire debet damna, in quae alterum per dolum conjecit, vel ex quibus ipse lucrum seu commodum hausit.

II. **De Uxoribus.** 1. Communi jure uxor libere contrahere potest 516
circa bona, quae praeter dotem ipsius sunt, vel in iis, quae ad negotium, si quod proprio nomine gerit, pertinent.

2. De bonis communibus seu familiae, quorum administratio ad maritum spectat, nihil potest nisi marito consentiente. At id referendum non est ad res minoris momenti, quae ad quotidianas necessitates spectant.

3. Particularia jura, ut Gallicum, facultatem uxoris etiam relate ad propria bona restringunt, ita ut partes mariti fere sint eae, quae curatoris relate ad minorennes: quare tum observa, quae modo de illis notata sunt.

III. **De Interdictis.** Si qui propter statum mentis bonorum administrandorum incapaces videntur, a publica potestate *interdici* possunt: quare considerantur ut *minores*, atque *curatoris* consensu egent in contractibus, ut supra.

IV. **De civiliter Mortuis.** Si qui ad poenam gravissimam damnati pro civiliter mortuis declarantur, bonorum acquirendorum et alienandorum incapaces exsistunt: verum haec legum dispositio ad bona immobilia censetur restricta esse, vel ad bona majoris momenti; quare etiam illi leviores contractus facere possunt.

§ 3.

De consensu seu causa formali.

1. Ad essentiam contractûs requiritur, ut sit consensus: 1) verus 517
et *internus:* alioquin obligatio ex lege aut ex fraude commissa exsistere potest, sed non ut ex vero contractu; 2) *externus:* aliter non potest humano modo cum altero contrahi; 3) *mutuus,* ut sit *con*sensus: quare promissio generatim non valet ante acceptationem; 4) ex intentione contrahentium saltem alterutri *intimatus:* quare, nisi cum praesente contrahatur, debet *ex mandato alterius* contrahentis nuntius dari, nec sufficit, ut ab aliquo sine mandato voluntas vel expressio alterius alteri referatur.

2. In contractibus unilateralibus sufficit ad perficiendum contractum inter absentes, ut unius oblatio, si modo interea retractata non est, alteri nuntietur atque ab eo externe acceptetur: in contractibus bilateralibus etiam probari nequit, ex natura rei requiri omnino illius acceptationis reciprocam notitiam datam; attamen sive privata contrahentium voluntate, sive positiva lege statui potest, ut requiratur. Quid accuratius leges positivae in hac re statuerint, ex illis discendum est. Cf. *Theol. mor.* n. 1059—1062.

§ 4.

De vitiis consensûs.

Consensui ex natura sua ea obstant, quae obstant voluntario, error vel ignorantia, et metus.

Punctum I.

De errore et dolo.

518 Notiones praeviae. 1. Error potest *circa substantiam* contractûs versari, vel — quod fere idem est — circa ea, quae in substantiam redundant, aut *circa accidentia* tantum.

Circa substantiam autem versatur vel in eam redundat: 1) si est circa ipsum objectum ejusve naturam; 2) si erratur circa contractûs speciem, e. g. si contractus loco venditionis habetur pro donatione; 3) si erratur circa rei qualitatem, quae primarie intenditur atque potius quam ipsa res secundum naturam spectata — de qua vide plura in tract. de matrimonio.

2. Error potest *dare causam contractui*, aut potest esse error *incidens* tantum: quodsi prorsus indifferenter se habet voluntas contrahentis circa rem, in qua erravit, dicitur error *concomitans*.

Quae de errore dicta sunt, similiter de *ignorantia* dici possunt.

3. Error potest oriri ex *dolo et fraude* alterius contrahentis, aut sine ejus fraude exsistere potest.

Quibus notatis, haec attende **principia:**

519 1. *Error in substantia vel redundans in substantiam invalidum facit contractum*: quia defuit consensus in id, de quo *videtur* esse conventum; imo etsi, errore non exstituro, is qui erravit, consensisset, nihilominus contractus nullus est, quia videndum est, quid fecerit, non quid facturus ille fuisset.

2. *Error quilibet dans causam contractui, invalidos reddit gratuitos contractus*, saltem in foro conscientiae: illi enim requirunt omnimodam libertatem.

3. *Error non redundans in substantiam, quamquam dans causam contractui, per se non facit irritos contractus onerosos:* Less. l. 2 cap. 17 n. 33. — Nihilominus Less. ib. in foro conscientiae concedit, eum, qui se ita deceptum utcunque deprehendat, non teneri ad implendum contractum, si res adhuc sit integra, modo damnum, quod alter contrahens inculpabiliter passus sit, compenset.

4. *At si error dans causam contractui inductus est dolo vel fraude alterius contrahentis, aut si error versatur circa conditionem sine qua non, satis manifestatam, contractus est rescindibilis* (v. Less. l. c. n. 29 sqq.), *aut in posteriore hypothesi nullus.*

5. *Error neque redundans in substantiam neque dans causam contractui, nullos contractus facit invalidos vel rescindibiles.*

Punctum II.

De metu in contractibus.

Recolenda sunt ea, quae de metu ejusque influxu in voluntarium 520
cap. 2 de actibus humanis atque de distinctione inter metum gravem et levem dicta sunt n. 22 sqq.

1. *Metus, qui non relinquit sufficientem usum rationis, undecunque exortus, irritum facit contractum tali metu factum,* idque jure naturae, quum non sit actus vere humanus.

2. *Manente usu rationis metus intrinsecus aut a causa necessaria exortus, aut utcunque juste incussus contractus non reddit irritos nec rescindibiles.*

3. *Metus levis non facit irritos neque rescindibiles contractus onerosos, nisi forte sponsalia velis esse in tali casu rescindibilia.* — Ratio est, quia metus levis facile sperni potest, neque censetur hominem absolute determinare, saltem non in iis contractibus, qui, utpote onerosi, in se ipsis aliam causam cur ineantur habent: si quis igitur in tam gravi negotio metui vere levi cessit, id sibi imputare debet.

4. *Metus levis injuste incussus ad extorquendum contractum gratuitos contractus aut irritos aut saltem rescindibiles facit.* Saltem rescindi contractum posse, vix negatur a scriptoribus: at si rescindibilis saltem est et, utpote *gratuitus,* ei soli, qui metum passus est, obligationem imponere potest, potius dicendus est ipso facto irritus. Cf. Lugo d. 22 n. 138 sqq.

5. *Metus gravis injuste utcunque incussus* (sive ab altero contrahente 521
sive a quopiam tertio) *facit saltem positivo jure irritos sequentes contractus vel actus ex tali metu initos seu positos:*

1) matrimonium et pacta dotalia; 2) professionem religiosam (v. decretal. l. 1 tit. 40 c. 1); 3) vota quaelibet (id ex aequa interpretat. juris divini, ex analogia relig. professionis secundum cap. cit. decretal., ex perpetua doctrina theolog. Cf. Sanch., Lug. *de J. et J.* d. 22 n. 122); 4) traditionem rerum eccles.; 5) renuntiationem beneficii eccles., 6) absolutionem a censuris; 7) electionem praelati (v. Decret. l. c. et l. 1 t. 20 c. unic. in 6); 8) auctoritatem tutoris interpositam.

6. *Metus gravis injuste incussus ab altero contrahentium contractum quemlibet ex illo metu initum saltem reddit jure naturae rescindibilem* (Lugo l. c. n. 110 seq., Lessius l. c. n. 35 seq.); siquidem alter injuriam omnesque ejus effectus reparare debet.

NB. In idem fere recidit, quando metus a tertio quidem incussus est, at sciente atque aliquo modo comprobante vel influente altero contrahentium.

7. Si vero metus injustus gravis incutitur a tertio quodam, ita ut *ex illo metu* contractus ineatur, altero contrahentium tamen nullo modo injuste influente: ex solo jure positivo vigente desumendum est, num aliqui contractus et qui fiant irriti vel per judicem rescindibiles; quo favore, si conceditur, is, qui cogebatur, uti sane potest.

Articulus III.

De contractu in facto esse seu de contractûs obligatione.

§ 1.

De contractûs obligatione substantiali.

522 1. De contractu in facto esse quaerere, nihil aliud est, nisi quaerere de vinculo seu obligatione effecta. Porro contrahentes obligantur ad id, quod libere in contractu expresserunt, etsi ab eo, quod communiter in simili contractu constituitur, sit diversum.

2. In iis contractibus, circa quos leges aut legitimae consuetudines ambitum obligationum magis determinant, seclusa expressa conventione contraria, obligationes in illo ambitu oriuntur (cf. ea, quae dicta sunt circa naturam contractûs ejusve accidentia).

3. Contractûs autem obligatio sumitur secundum voluntatem contrahentium rationabiliter intellectam, ita ut non extendatur ad circumstantias non praevisas, quae valde mutant contractûs objectum.

4. Contractûs obligatio aut solos contrahentes afficit, si mere personalis est; aut etiam in alios, qui locum contrahentium tenent, transit, si per contractum non persona tantum, sed res ipsa obligata est.

Omnia haec adeo patent, ut probatione non indigeant, neque ulla videtur hac in re scriptorum controversia.

Hinc jam considerandum est, quot et quibus modis obligatio exorta finiatur. Hoc nimirum obtinet 1) si obligatio impletur; 2) si obligatio ab alterutro contrahentium alteri condonatur; 3) si legitima auctoritate jus vel obligatio exstinguitur; 4) si mutatis circumstantiis obligatio corruere censetur, ut dictum est in princ. 3.

523 Gravior quaestio oritur circa rescindibilitatem contractuum, eorumque nullitatem propter defectum conditionum lege positiva praescriptarum.

De contractibus, qui rescindi possunt, jam quaedam notavimus agentes de subjecto seu personis contrahentibus.

Contractus a lege declarati rescindibiles. Effectus seu obligatio, quae ex contractu rescindibili oritur, sic considerari debet, ut verum conferat jus, veramque imponat obligationem, sed per se non ex utraque parte firmam: quapropter postquam ille vel illi, in quorum favorem rescissio conceditur, hanc postulaverunt, alter jus suum amittit, atque res in priorem statum restituere debet. Circa facultatem rescindendi contractum a lege positiva datam, ejusque licitum usum haec tenenda sunt:

1. Si concessio legis nititur in motivo boni communis, v. g. in praecavenda fraudulenta circumventione eorum, qui matura deliberatione nondum utuntur, ille, in cujus favorem statuitur rescindibilitas, huic juri renuntiare valide nequit.

2. Si concessio facta est in solum favorem privatum, ille, cui facultas rescindendi a lege datur, libere huic juri renuntiare potest: qua renuntiatione facta, licite rescindere non amplius potest in foro conscientiae, idque sive in foro externo facultas rescindendi sustinetur, sive non.

3. Sed etsi aliquis eorum, in quorum favorem contractus factus est rescindibilis, juri suo renuntiavit, alii, quorum interest contractum rescindi, id nihilominus postulare possunt.

4. Qui vero fraudulenter aliquem induxit ad contrahendum, occultans contractûs rescindibilitatem vel fraudulenter promittens illius stabilitatem, tenetur ad damni reparationem, si fortasse postea alii rescissionem contractûs postulant: minus etiam ipse rescissionem postulare potest.

Contractus a lege declarati nulli et irriti. Quae leges 524
quam late pateant, et quousque in conscientia obligent, acris est controversia. Hac spectata, ante judicis sententiam pro favore observari possunt sequentia:

1) Si lex irritans poenalis est, deficiente culpa theologica, contractus valet, dum propter juridicam culpam rescindatur; exsistente culpa juridica, si lex delinquentem ipso facto *inhabilem* reddit, contractus fit nullus.

2) Si lex irritans est mere in favorem et commodum privatum lata, tamen in conscientia contractus interim sustineri potest, quum alter contrahens juri suo libere possit renuntiare; nisi lex eum ad id ipsum inhabilem fecerit.

Similiter 3) si contractus ex natura sua omnino validus et licitus ab utroque contrahente libere initur, omissis solemnitatibus legis, interim pro valore, imo etiam obligatione in foro conscientiae standum est. Tantum alii non contrahentes, quorum fortasse interest contractum vel actum rescindi, per se non impediuntur, quominus legis favorem implorare possint, secluso dolo et fraude.

4) Magis interim stari potest contractui, si verba sonant quidem nullitatem, at sive ex se sive ex consuetudine de nullitate mere civili intelligi possunt, ita ut denegetur tali contractui omnis actio juridica.

5) Si vero ex lege ejusve fine patet, contractum vel actum quendam 525
prohiberi et simul *ipso factum irritum* declarari: illius nullitas in foro etiam conscientiae sustineri debet, nisi forte satis constet, legem esse injustam.

6) Similiter in conscientiae foro statim pro invalidis, respective restitutioni obnoxiis ii actus vel contractus habendi sunt, qui propter boni communis bonorumve morum periculum, quod avertendum sit, vel propter ipsius contractûs *naturam* declarantur ipso facto invalidi et nulli. Quando autem periculum boni communis in causa sit, quando bonum privatum, in praxi non tam facile discernitur: quare in dubio potius standum est pro actûs valore, donec res juridice componatur; imo ut propter boni communis periculum contractus alias validi non tantum rescindibiles, sed *irriti ipso facto* fiant, videtur communiter ratio magnae necessitatis requiri, ita ut sola rescindibilitate bonum commune non satis protegi videatur. Cf. *Theol. mor.* n. 1071 sq.

§ 2.

De obligationibus accessoriis iis, quae ad justitiam spectant.

Accessoria obligatio potest aut ad ipsam justitiam spectare, aut ad 526
aliam religionis virtutem. Justitiae obligationem inducit: determinatio modus (Auflage), conditio.

Notiones. 1. *Modus* a conditione sic distinguitur, ut a conditione ipsius contractûs exsistentia et valor pendeat, modus vero contractum validum supponat, et tantum novam aliquam obligationem adjungat.

2. *Conditio* distinguitur *suspensiva* et *resolutiva*. Prior est, quae, nisi verificetur, impediat, quominus contractus vere fiat; posterior, quae si postea contingat, (vel nisi certo tempore impleatur,) contractum eo ipso rescindat.

527 I. De Determinatione. 1. Si determinatio temporis adjicitur — contractus „*ad diem*“ — vinculum obligationis statim oritur, sed debitum implendae seu perficiendae obligationis prorogatur.

2. Si res determinatur et demonstratur, nonnihil difficultatis occurrit, quando in hac demonstratione error committitur:

1) Si error est circa qualitatem, contractus non fit invalidus, nisi redundat error in substantiam.

2) Si error est in quantitate, regula haec statuitur: si res designatur mere *demonstrative*, error nihil mutat, ita ut tota res debeatur, etsi quantitas minor designata fuerit; si vero res designatur *taxative*, excessus, supra id, quod designatum est, non debetur, nisi aliter ex circumstantiis constet de mente contrahentis.

Demonstrative censetur res designari, si primo res ipsa exprimitur, dein secundarie tantum quantitas; *taxative*, si primo quantitas, dein res: de cetero attende etiam circumstantias.

3. Si res determinatur sub disjunctione, per se, nisi aliud exprimitur, electio est apud eum, apud quem est onus rei tradendae.

528 II. De Modo. 1. Modus vere impositus, quum obligationem justitiae inducat, si non impletur, alteri jus dare potest contractum rescindendi; imo fieri potest, ut ne id quidem ad reparandam injustitiam sufficiat.

2. Specialis modus est *sub poena*, quae pro culpabili dilatione solvendi vel praestandi statuitur: attamen ut justa sit, debet esse moderata et contra solam culpabilem moram statuta.

3. Alius specialis modus est *sub causa:* quae intelligitur pro fine, ad quem alicui jus vel donum aliquod conceditur, v. g. ad emendos libros, ad alendos equos. Verum ex adjunctis nosci debet, utrum revera exprimatur obligatio hunc finem prosequendi, an sola hujus finis prosequendi possibilitas intendatur. Posterius si obtinet, finis prosecutio manet in arbitrio et libitu posita.

4. Modus *turpis* seu peccaminosus vel *impossibilis* pro non adjecto habetur. At hoc valet de modo accessorio, non de *fine*, si quem alter contrahentium vere voluit *imponere;* nam si finis principalis peccaminosus imponitur, contractus qua talis *irritus* est. Verum de singulis vide leges regionis.

529 III. De Conditione. 1. Sola conditio *de futuro* contractum suspendit; nam conditio de praeterito et de praesenti aut statim facit, ut contractus sit validus et perfectus, aut ut sit prorsus nullus.

2. Conditio, modo possibilis et honesta sit, alterutri contrahentium imposita, impleri debet, idque per se, *in propria forma*, ut ajunt; aliquando tamen sufficit aequivalens impletio (v. g. conditio „si nubas“ aequivalenter impletur, si puella monialis fit). Sc. 1) videnda est mens ejus, qui conditionem posuit; 2) videndum est, num forte turpis eva-

dat conditio, nisi aequivalens impletio pro vera impletione habeatur: quod si obtinet, aut aequivalens impletio debet sufficere, aut contractus dijudicandus est secundum regulam de conditione turpi mox dandam in n. 4: (cf. S. Alph. n. 830 et 930).

3. Conditio *onerosa* alterutri contrahentium imposita habetur ut impleta, 1) si ille, cui imposita est, fecit, quod suum erat, ad eam implendam; 2) si alter sive tertius, cujus intererat eam impleri, vel in cujus favorem conditio apposita est, eam remisit; 3) si ille, cujus intererat eam non impleri, alterum ab ea implenda impedivit.

4. Conditio de futuro *turpis* aut *impossibilis* reddit contractum 530
qua talem *nullum*. Quare hîc nota discrimen inter *conditionem* turpem et *modum* turpem.

Attamen in foro externo quidam actus vel contractus excipiuntur, ita ut conditio turpis vel impossibilis in illis *pro non adjecta* habeatur, vel aliis verbis non habeatur pro vera conditione, sed pro modo superaddito; quod tamen in conscientia non juvat in iis rebus, de quibus forum externum valorem non potest efficere, v. g. in matrimonio. Igitur pro non adjecta habetur in foro externo conditio turpis:

1) in donatione inter vivos et 2) in dispositionibus testamentariis, secundum complurium regionum leges (cf. infra de testamentis); 3) in matrimonio, nisi agatur de conditionibus turpibus substantiae matrimonii adversis, seu: unitati, indissolubilitati, prolis generationi repugnantibus.

§ 3.

De obligatione juramenti contractui adjecti.

Juramentum contractui accedens dupliciter obligationem inducere 531
potest 1) directe et per se inducit obligationem religionis, 2) indirecte inducere vel firmare potest obligationem justitiae, videlicet si agitur de contractu aliter infirmo et rescindibili, qui accedente juramento fiat firmus et insolubilis.

Hunc secundum effectum in compluribus contractibus haberi voluit jus Romanum positiva lege, recentiora jura id vix attendunt; eundem effectum suo modo efficere possunt contrahentes, si libere renuntiare possunt et renuntiant favori rescindibilitatis a lege concesso: verum non semper ille effectus exsistit, ita ut saepe in sola obligatione religionis sistatur.

1. *Juramenti obligatio tamdiu sustinenda est, quamdiu licite observatur et circa objectum obligationis capax versatur.*

2. *E contrario juramenti obligatio oriri nequit vel corruit, si objectum est vel evadit aliqua ratione illicitum, vel plane inutile et nugatorium.*

3. Hinc etiam fit, ut juramento firmari contractus non possint ii, 532
qui jure naturae sunt irriti, neque qui lege positiva ita irriti facti sunt, ut eorum exsecutio simul sit prohibita, sive positivâ lege sive ipsâ naturâ propter damni communis periculum prohibetur.

4. *Ea obligatio juramenti, quae est solius religionis, ex legitima causa per ecclesiasticam auctoritatem directe remitti potest:* si qua vero justitiae obligatio erga tertium exorta vel firmata est, haec ab Ecclesia non

potest indiscriminatim solvi, imo tum generatim ne ad religionis quidem obligationem solvendam erit ratio.

5. Attamen *si ipsum objectum subjacet juri Ecclesiae*, totus contractus atque religionis obligatio, subtractâ materiâ, irritus reddi, si necessarium fuerit, potest: quod in objectis civili potestati subjectis suo modo valet etiam pro auctoritate civili.

Cf. *Theol. mor.* n. 1078—1081, et quae supra dicta sunt de juramento n. 179 et n. 193—199.

Caput II.

De contractibus gratuitis.

Articulus I.

De contractibus gratuitis unilateralibus.

Revocantur hi ad promissionem et donationem: quare de his pauca.

§ 1.

De promissione.

533 1. Promissio est contractus, quo aliquis gratuito se obligat ad aliquid alteri praestandum vel omittendum.

2. Ut contractus promissionis subsistat, requiritur voluntas 1) vere se obligandi, 2) omnino libera sine errore et metu, 3) alteri manifestata, 4) ab eo vel ejus loco acceptata.

Quare: 1) vera promissio distinguenda est a mero proposito, etsi alteri manifestetur; 2) ante acceptationem facta promissio revocari potest; 3) qui sine animo promisit, non ex contractu quidem alteri tenetur, potest tamen plane teneri *ex damno causato.*

3. Promissio ex sese obligationem *fidelitatis* inducit, quae, secluso damno, non censetur sub mortali peccato exsistere; at potest aliquis sese *ex justitia* obligare, quae in materia gravi gravis est: verum promissario nondum oritur jus *in re,* sed jus *ad rem.*

4. Corruit promissio: 1) rebus vel circumstantiis notabiliter mutatis; 2) condonatione promissarii; 3) re promissa evadente illicita vel inutili; 4) si, promissione mutua facta, alter promissis non steterit.

5. Obligatio ex promissione oritur etiam pro haeredibus promittentis, si res, non personalis actio est promissa. Ita, si saltem ante mortem promissio perfecta erat. Imo ex lege naturali, etiam si mandatarius post mortem mandantis, quam scire nondum poterat, promisit, *promissario facultas* acceptandi est; at leges positivae generatim *obligationem haeredum* negant.

6. Utrum, mortuo promissario ante acceptationem, si fit promissio absenti, ejus haeredes acceptare possint, pendet ab intentione, qua promittens ferebatur. — Idem dic de donationibus.

§ 2.

De donatione.

1. Donatio est translatio dominii alicujus rei gratuita in alterum, 534
quae fit cessione ex parte unius, ex parte alterius acceptatione.

2. Ut donatio valeat 1) *donator* habilis esse debuit ad donandum, 2) *donatarius* habilis ad accipiendum, 3) *actio* cedendi et acceptandi debuit esse legitima.

3. Lege positiva inhabiles ad donandum vel ad *firmiter* donandum sunt generatim ii, de quibus in contractibus supra n. 515 sq. sermo erat; inhabiles ad accipiendum generatim ii, qui per testamentum accipere nequeunt: quare vide, quae ibi dicentur. Verum si qua inhabilitas statuitur in odium causarum piarum et ecclesiasticarum, haec dispositio in conscientiae foro non valet.

4. Actio donandi et acceptandi, ut in conscientia effectum producat, de se nullam formam specialem requirit, modo libere agatur: sed ut actionem civilem producat, requiritur, aut ut res ipsa sit *tradita* simul cum instrumento scripto, si de immobilibus agitur; aut ut facta sit juridica interventio vel antecedens juridica promissio. Cf. Schwane § 12.

5. Donatio facta, etiam civiliter et juridice valida, aliquando revo- 535
cari potest, scilicet: 1) conditione non impleta, vel potius conditione resolutoria verificata, 2) propter enormem ingratitudinem, 3) propter prolem donatori postea natam. — Sed non omnes leges revocationem eodem modo neque eâdem extensione statuunt; quare leges regionis omnino consuli debent, ut sciatur, quid liceat in conscientia.

6. Donationes, si sunt majoris momenti relative ad conditionem donatoris, aliquando non plenum effectum sortiuntur, sed computari debent in partem haereditatis postea consequendae; — id quod maxime valet de rebus immobilibus, nisi donator expresse aliter statuat.

Articulus II.

De contractibus gratuitis bilateralibus.

Contractus gratuiti bilaterales, qui in favorem quidem unius partis fiunt, utrique tamen obligationes imponunt, ad sequentes revocantur: Commodatum et precarium, depositum et sequestrum, mandatum et negotiorum gestionem: cui adnumerant etiam mutuum, pro quo tamen spectata conditione hodierna alius contractus fere substituitur.

§ 1.

De commodato et precario.

Contractus illi ineuntur in favorem ejus, cui res aliena conceditur 536
(qui commodatarius vocatur): quodsi pro re concessa compensatio quaedam exigitur, potius transit in contractum locationis.

1. Commodatum contractus est, quo res *certi usûs gratia* alicui gratis conceditur, ut post determinatum usum rem domino reddat.

Precarium in eo differt a commodato, ut usus rei *revocabilis* sit *ad arbitrium concedentis.*

2. Obligationes commodatarii sunt:

1) ne re utatur, nisi ad usum concessum; alioquin omnia damna inde provenientia reparare debet, imo quum primum limites contractûs excessit, omne rei periculum in se assumit, etiam casûs fortuiti. Nam quia contractus totus in utilitatem commodatarii cedit, hic ad insignem curam rei sibi commodatae obligatur.

2) Debet igitur rem diligenter custodire; quare negligens custodia facilius theologica culpa evadit.

3) Debet expensas ordinarias necessarias subire, v. g. alendi equum commodatum, non vero extraordinarias.

4) Debet damna resarcire, quae ex sua culpa saltem theologica et mortali res subiit; immo commodator jus habet, ut *juridice* exigat compensationem omnis damni ex commodatarii culpa etiam juridica tantum exorti. Cf. S. Alph. n. 749; Reuter p. 3 n. 178; Schwane l. c. § 14.

537 3. Obligationes commodatoris seu concedentis rem hae sunt:

1) Non potest rem repetere, nisi secundum limites contractûs; excipe, si res aut circumstantiae notabiliter mutarentur.

2) Debet vitia rei nociva commodatario aperire.

3) Debet expensas extraordinarias, quas commodatarius fortasse facere debuit, resarcire. V. S. Alph. n. 747; Reuter ib. n. 179.

Ex his patet, quae sint obligationes in contractu precarii.

§ 2.

De deposito et sequestro.

538 Ili contractus sunt in favorem ejus, qui rem alteri committit.

1. Depositum sc. est contractus, quo res aliqua alteri committitur custodienda, deponenti, quando ei libuerit, restituenda. Reuter l. c. n. 174; S. Alph. n. 746; Elbel p. 6 n. 359.

2. *Depositarius* (seu apud quem res deponitur) debet 1) curam diligentem rei depositae habere, quam communiter homines prudentes circa rem propriam habent: ita ut ex culpa theologica gravi ad reparanda damna teneatur. Nihilominus ad extraordinariam et specialem diligentiam, nisi eam expresse promiserit, non tenetur. 2) Re deposita uti nequit sine voluntate domini sive expressa, sive saltem prudenter praesumpta: imo si ita fit, contractus quodammodo transit in commodatum, atque illius regulis *aliquatenus* subjacet, non prorsus tamen, quoniam contractus non transit totus in utilitatem depositarii. 3) Postulante domino, rem statim reddere debet, nisi forte eam detineat titulo compensationis, aut damni sive a se sive ab altero avertendi. Ib., Schwane § 13.

3. *Deponens* refundere debet expensas in custodienda re a depositario factas, imo reparare omnia damna, quae propter depositum passus fortasse est, e. g. damnum, quod tulit in custodiendo equo

morbido, qui proprios equos infecit, secundum axioma: officium suum nemini debet esse damnosum.

4. Sequestrum est certa quaedam depositi species, qua res 539
litigiosa apud tertium deponitur vel custodienda et administranda datur, ut, lite finita, victori tradatur. Qui contractus privatim fieri potest ab utraque parte litigantium consentiente, potest etiam judiciali auctoritate constitui: in ultimo casu ad finiendum sequestrum judicis interventus exspectari debet.

Sequestrum fere iisdem regulis subjacet ac depositum quodlibet, nisi excipias, quod, una parte tantum exigente, res reddi nequeat. Dein in sequestro judiciali custodiae merces depositario addicitur, quae utique solvenda est; quare a puro depositi contractu nonnihil excidit.

§ 3.

De mandato et negotiorum gestione.

1. Mandatum contractus est, quo aliquis negotia quaedam suo 540
nomine gerenda alteri committit, isque ea alieno nomine gerenda gratis suscipit.

Verum quamquam mandatum ex se gratuitus contractus est, ac proin mandatarius, si nihil statutum est antea, postea nullam retributionem postulare potest, tamen non excludit natura sua honorarium: de quo ergo simul potest pacisci.

2. *Mandans* tenetur 1) ratum habere, quod a mandatario conformiter ad mandatum actum est; 2) mandatario ea praestare, resp. expensas resarcire, quas in exsequendo mandato facere debuit; imo 3) etiam damna resarcire, quae in mandato exsequendo, seclusa culpabili imprudentia, fortasse mandatario acciderunt.

NB. Si vero cum statuto salario eoque aucto mandatarius quaedam pericula in se sumpsit, mandans ultra conventionem nihil debet.

3. *Mandatarius* ex altera parte debet 1) rem alienam ordinaria 541
saltem diligentia ut propriam gerere: quare de dolo et negligentia theologice culpabili per se in conscientia tenetur; 2) debet sese intra limites mandati continere: alioquin incipit proprio nomine agere; 3) non potest sibi retinere lucrum, quod facit emendo aut vendendo, nisi dominus consentiat, aut ultra id, quod vi mandati debuit, aliquid praestitit. De quo confer infra de *venditione.*

4. Mandatum *exstinguitur* non solum confecto negotio, sed etiam 1) revocatione mandati mandatario intimata, quam mandans semper facere potest; 2) renuntiatione ex parte mandatarii debito tempore mandanti declarata; 3) morte naturali aut civili mandantis aut mandatarii.

5. Negotiorum gestio est quasi-contractus mandato similis, 542
quo aliquis aliena negotia gerenda suscipit non ex illius commissione expressa, sed ex voluntate praesumpta domini *absentis.* — Generatim quidem eaedem sunt mutuae obligationes ut in mandato; attamen relate ad negotii gestorem 1) obligatio reparandi damna propter incuriam vel imperitiam temperari nonnihil debet, quia secus vix esset, qui vellet alterius negotia curare; 2) jus ad convenientem mercedem ex eadem causa haberi videtur. Ita „probabilius“ Gury I. n. 848 et alii ibid.

Caput III.

De contractu mutui, qui ex se gratuitis, per accidens onerosis contractibus adnumeratur, et de usura.

Articulus I.

De notione contractûs mutui et usurae.

543 1. Mutuatio contractus est, quo unus rem suam primo usu consumptibilem, seu rem sterilem et infructuosam in alterum transfert cum obligatione rem similem, i. e. ejusdem generis ad aequalitatem reddendi. Differt igitur a commodato et locatione maxime eo, quod in his contractibus res tradita maneat in dominio tradentis.

2. Objectum contractûs mutui est res *ut infructuosa;* fructifera autem res aliqua esse potest 1) naturaliter, 2) artificialiter vel instrumentaliter, 3) civiliter: quum earum rerum pretio aestimabilis sit *usus,* ut distinctus est ab ipsa rei substantia, contractui mutui illae res per se non subjacent. — Quamquam enim per se sola natura et labor humanus res frugiferae sunt, tamen etiam recte ea dicuntur suo modo frugifera, quibus labor humanus tamquam instrumentis indiget ad res utiles sive producendas sive aliunde adducendas.

3. Quare ex natura contractûs mutui ejusque objecti fit, ut ultra id, quod datur, recipi postea nihil possit, nisi aut natura objecti mutetur, aut ratio *accedat,* cur obligatio carendi illa re per certum aliquod tempus pretio aestimabilis evadat.

4. Quod nisi accidat, exactio foenoris vel cujuslibet oneris impositio, v. g. obligatio emendi vel quaelibet libertatis restrictio ultra redditionem rei ejusve valoris, est contra justitiam atque peccatum usurarii vocatur; denegatio mutui pro necessitate petentis contra caritatem esse potest. Verum usurarii peccatum non in sola pauperis oppressione, sed in omni injusta auctarii exactione etiam erga divites committitur.

544 5. At difficultas est, num pecunia sive necessario ex natura sua, sive saltem per se sit objectum contractûs mutui sensu antiquo theologico considerati. Quidquid dicitur, id prorsus tenendum est, ut ex pecunia mutuo data foenus sine injustitia exigi possit, pecuniam debere aut generatim conditionem sterilitatis non jam habere, aut in iis circumstantiis per accidens exsistere, quae exactionem auctarii ultra sortem traditam reddant non injustam.

6. Hinc factum est, ut semper exstiterint modi ab Ecclesia agniti, quibus, si re ipsa adhiberi *poterant,* hominibus *licuerit* ex pecunia sine proprio labore fructum et utilitatem percipere, quum ex pecunia stricte in mutuum data id non licuerit. — Hîc habes imprimis *censuum emptionem,* saltem si sumis censum realem in re fructifera fundatum. Et quamquam Ecclesia non favit censibus iis, qui ex utraque parte redimi possint neque censibus personalibus, propter injustae usurae periculum vel similitudinem: tamen ne hi quidem contractus ut lege naturali illiciti neque universali lege prohibiti sunt. — Accedit contractus *societatis,* cui si adjungitur tum assecuratio sortis, tum assecuratio lucri,

exsistit contractus trinus, quem S. Pontifices absolute prohibuisse nequit probari.

Articulus II.

Leges et judicia Ecclesiae circa usuras et quodlibet foenus ex pecunia mutuo data.

Quam severas et saepius repetitas leges Ecclesia contra usurarios 545
tulerit, quum sit notissimum, eas transmittere possum. Habes eas collectas in *Theol. mor.* n. 1098 sqq.

Quibus non obstantibus, Ecclesia semper permisit, ut propter *externos* titulos occasione mutui aliquod lucrum percipi posset. Hi externi tituli, quos theologi defendebant et exponebant, sunt:

1. *Periculum sortis* seu pecuniae in mutuum datae: qui titulus teste S. Alph. n. 765 communiter agnitus est ut legitimus, si modo periculum excedat commune illud periculum, quod pecunia ubique, etiam apud dominum, habeat. Huc etiam refertur responsum S. C. de Prop. Fide pro Sinensibus ab Innocentio X. anno 1645 approbatum.

2. *Damnum emergens et lucrum cessans.* Nam si mutuator revera pecuniam seu rem mutuo traditam utiliter impendere potuit et voluit, injustitiam non committit, quando sub hac tantum conditione mutuatario rem suam tradere vult, ut compensatio sibi fiat, seu ut indemnis reddatur. Si vero lucrum non esset certum, sed solum in fundata spe, injustum esset, compensationem totius lucri sperati postulari. Hunc titulum, saltem damni emergentis, justum esse, S. Alph. n. 768 dicit „certum est; ita omnes".

3. *Poena conventionalis,* quae statuatur pro *culpabili* mora in solutione, si modo moderata sit, neve ex intentione lucri imponatur. S. Alph. n. 766.

De omnibus his titulis theologi uno ore observant, necesse esse, ut id, quod vi illorum titulorum mutuator sibi deberi putet, antea in pactum deducatur; mutuans enim, nisi ab initio moneatur, contractum mutui solum eumque gratuitum se inire cogitat et statuit, neque in auctarium illud dandum consensum dedit: quare injuste postea compellitur ad solvendum.

4. *Quartus* titulus, recentiori potissimum tempore, i. e. ante plura 546
decennia, multum defensus, est *‚praemium legale'*. Cf. Gury I. 862 sqq. et complures scriptores Gallicos. Neque tamen defuere praecedenti jam saeculo, qui eundem titulum pro legitimo haberent: v. Pichler, Zech *Rigor moderatus.* Nimirum putabant, supremam auctoritatem civilem posse iis, qui pecuniam sibi secus otiosam aliis mutuo traderent, moderatum aliquod praemium statuere, quo efficacius allicerentur et conferrent ad commune bonum, quod, quo magis pecunia cursat, facilius juvatur: neque quidquam justius esse, quam id solvi tandem ab iis, qui pecuniam mutuo acciperent, praesertim, si ad propriam utilitatem et augendas fortunas impenderent, salva semper lege caritatis, gratis illis mutuandi pecuniam, quibus ratione paupertatis sive eleemosynâ sive aliâ viâ succurrendum est.

Quem titulum Ecclesia non reprobavit, sed disputationi theologorum reliquit. Attamen videtur potius ille titulus jam internam ratio-

nem percipiendi lucri supponere, quam ex sese facere. Quod antequam exponam, referam primo lectorem ad responsa Romana, quae jam a medio saeculo et ultra iis, qui de praxi percipiendi moderatum lucrum ex pecunia mutuo data quaerebant, data sunt:

547 A. Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit S. Congregi Inq. sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut eo ditescant. — De sensu epistolae encycl. „*Vix pervenit*“ acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem aut contrariam. Inde querelae, dissensiones, negatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus et innumera damna animarum. Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus et objiciat, sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel ea de re consulta; tunc isti confessarii exigunt, ut poenitens promittat, se filiali obedientia obtemperaturum judicio S. Pontificis, si intercedat, qualecunque sit, nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide; isti confessarii, etiamsi aliunde noverint, ab eo perceptum esse aut etiamnunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit igitur Episcopus Rhedonensis:

I. „Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare.“

II. „Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes, consulendi causa, possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quaestione judicium ferat.“

„Fer. IV. die 18. Aug. 1830 Sanctiss. Dominus noster Pius divina providentia Papa VIII. in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Emmorum DD. Cardinal. Inq. Gen. respondit: Ad I. Non esse inquietandos. — Ad II. Provisum in primo.“

B. S. Officio proponebantur dubia *Capituli Collegiatae Locarni dioecesis* „Como“ in Helvetia. Videlicet hujus Capituli praebendae ex maxima parte consistere dicuntur in pecunia, quod praecipue evenit ex exstinctione decimarum jussu Gubernii facta. Pecuniam hanc in bona stabilia fructifera converti vix posse exponunt, quum ejusmodi bona rarius occurrant, aut si occurrant emenda, tanti pretii constent, ut non plus quam $2^1/_2$ proc. annuatim referant: id autem praebendas jam per se satis exiguas nimis deprimere. Neque census annuos emi posse tum propter leges exsistentes, tum propter populi communem aversionem, qui potius annuas usuras 4—5 proc. pro mutuo solvere, quam censu se onerare velit.

Quare interrogant:

I. „Sitne sustentatio honesta, qua beneficiati indigeant, et quam debeant habere ex fructibus Capitalis praebendae, in ejusmodi circumstantiis sufficiens titulus aliis ab Ecclesia jam approbatis similis, ob quem liceat contractum inire,

quo detur pecunia capitalis praebendarum ad usuras annuas 4—5 proc., adjecta hypotheca bonorum stabilium et cautione per viros notos et solvendo pares praestita, quo secura reddatur praebendarum perpetuitas?"

II. „Possitne ille titulus extendi etiam in favorem ecclesiarum, monasteriorum aliorumve locorum piorum, atque etiam ad pupillos aliosque homines, qui in similibus circumstantiis, ut supra, versentur et debeant pecuniam, quam possident, frugiferam facere, ut honeste sustententur?"

III. „Sufficiantne, ut ille contractus (mutui) licitus evadat, leges civiles earumque procedendi ratio, quae hodiedum tales contractus communiter approbant atque eorum exsecutionem tuentur, non minus quam communis et tacitus populi consensus, qui per longaevam consuetudinem videtur ejusmodi contractus commoditatis et facilitatis causa substituisse aliis contractibus difficilioribus et implicatis?"

IV. „Possitne etiam ratio haberi auctoritatis Ordinarii et multorum virorum ecclesiasticorum doctorum et proborum, qui, spectatis circumstantiis supradictis, licitudini horum contractuum favent eosque approbant?"

(Sequuntur dein alia dubia minoris momenti.)

Fer. IV. 31. Aug. 1831: „Propositis superioribus capituli Collegiatae Locarni precibus, quae jam per manus una cum Dominorum Consult. suffragiis distributae fuerant, Em. et Rev. Domini dixerunt:

Ad I. II. III. IV: Non esse inquietandos, et acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis."

„Fer. IV. 7. Sept. 1831 S. Dom. N. Greg. XVI. in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, Em. resolutiones approbavit."

Unde satis patet, quum tam multa et varia interrogata essent de *titulo* ad moderatum lucrum percipiendum, S. Officium et S. Pontificem non solum titulum legis civilis ejusque taxam respexisse, sed in genere noluisse impedire, quominus annuum lucrum ex pecunia aliis tradita perciperetur.

Articulus III.

Uberior declaratio justi tituli foenoris et diversae agendi rationis Ecclesiae.

1. Pecunia *ex sese* sterilis est, ac proin nisi alia accedant ad- 548
juncta aliaque elementa, recte dicitur peccatum usurae, si quis ex usu pecuniae mutuo datae lucrum quaerit seu percipit foenus.

2. Pecuniae, quando instrumentum negotiationis est, quaedam *quasi-fertilitas* potest attribui: nam revera lucrum, quod negotiando licite capitur, non soli labori et industriae, sed etiam pecuniae in negotiatione collocatae respondet; seu pecunia in negotiatione collocata habet praeter substantiae valorem usum pretio aestimabilem. Negotiationem autem intelligo non solum strictam, sed etiam latam, quando conficiuntur per machinas diversae res negotiationi destinatae.

Simile quid dici debet de pecunia, quando characterem habet repraesentatricis *omnium* rerum, *etiam frugiferarum.* Nam si hunc characterem induit, in pecunia dominus quasi omnia, etiam frugifera possidet; hinc usus pecuniae est ipsi, etiam ultra ejus valoris substantiam, pretio aestimabilis, eo quod quolibet tempore eam in *capitale,* ut dicunt, convertere possit, capitale autem ex se dicat aliquid cum labore vel industria frugiferum.

3. Ut autem pecunia hos characteres habeat, fieri potest *aut ex speciali conditione* domini, aut ex *communi et universali conditione vitae socialis.* Si *prius* tantummodo obtinet, in singulis casibus probetur oportet, eum, qui alteri pecuniam dat, in tali conditione versari, ut licite pro pecunia data postulet compensationem tamquam pro usu rei frugiferae. Si *posterius* obtinuerit, probatio singularis non requiritur, sed usus pecuniae jam communi aestimatione utilitatem habet pretio aestimabilem, substantia ejus valoris manente intacta: quapropter quilibet pro pecunia alteri tradita compensationem recipere licite potest, similiter fere ut ex domo locata.

549 4. Nostris autem temporibus pecuniae conditionem hanc communem evasisse, ab eo, qui socialem vitam paulo aspexerit, nequit in dubium vocari. Nam 1) res omnis generis (sitne hoc exoptandum, an potius deplorandum, hîc non quaeritur) re ipsa tantae fluctuationi et instabilitati subjacent, ut pro pecunia summa facilitate possint acquiri; 2) per libertatem negotiandi, per associationes quam plurimas, per industriales operas via ferrea machinisque multum adjutas, omnibus etiam iis, qui tantillum pecuniae secus otiosae possident, facultas datur partem habendi in negotiis ex se lucrosis.

5. Prioribus vero temporibus, quum conditiones illae pecuniae extrinsecus advenientes non adessent, Ecclesia communi lege non poterat permittere, ut ex pecunia alteri tradita lucrum hauriretur, sed lege communi id interdicere debuit, exceptionibus illis admissis et rationibus illis permissis, quibus, ut supra dictum est, ex pecunia semper licuit lucrum facere. Nam revera neque facultas negotiandi cuique aderat, sed paucis tantum idque post collectam notabilem pecuniae summam: quodsi quis cum aliis in hunc finem conjunctim agere volebat, id poterat per contractum societatis; neque pecunia domino repraesentabat cujuslibet generis bona: nam bona naturaliter frugifera in tam stabili possessione erant, ut dominum raro mutarent, res artificialiter frugiferae, quum inventiones nostri saeculi deessent, tanto numero tantaque copia minime erant: paucis, si quis pecuniam possidebat in summa non valde notabili, haec naturam sterilitatis, quam ex se habet, exuere non consuevit, sed mansit otiosa.

Hinc etiam facile intelligitur, cur etiamnunc Ecclesia non tam solemni modo foenus permiserit, quam antea prohibuerit. Leges illae antiquae normae sunt, quae pecuniae valorem et naturam *per se* respiciunt, adeoque in se semper rectae et justae: tolerantia vero hodierna respicit conditionem pecuniae *adventitiam,* eamque per se mutabilem, ita ut perpetua norma ex se esse non possit. Quis enim dixerit, socialem vitam eam esse, ut ad stabilitatem priorum saeculorum redire non possit? Quod etsi *improbabile* sit, *impossibile non* est.

550 Concludes. 1. Spectata hodierna conditione socialis vitae, non est amplius peccatum *injustitiae* vel *usurae* accipere moderatum foenus etiam ab eo, qui, utpote pauper, mutuatâ pecuniâ utitur ad necessitates vitae: quia mutuator privat se usu pecuniae pretio aestimabili. Attamen *caritatis* obligatio urgere potest ad verum seu gratuitum mutuum, si conditio mutuantis ea est, ut alterum ad eleemosynam talis gratuiti beneficii obliget. Usurae autem peccatum etiamnunc atque

semper erit, res primo usu vere consumptibiles atque consumptioni, non negotiationi destinatas, quibus alter indigeat, ut frumentum etc., mutuo tradere cum obligatione foenoris: nisi forte titulus extrinsecus adsit, v. g. quod mutuator facilitatem habeat eas res in frugiferas convertendi lucrumque percipiendi, qua se nunc privet.

2. Si leges publicae certam taxam foenoris statuerunt, eam sine 551
injustitia transgredi non licet, nisi forte extraordinariae circumstantiae majoris periculi aut damni orituri exsistant: alias, qui majus lucrum sperat, per modum societatis in certa negotiatione similive commercio pecuniam collocare debet. Nam lex publica ut certarum mercium, ita etiam pecuniae alteri commissae pretium constituere potest, imo aliquando *debet*, quo majus est periculum, ne capitalistae injustam partitionem lucri inter pecuniam et laborem vel industriam facere conentur.

3. Si vero de magnitudine foenoris quaeritur, quando legalis taxa non exsistit: ejus justitia per se quidem communem aestimationem sequitur, similiter ut alicujus mercis vel locationis pretium. Verum notari debet, hanc communem aestimationem non debere *injuste* esse productam: quod sane periculum non leve adest ex eo, quod qui pecuniam possident longe facilius eos qui egent ad excessivum lucrum sibi tradendum cogere possunt. Nisi igitur communiter ei, qui cum pecunia mutuo accepta artem vel negotiationem exercet, justa pars totalis lucri remaneat, sed si fere totum pro foenore mutuatori cedere debeat, usuras *excessivas et injustas* esse dixeris. Quamquam ergo in singulari casu accidere potest, ut usurae e. g. 9% et ultra non sint injustae, tamen communiter pro excessivis eas habeo. Imo attendendum etiam est, ne *commune bonum* violetur eo foenore, quod *per se* justum videri potest: id praecipue auctoritas publica respicere debet.

Caput IV.

De reliquis contractibus onerosis.

Quamquam diversi onerosi contractus *innominati* iniri possunt, tamen eos omittere licet, quia quoad justitiam ejusve laesionem analogiam venditionis et locationis sequuntur. Sit igitur:

Articulus I.

De contractibus onerosis principalibus.

§ 1.

De emptione et venditione.

Punctum I.

De natura contractûs venditionis.

1. Communiter emptio et venditio sumitur pro contractu, quo unus 552
se obligat ad rem alteri in dominium tradendam, et alter ille ad determinatum pretium solvendum.

2. Quamquam igitur per se solus consensus emptionem et venditionem perficit — nisi forte in quibusdam casibus documentum scriptum aliaeve solemnitates a lege positiva postulantur — tamen de acquirendo dominio et de periculo rei sustinendo, quum non omnes diversorum regnorum leges idem disponant, neque in conscientia ubique eadem principia valent.

3. Nihilominus in conscientia contrahentes saepe sese ligare possunt contra vel praeter communia legum praescripta ad onera alio modo disponenda, si modo et justitia naturalis servatur et scientes atque liberi a lege positiva recedunt: quodsi nihil expresse statuitur, onera favoresque secundum leges regionis ferenda sunt, nisi forte contraria sit ac certa *consuetudo*.

553 4. Secundum leges, utut diverse statuunt de dominii rei emptae acquisitione, periculum rei plerumque apud emptorem est (in jure Boruss. tamen in sola *venditione in folle*); apud venditorem vero in sequentibus casibus: 1) si quid emitur ad experiendum, antequam conditio fuerit impleta, 2) si qua emuntur ad mensuram seu pondus, antequam res emptori mensurata est.

Inde fit, ut emptor teneri possit ad solvendum pretium, etsi res perierit: attamen si venditor est in mora tradendi, ad eum spectat periculum; et in omni casu ex sua culpa emptori de *toto damno* teneri potest.

5. Communiter cum periculo etiam fructus et utilitas rei ad emptorem pertinet. — S. Alphonsus jura, nisi aliter conventum sit, sic refert: 1) fructus rei pendentes (vel ejus valor) spectant ad emptorem; 2) si vero fructus erant immaturi et postea maturi facti sunt, incrementum debetur venditori, si res tradita nondum erat; 3) fructus futuri, etiam re nondum tradita vel pretio nondum soluto, per se ad emptorem spectant.

Verum si propter dilatam solutionem venditor damnum habet, emptor ad compensationem tenetur: hodie communiter convenitur de solvendo consueto foenore.

554 6. Perfecto igitur contractu, 1) Emptor debet statuto tempore solvere pretium; debet communiter solvere expensas contractûs, nisi aliter conventum sit; communiter tenetur sine speciali conventione solvere foenus pretii statuti a die, quo rem possidet, saltem si ex natura sua est frugifera. 2) Venditor debet rem secundum contractum cum omnibus accessoriis emptori tradere: secus saltem interesse solvere debet, imo ex jure Gallico emptor rescissionem contractûs et indemnitatem petere potest: Gury-Ball. I. 883; interim vero venditor rem saltem ordinaria diligentia debet custodire.

Punctum II.

De *re*, emptioni et venditioni subjecta.

555 Circa rem quatuor praecipue notanda sunt: 1) ne sit vitiosa, 2) ne sit adulterata, 3) ne sit aliena, 4) ut sit pretio aestimabilis.

I. Circa vitia et defectus rei: 1. Venditor tenetur *semper manifestare defectus substantiales*, seu qui nocivi sunt aut notabiliter

inutilem reddant rem vendendam sive ex sese, sive relate ad finem emptoris notum: secus tenetur de pretio.

2. Venditor *interrogatus debet quoslibet defectus manifestare,* aliter dolum committeret: quapropter si occultaverit, videndum est, utrum dolus ille dederit causam contractûs, necne; in priore casu contractus rescindibilis est saltem in foro conscientiae, in posteriore casu sufficit pretium pro rata imminuere. Non interrogatus venditor defectus accidentales, qui rem notabiliter inutilem non reddunt, non tenetur prorsus manifestare, modo pretium diminuat; at neque dolose occultare potest.

3. *Aliquando etiam defectus apparentes et manifestos plenius manifestare debet,* si nimirum aut ex rudi ingenio emptoris aut ex speciali interrogatione apparet, emptorem defectus de se manifestos non animadvertere.

4. *Si quod igitur damnum emptori oritur ex vitio rei emptae propter defectus, qui manifestari debuerunt, non manifestatos, venditor damna aliquo modo praevisa reparare tenetur.*

II. Circa adulterationem rerum ii gravissimi criminis rei 556
sunt, qui faciunt mixtiones *nocivas;* alioqui si innoxiae sunt, non semper committitur injustitia, sc. si et mixtio rem fini suo aptam relinquit, nec sine mixtione ad pretium justum perveniri potest. Cf. S. Alph. n. 820.

Adulteratione aut rei inutilis venditione ab opificibus et mercatoribus varias injustitias facile committi, quae plerumque pretii injustitiam continent, a confessario sedulo notari debet. Ita agunt:

1. Pharmacopolae, si vetusta et corrupta vendunt; imo gravissime in vitam alienam peccare possunt, si negligentes sunt in medici mandatis exactissime implendis; neque minus peccant, si absque sufficienti cautione venena vendunt, aut obsecundant petentibus remedia, quae ad abortum faciendum postulari juste suspicantur.

2. Pistores, laniones aliique rerum ad victum pertinentium venditores, si res corruptas vendunt sive cum sanitatis periculo, sive cum pretii injustitia; si fraudulenter pondus imminuunt; si res suas cum deterioribus miscent, praecipue pretio non diminuto.

3. Molitores, qui res meliores cum vilioribus permutant; ultra conventionem vel timoratorum praxim nimiam partem frumenti seu farinae pro salario retinent.

4. Pannifices etc., qui in emptione rerum decepti suos emptores pro indemnitate propria iterum decipiunt; qui initium et finem, ut melioris texturae sit, curant atque ita emptores decipiunt.

5. Sartores et sutores, qui sine consensu domini aut legitima praxi partem panni vel corii retinent atque ita injustum pretium laboris sui percipiunt; qui, quando sumptibus alienis pannos et coria emerunt, negligenter vel ex industria male secantes cum jactura domini plus impendunt, quam facerent, si suis sumptibus res comparassent, occultantes tali fraude lucrum, quod in re propriis sumptibus conficienda facere possunt; si res conficiendas male conficiunt, ut citius dissolvantur.

6. Aurifabri, qui pretioso metallo vilius in majori quantitate affundunt, et nihilominus pro puro et solido vendunt; qui res pretiosas certo pretio constantes ab ignaris vili pretio emunt, illorum ignorantia

abutentes; qui res furto ablatas scienter aut cum fundata suspicione emunt, aut post cognitum furtum fundunt.

7. Typographi, qui praeter conventionem plura exemplaria imprimunt cum damno auctoris libri; qui adulterinas editiones faciunt, vel furtivas cum damno editoris privilegiati et auctoris; qui circa chartam, characteres adhibendos contractum initum non servant.

Punctum III.

De *pretio* in emptione et venditione.

557 Injustitia ex parte venditoris committitur, si nimium pretium accipit; ex parte emptoris, si justo minus solvit. — Pretium potest esse *legale, vulgare, conventionale* — ad quod reducitur pretium *concursu effectum.*

1. *Legale,* quod taxa a lege vel magistratu constituitur, *si* et pro quibus rebus statuitur, servari generatim ex justitia debet, nisi forte res singulari bonitate discrepet ab illa bonitate, quam legalis taxa supponit, vel nisi consuetudo plus permiserit. — Imo aliquando injustum esse potest contra alios venditores, si res *minoris* venditur.

Hinc: Qui pretio vigente, quod scientia juste acquisita scit mox mutatum iri, res suas vendit, vel emit, justitiam per se non laedit; laedere potest caritatem.

Magistratus autem laedere potest justitiam, si privatim aliquem moneat; vel si notitia prius habita ipse utitur ad negotiationem lege sibi interdictam faciendam: (mitius sentiendum, si solum rebus suis domesticis providet).

558 2. Pretium *vulgare* est, quod communi aestimatione constituitur: quae quum non sit plane fixa, distinguitur pretium *summum, medium, infimum.* Emptori igitur non licet solvere infra infimum pretium; venditor exigere nequit ultra summum, sed ne injusta arte quidem summum pretium sibi comparare. In restitutione facienda quando ejusmodi injustitia commissa est, normam *justi* pretii habeto *medium.*

Latitudo inter pretium summum et infimum sane non eadem est pro omnibus rebus; minor in rebus ad quotidianum usum necessariis, major in rebus quae ad luxum spectant. Pro rebus communibus sic fere statui potest, ut extremi limites pretii justi sumantur 4—6, 8—12, 36—44, 45—55, 100—115, 200—225.

Ut autem pretii vulgaris aestimatio melius intelligatur, notandum est: 1) eam pendere a *communi* aestimatione, non a singulari alicujus aestimatione vel notitia: hinc si apud barbaras gentes res quaedam pluris aestimantur, ibi non est injustum, eas tanti vendere;

2) adeoque a communi aestimatione *illius loci,* ubi venditur;

3) atque *pro tempore,* quo venditur;

4) demum *a variis conditionibus,* quae communem aestimationem mutant, siquidem pretium rei decrescit a) ultronea oblatione, b) non raro anticipata solutione, c) eo quod alterius usui jam servierit; crescit autem facile in venditione ad creditum.

Insuper aliquando commune pretium *excedi* sine injustitia potest: 1) si venditor patitur speciale damnum eo, quod se re illa privat; 2) si ex certa ratione, v. g. memoria amici, speciali affectu in rem

feratur. — At specialis utilitas emptoris ratio esse nequit, cur venditor ultra pretium summum exigat, nisi emptor liberaliter donet. S. Thom. II. II. q. 77 a. 1 c.

Similiter res infra pretium infimum emi potest, si res emptori tanti non valet, sed emit in gratiam venditoris: at caveri plane debet ab oppressione pauperum.

3. Pretium vulgare seu commune potest aliquando injusto modo 559
produci, v. g. si quis certi generis res communi usui necessarias coemit atque postea pretium facit: quod si ultra id est, quod aliter summum exstiturum esset, peccatur contra justitiam; alias facile contra caritatem. — Idem dic, si fit conventio, ne minoris vendatur; quae conventio si in quandam coactionem transit, injustitiam continet.

Id etiam applicare licebit ad conventiones operariorum, ne quis operam suam locet infra certam mercedem. Quod per se licet, si 1) agitur de mercede *justa* sic obtinenda et simul 2) excluditur injusta coactio: imo si volunt solum obtinere pretium justum infimum, non omnis moralis coactio aliorum illicita est, qua sine injuriis vel minis illatis excludantur a quibusdam indebitis bonis.

4. Pretium *conventionale*, nisi cum vulgari pretio conveniat, non 560
potest in omnibus rebus admitti; admittitur

1) in rebus, quarum valor communis utrimque ignoratur; 2) in iis, quae ne apud peritos quidem certum valorem habent, sed eum qui ab affectione pendeat; 3) in rebus, quae apud veteramentarios exsistunt, si modo non dolose vel fraudulenter proceditur.

5. Pretium *concursu effectum* habes in licitatione, de qua haec noto: 561

1) Communis regula est, ut res tandem plurimum offerenti cedi debeat, etsi pretium oblatum maneat infra infimum; sed etiam ut pretium, si offertur ultra summum, tuto sine injustitiae periculo accipi possit, imo solvi debeat.

2) Injustitia committitur a domino rerum venalium:

a) si res exposita et ab emptoribus lustrata postea iis nesciis mutatur; b) si rem, postquam empta est, dominus nolit pro pretio oblato tradere; (num antea subtrahere possit aliqua a licitatione, pendet a consuetudine et nonnihil a libertate, qua etiam emptores pro se uti consueverunt); c) si fraudulenter pretium augendum curat, v. g. per fictos licitatores, qui se gerunt, ac si pluris res valeat, aut a pluribus desideretur: aliud plane est, si ipse sive ipsius mandatarius in coacta licitatione sese inter emptores collocat.

3) Injustitia a praecone committitur, idque maxime contra dominum:

a) si studiose eligit tempus, quo pauci emptores confluxerint, ut suis amicis et fautoribus res minore pretio possit addicere; b) si non fideliter gerit munus suum, citius addicendo rem amicis, neque praebet tempus opportunum et occasionem aliis plus offerendi.

4) Injustitia ab emptoribus committitur:

a) si quis fraudulenter vel violenter vel injusta quadam coactione alios a licitatione avertit, ut sibi viliore pretio emat: quare *domino* pro rata spei restituere debet; erga alios i. e. concurrentes etiam teneri potest, sed rarius; (alios rogare vel cum iis convenire, ut abstineant,

justitiam non laedit, laedere potest caritatem); b) si quis noluerit pretium solvere, quod ultimus obtulit.

562 **Appendix de proxeneta** seu mediatore in emptione et venditione. 1. Proxeneta debet communem diligentiam adhibere, ne vilius vendat, neve carius emat.

2. Si pluris vendidit, quam a domino praestitutum erat, aut minoris emit: per se lucrum facit non sibi, sed domino.

3. Excipitur tamen 1) si excessus adscribendus est *singulari* diligentiae et industriae, ad quam vi officii suscepti non tenebatur; 2) si dominus sive expresse, sive aequivalenter ea intentione pretium praefixit, ut excessus sit pro proxeneta; 3) si post adhibitam diligentiam rem sibi emit, quum invenire non possit, qui pluris emat, dein vero occasionem nanciscitur rem pluris vendendi: at re ipsa debuit sincere procedere, atque cum emptione etiam rei periculum in se sumere; alias ab injustitia immunis non est. 4) Similiter dic de emptione infra pretium consuetum, si hoc actum est ex *singulari* diligentia, aut si venditor intuitu proxenetae pretium diminuit: quod accidere quidem potest, sed non levius credendum est, quum venditores facile cuivis dicant, se ipsi speciali modo rem minoris vendere.

Ceterum adverte tum leges regionis tum conventionem inter proxenetas et rerum dominum.

§ 2.

De locatione et conductione.

563 1. Quid juris competat circa *sublocationem*, quid circa *finiendam locationem*, quid efficiat *mors* sive locatoris sive locatarii, ex diversarum regionum legibus accuratius disci debet. — Item leges regionis vel mutuam conventionem respice in distribuendis tributis et oneribus rei locatae inhaerentibus inter locatorem et locatarium; et de diminuendo pretio locationis annuo propter infortunia ex grandine aliisve casibus oritura.

2. Communes autem obligationes sunt hae: *Locator* debet 1) vitia rei aperire atque efficere, ut locatarius tranquille re locata fruatur; 2) debet expensas rei reparandae necessarias, saltem majores, sustinere; 3) non potest formam rei sine consensu locatarii mutare, tamen ea facere potest, quae ad rem conservandam necessaria sunt, neque detrimentum locatario forte oriundum propterea resarcire debet, nisi res locata promissis deterior fuerit.

3. *Locatarius* debet 1) rem diligenter custodire ac proin damna, quae ex ejus culpa res subit, resarcire; 2) communiter modicas reparationes suis expensis facere tenetur.

564 4. *Circa damna, quae res locata patitur*, locatarius in conscientia ad reparationem tenetur 1) eorum damnorum, quae ex ejus culpa theologica orta sunt, 2) post judicis sententiam, etsi solam culpam juridicam commisit: attamen in conscientia tenetur cavere a culpa juridice levi, si leges positivae ob levem culpam damnant; (quod autem jus Gallicum statuit, *locatarium debere probare*, damnum sine sua culpa accidisse, aequitati non est consonum;) 3) si ex contractu certa quae-

dam actio prohibetur propter periculum, quod rei locatae inferri possit, *voluntaria* seu *deliberata* illius actionis admissio secum trahit obligationem in conscientia reparandi damnum, si quod secutum est. Nam etsi forte in illa actione exercenda vel admittenda culpa theologica commissa non fuerit: haec eatenus tantum aberat, quatenus locatarius periculum rei in se assumpsit.

Articulus II.

De contractibus onerosis subsidiariis.

Tres contractus hîc nominandi sunt, fidejussio, pignus, hypotheca: de quibus pauca tantum.

§ 1.

De fidejussione.

1. Fidejussio contractus est, quo quis alienam obligationem in se 565
suscipit, sub hypothesi quod principalis debitor solvere nequeat. Quare ii, qui non habent liberam bonorum suorum dispositionem et administrationem, ut minores, uxores etc., fidejubere aut non possunt aut sensu restrictiore tantum possunt.

2. Fidejussor generatim solvere non tenetur, antequam juridice constet, principalem debitorem solvendo imparem esse. Aliquando tamen, si fidejussor se obligavit „in solidum“, potestas datur creditori pro arbitrio agendi contra eum, quem maluerit: S. Alph. n. 912 ex Busenb., C. C. a. 2021.

3. Fidejussor, si solverit, intrat in jura creditoris, ita ut contra debitorem principalem recursum habeat postulandi immunitatem, si qua ab illo praestari potest. — Imo fidejussio fieri potest conventione facta *de pretio*, etsi nullum periculum timetur: ita saltem ex jure naturali cum S. Alph. et Busenb. l. c. prorsus dicendum est, quum ipsum hoc onus cavendi pro altero atque incommoda fortasse non levia subeundi pretio sit aestimabile.

4. Obligatio fidejussoris post ejus mortem ad haeredes transit; communiter enim fidejussor non tam suam personam, quam bona obligavit: at si personale tantum jus concessit, videndum est, num leges regionis vel statim, vel post certum tempus contractum fidejussionis pro exstincto habeant; quibus standum est.

§ 2.

De pignore.

1. Pignus contractus est, quo res *mobilis* traditur creditori in 566
assecurationem sui juris: res tradita etiam pignus vocatur. Exsistere potest pignus sive ex libera conventione, ex ultima voluntate, sive ex lege vel sententia judicis.

2. Debitor igitur, si pignus dandum est, debet 1) rem idoneam dare; 2) expensas necessarias, quas in conservanda re possessor (cre-

ditor) impendere debuit, refundere; 3) non repetere ante debiti solutionem, nisi forte ex abusu pignoris ex parte creditoris ipsi jus repetendi oriatur.

3. Creditor debet 1) rem diligenter custodire, secus de damno tenetur; 2) non potest re sibi tradita uti sine consensu domini; 3) fructus, quos ex re in pignus data percepit, in diminutionem crediti computare debet; 4) etsi in casu, quo debitor non solvat, ex re in pignus accepta solutionem sibi procurare potest, tamen non pro arbitrio rem vendere sibi licet, sed solum, si debitor monitus fuerit et in mora culpabili exsistat: de cetero videndum est, quid circa modum vendendi jura positiva permittant; quae si creditor laeserit, debitor actionem contra eum habet.

§ 3.

De hypotheca.

567 1. Hypotheca contractus est, quo res *immobilis* creditori obligatur in securitatem sui juris: distinguitur ergo a pignore 1) eo quod res non mobilis, sed immobilis obligetur; 2) eo quod res illa creditori non tradatur, sed solum assignetur, ut, si debitor non solvat, ex ipsa illa re solutionem sibi faciendam postulare possit[1].

2. Distinguitur hypotheca legalis, judicialis, conventionalis.

Legalis, quae ex ipsa lege certis creditoribus privilegiatis conceditur, ut uxori quoad dotem recuperandam in omnia bona mariti.

Judicialis eo ipso habetur, quod judex aliquem ad damnum aliquod resarciendum vel restitutionem faciendam obligat: modo sententia judicis apud conservatorem hypothecarum inscribatur; nam a die *inscriptionis* hypotheca oritur.

Conventionalis, quae contrahentium voluntate fit; at etiam haec per inscriptionem in libro hypothecarum perficitur: quare formalitates legales servari debent.

3. Porro eadem res immobilis pluribus successive oppignorari potest: quod si fit, jus habetur secundum ordinem inscriptionis, et vocatur prima hypotheca, secunda, tertia etc. Nimirum si tandem solutionem creditores postulant ex re hypothecata, atque res venditur, primus integram solutionem percepturus est, antequam secundus jure quidquam possit postulare, et sic porro: at si res omnibus debitis exstinguendis inferior est, ultimus hypothecarius jus habet sibi postulandi rem cum onere antecessoribus suis hypothecariis integre satisfaciendi.

Si creditor postulavit, ut sibi res adjudicaretur, debitori communiter per certum temporis spatium jus redimendae rei a lege reservatum est.

---

[1] Nota tamen, non ubique eadem esse jura hypothecae. Communi enim jure proprietas rei per hypothecam oppignoratae apud debitorem est et manet; jure Anglico potius ad creditorem transit, quamquam multis limitibus circumscripta (mortgage).

Articulus III.

De contractibus aleatoriis et lusoriis.

Contractus aleatorii omnes ii vocantur, qui ab incerto casu pen- 568
dent, adeoque periculo damni lucrive exponuntur. Enumerantur praecipue: assecuratio, loteria, sponsio, ludus: quamquam ludus tum industrialis, tum aleatorius esse potest. Addere possumus relationem mercatoriam, quae, etsi venditionis jurium incorporeorum speciem habet, tamen aleatorii contractus multum participat.

§ 1.

De assecuratione.

Assecuratio, quamquam nostris temporibus, per statisticam periculi verisimilitudine accuratius explorata, non plane aleatoria est, tamen hanc conditionem non omnino potest exuere.

1. Assecuratio contractus est, quo unus assecurator se obligat ad praestandam hypothetice alteri indemnitatem, sc. si ipsius res in hoc et illo periculo pereat vel damnum patiatur; assecuratus vero ad certam taxam absolute solvendam sive unica vice pro certo periculo, sive quotannis pro periculis et infortuniis semper impendentibus.

Diversae igitur assecurationes exsistunt contra naufragium, contra incendium, grandinem; imo assecuratio vitae, quae sic intelligitur, ut, accidente morte alicujus, ejus haeres (vel designata persona) certam summam recipiat. Assecurator autem communiter non est unus pro se, sed persona moralis, societas, quae ex multis componitur seu ad quam multi accedere possunt pro certa tantum summa spondentes.

2. Ad essentiam contractûs pertinet: res assecurata, periculum, securitas seu cautio habendae indemnitatis pro casu, quod infortunium acciderit, pretium justum pro suscepta obligatione praestandae indemnitatis. Ex omnibus illis causis injustitia committi potest, imo contractus fieri irritus. — Insuper diversae conditiones aut in ipso contractu apponi solent, aut lege positiva declarari; quae nisi observentur, maxime assecuratoribus datur facultas resiliendi seu denegandi indemnitatem, si infortunium acciderit. Et quamquam frequenter non ita exacte summo jure procedunt, tamen assecurati cauti esse debent in implendis omnibus conditionibus, ne *arbitrio* assecuratoris relinquantur.

3. Relictis igitur positivis legibus et conditionibus per contractum ipsum expressis, nota illa, quae legis naturalis sint, et quorum neglectus *ex natura sua* peccatum injustitiae inducat.

1) Committitur injustitia, si res, quae non exsistit vel interim 569
divenditur, ut assecuranda declaratur et postea pretium petitur, ac si perierit. Aliud est, si assecurantur res, quarum copiam apud dominum mutabilem esse scitur.

Similiter injustitia est, si assecuranda traditur res, quam assecuratus scit jam certo periisse; aut quam assecurans scit certo jam periculo ereptam et in tuto collocatam esse. Aliud est, si utrimque

ignoratur, utrum res perierit, an in periculo exsistat, an in tuto jam sit posita: quodsi dubium hoc declaratur, contractus transit in sponsionem.

2) Aperta injustitia est, si res assecurata culpâ theologicâ perimitur, et indemnitas postulatur, ac si casu interierit. Idem, si interierit culpâ theologicâ eorum, quos assecuratores expresse ex sua cautione excludunt. At de reliquo cavere debent pro culpa aliena ipsi domino, ita tamen, ut recursum habeant in damnificatorem.

3) Ratione periculi praeterea delinqui potest, si periculum sive jam exsistens sive postea auctum non integre declaratur.

4) Ex parte assecuratoris injustitia committitur, si non habet nec recipere possit, unde indemnitatem praestet: quare si damnum nullum occurrit, ipse tamen acceptam taxam retinere non potest, saltem non totam.

5) Etiam in ipsa annua taxa statuenda excessu peccari potest: quamquam res magnam plane habet latitudinem. Nihilominus quum nostris temporibus per experientiam multorum annorum et per statisticam constet, quot damna circiter accidere consueverint, aequitatis est, ut nimius excessus in lucro evitetur.

Cf. Lugo *de just.* disp. 31 sect. 7; Schwane § 29; *Theol. mor.* n. 1131 sqq.

§ 2.

De relatione mercatoria et chirographorum, quae quoad valorem mutationi subjacent, mercatura.

570 1. Chirographa illa, quae certam pecuniae summam sive jus ad eam exhibent, quum mutabilis sint valoris, secundum spem valoris determinati temporis emi sane possunt; imo etiam solummodo convenire mutuo, ut differentia actualis et futuri valoris sive recipiatur sive solvatur ab eo, qui conjectaverit illum, ex se nondum est aliquid illicitum, quum sit sponsio vel contractus aleatorius, si modo abest fraus et dolus.

2. Verum ex rationibus accedentibus non raro peccari potest ab iis, qui ejusmodi emptionibus aleatoriis se dedunt. 1) Multum enim pecuniam ita exponere cum periculo gravis damni et rerum familiarium gravis ruinae, a peccato levitatis et dissipationis, eoque pro circumstantiis mortali, immune non erit. 2) Dein aliud periculum ingentis injustitiae cum tali aleatoria emptione certorum chirographorum connectitur: nam qui illis emptionibus aleatoriis inhiant, quum saepe ingentibus abundent divitiis atque maximam copiam certorum chirographorum coemere possint, facile artibus suis eorum pretium currens ultra realem valorem immodice augere aut deprimere norunt: quo tandem fit, ut postea eorum possessores gravissimum damnum et fortunae suae ruinam incurrant.

§ 3.

De loteria.

571 Loteria contractus est, quo soluto certo pretio participatio conceditur in sortitione certarum rerum aut certae pecuniae summae: quo fit, ut aliqui plus quam solverint, recepturi sint, alii minus, alii nihil.

1. Haec *in se* illicita non est ut emptio rei incertae, *per accidens* saepe est.

2. Attamen, ut justitia servetur, 1) omnis fraus in educendis schedulis exsulare debet; 2) dominus loteriae non potest in lucro excedere: quare quod ex schedulis distributis collegit, valorem rerum sortibus subjectarum debet non plus excedere, quam quod aliter in honesto negotio, si pecuniam impendisset, lucraturus esset.

3. Verum si ad utilitatem pii operis loteria instituitur, talis proportio non est necessario servanda, modo, qui sortes emunt, sciant, quae quantique valoris sint res, quae exponantur; imo si ne hanc quidem notitiam ementes curant, rigorose necesse non est, ut expresse moneantur, siquidem potius eleemosynam conferre, quam lucri spem emere volunt.

§ 4.

De sponsione.

1. Sponsio conventio seu contractus est, quo aliqui de veritate 572
alicujus rei aut de aliquo eventu contendentes aliquid spondent, ut illius sit, qui verum attigerit. *Ex se* ejusmodi conventio non est illicita: attamen facile limites honestatis excedere potest, eo quod sine causa et irrationabiliter fiat quaedam bonorum dissipatio. At si recreationis causa fit, re modica exposita, aut ut disceptatio jam justo acrior componatur, nihil est, cur vituperetur.

2. Ut autem *ex se* sponsio sit licita et valida (nec injusta) requiritur:

1) ut *res*, de qua quaeritur, utrimque *eodem sensu* intelligatur; 2) ut res utrimque sit dubia (imo si multo major probabilitas pro una, quam pro altera parte sit, id, quod exponitur, debet proportionate majus esse ab una parte, quam ab altera; attamen ex rationibus sub n. 3. notandis id practice plerumque non ita severe sumi potest); 3) ut utrimque *eodem modo sponsio* intelligatur, ideoque ex utraque parte exsistat animus solvendi ei, qui victor evaserit; 4) ut sit de causa licita.

3. Si igitur unus spondentium *certus* est de re, sponsionem cum altero inire nequit: imo communiter ne sufficit quidem, ut dicat, se certum esse. At si aperte dicit, se plane certum esse, et nihilominus alter in sponsione perseverat, S. Alph. n. 879 admittit, licere sponsionem inire in sequentibus casibus: 1) si, qui putavit, se certum esse, alterius pertinaci contradictione incipit dubitare; 2) si certitudine ipsius non obstante, alter, *quamquam dubitat* de sua assertione, nihilominus vult in sponsione persistere: cui adjungi potest 3) si utcunque constet de spontaneo animo donandi.

4. Illicita est sponsio circa peccatum committendum; sc. sive alter 573
optet alienum peccatum, sive alicui incitamentum sit ad peccatum committendum: nihilominus, peccato facto et lucro accepto, onus restitutionis urgeri nequit. Similiter propter indecentiam et periculum peccati certae sponsiones prohiberi plane possunt et irritae declarari. — Honesta autem ex se sponsio circa peccatum ea est, quae a peccato quasi poena imposita retrahit.

§ 5.

De ludo.

574 1. Ludus contractus est, quo ludentes inter se conveniunt, ut certa res exposita victori tribuatur.

Non omnis ludus aleatorius est, sed distinguitur industrialis, aleatorius, mixtus: prout ab arte, dexteritate, solertia, industria pendet; aut vix non prorsus a sorte regitur; aut tum ab industria tum a sorte destinatur.

2. Quamquam per se nulla species ludorum est illicita, tamen ludi aleatorii abusui et scandalo longe facilius patent, et generatim lucri causa, i. e. ad quaerendum magnum lucrum ludere, a peccato saltem veniali vix immune esse potest, quoniam sola honesta ludendi ratio est recreare animos et ad labores iterum reddere aptos.

Imo ratione rixarum, blasphemiae, periculi nimii excessûs, rerum familiarium ruinae etc. tum lusores, tum qui occasionem praebent et alliciunt, graviter possunt peccare.

575 3. In genere, ut ludus honestus sit, debet 1) ex objecto suo non esse contra legem sive naturalem sive positivam; 2) debet fraus et dolus ab eo exsulare: attamen quaedam astutiae ex consuetudine et diversi ludi regulis permittuntur; si quae aliae adhibentur, justitia laeditur sub onere restitutionis secundum spem lucri, quam victus habebat; 3) utrimque moraliter idem esse debet periculum: at si quis sciens et volens cum multo peritiore ludit, non est, cur de injuria conqueri possit, neque si uterque excessum notabilem in peritia ignorat; 4) deesse omnis coactio ad ludendum: quae coactio, si sit veri nominis, contractum facit rescindibilem ex parte ejus, qui metum passus est, ita ut etiam post ludum, si victus sit, solvere non teneatur et pecuniam solutam juste possit repetere; imo victor, qui metum incutit, etiam non rogatus jam per se saltem partem lucri restituere debet, in quantum ipse ex majore peritia majorem spem lucri habuit, sed si, qui metum passus est, victor evasit, ipse nihil tenetur restituere neque ex se, neque ex alterius petitione: S. Alph. n. 880; 5) ludentes debent liberam dispositionem pecuniae habere, quam exponunt; neque nimiam summam exponere, sed animi recreandi causa, quamquam hujus moderationis defectus ex se virtutem quidem, sed non justitiam laedit.

De iis ludis, qui clericis prohibentur, dicetur postea occasione tractatûs de sacramento Ordinis n. 972.

Partitio II.

De successione haereditaria.

576 Absolutis praecipuis quaestionibus, quae circa contractus moveri possunt, restat, ut de altero modo transferendi bona atque jura breviter dicamus, de successione in locum defuncti.

Quae successio fit aut sine voluntate defuncti declarata, aut per eam; aliis verbis, aut ab intestato, aut per testamentum.

Caput I.

De notione et origine utriusque successionis.

1. Jure naturae postulatur, ut loco defuncti, si familiam habet, aliquo modo ad eam bona et possessiones transeant. Nam pro familia ejusque conservatione non minus necessaria est *stabilis* bonorum possessio, quam pro singularibus hominibus.

2. Sed si a filiis transeas ad alios cognatos, non ita ostendi potest, postulari per legem naturalem, ut, deficientibus filiis, illi bona recipiant. Si tamen illi egestate premuntur, obligatio gravior aut levior erit, iis prae ceteris providendi; ita ut mortale peccatum censeatur, *fratres et sorores gravi necessitate* pressos praeterire. — Lege positiva vix non ubique cautum est, ut cognati propinquiores, etsi non sunt ex descendentibus, in bona defuncti succedant: quibus in conscientia stari debet, si defunctus nihil statuerit.

3. Alter modus adeundi bona defuncti est per ipsius defuncti 577
ultimam voluntatem. Praecipua voluntatis ultimae declaratio est *testamentum* seu: ultimae voluntatis dispositio de eo, quod quis post mortem suam fieri velit (cum directa haeredis institutione).

Dicitur *ultima voluntas,* non quod ultimo vitae tempore debuerit fieri *declaratio,* sed quod *vim suam accipiat* ab hujus ultimi temporis voluntate: nisi enim voluntas, si antea declarata erat, permanserit, vim non habet; hinc dispositiones ultimae voluntatis *natura sua* sunt *revocabiles.*

Alium modum ultimae voluntatis habes in *donatione mortis causa.*

4. Satis probabile est, valorem ultimae voluntatis ex ipso jure naturali subsistere; nihilominus id etiam negari nequit, legem positivam quaedam hac in re constituere posse, quae valorem ultimae dispositionis tangunt. Re ipsa autem haec fere ubique lege positivâ statuta sunt: 1) ut certis personis jus certae bonorum partis competat, quod a testatore laedi non possit; 2) ut quidam a participatione bonorum defuncti exclusi exsistant; 3) ut in ipso testamento condendo certae formae observandae sint. Cf. *Theol. mor.* n. 1141 sqq.

5. Praecipua difficultas practica est in eo, quid valeant testamenta 578
informia, i. e. quae forma per legem praescripta careant: seu, quod idem est, quo sensu leges formalitates quasdam ad valorem requirant. — Respondeo breviter: Si agitur de iis formalitatibus, ex quarum defectu nullatenus dubia redditur testatoris voluntas, sed quae testatorem potius invitum fugerunt, *probabile* est, sive legislatores sive consuetudinem eum legi sensum tribuisse, ut invalida tandem sint testamenta *post judicis sententiam.*

6. *Quare practice haec pro foro conscientiae observanda sunt:*

1) Ubicunque non probatur perfecta nullitas ejusmodi dispositionis, si modo constat certo de voluntate testatoris: *haeres seu legatarius ex tali informi testamento bona sibi assumere potest; haeres ab intestato autem etiam sibi bona illi tradenda potest petere.*

2) In causis piis sola lex canonica respici debet, nisi forte lex civilis plus faveat: quare *si constat certo de testatoris voluntate, haec pia legata tum ab haerede testamentario, tum ab haerede qui ex intestato res accipiat, solvi debent.* Quae requiratur certitudinis probatio, v. n. 583.

3) *Haeres sive legatarius, qui ex testamento informi bona accepit, fraude uti nequit contra haeredem ab intestato,* neque eum impedire, quominus judicem adeat ad rescindendum testamentum, in causis profanis; imo generatim serio postulanti ante judicis interventum cedere debet, neque occulta compensatione uti potest, nisi praeter testamentum informe *alium* titulum *justum* circa bona testatoris habeat.

4) Quod de testamento informi dictum est, fere etiam dicitur de translatione bonorum in homines civiliter incapaces: accuratiora sequenti capite suo loco notantur.

5) *Haeres etiam legaliter agnitus aliquando dispositiones etiam non piarum causarum, licet informes, plane in conscientia implere debet,* si v. g. testator sive antecessor fide haeredis nixus aliqua injunxit vel majorem cautionem omisit, nimirum aut ex mera fidelitate, aut ex onerosa promissione tunc obligatur.

Caput II.

De haeredibus eorumque portione.

§ 1.

De notione haeredum bonorumque inter eos divisione.

579 1. *Haeres* ex antiquo jure distinguitur a legatario. Haeres igitur est, qui repraesentando defunctum in ejus bona succedit, sive ex toto *(haeres ex asse)* sive secundum quotam bonorum partem *(haeres ex parte),* ideoque semper *ex titulo universali;* legatarius, qui ex defuncti voluntate recepturus est certa aliqua bona, tradenda per haeredem, ideoque dicitur succedere *ex titulo particulari.* — Jura recentiora hanc haeredis et legatarii distinctionem non ita premunt: quare etiam nos eam in sequentibus non ita attendimus.

2. Distinguuntur haeredes: 1) *ab intestato (legales vel legitimi),* et *testamentarii;* 2) *necessarii,* et *arbitrarii seu liberi.* — Excluduntur ab haereditate alii titulo *incapacitatis,* alii titulo *indignitatis.*

3. *Legales haeredes* generatim sic statuuntur, ut vocentur ad haereditatem 1) filii eorumve descendentes, 2) parentes, et fratres atque sorores (vel *una cum* parentibus, vel *post* eos), 3) alii propinquiores consanguinei: accuratiorem tamen distributionem a legibus regionis discere debes. In plerisque juribus etiam uxor statim cum aliis haeredibus in partem haereditatis vocatur, in aliis tamen aliter.

4. *Necessarii haeredes,* quibus certa portio debeatur, sunt generatim: 1) descendentes; 2) iis deficientibus ii ascendentes, qui defuncto si supervixisset legitimam partem relinquere debuissent; 3) aliquando etiam fratres et sorores; 4) generatim etiam uxor. — Portio autem necessaria seu legitima diversa est pro diversis juribus et pro numero

haeredum necessariorum. Jus Americanum et Anglicum fere non agnoscunt (exceptis quibusdam bonis immobilibus) haeredes necessarios; ex iis juribus, quae haeredes necessarios statuunt, jus Romanum liberae dispositioni testatoris semper magnam partem, i. e. minimum $^1/_2$, relinquit; jus Gallicum saepissime solum $^1/_3$ vel $^1/_4$; reliqua jura fere differunt intra hos limites. — Plura vide in *Theol. mor.* n. 1150 sqq.

5. *Pro foro conscientiae* haec attende: 1) Quae statuitur portio 580
legitima, ea generatim servari debet. Quando tamen haeredes opibus abundant atque causa rationabiliter gravis subest, crimini verti testatori nequit, si ita de bonis suis, maxime in pios usus, disponat, ut legitima pars nonnihil laedatur in iis regionibus, ubi liberae testatoris dispositioni parum relinquitur.

2) Quae liberae dispositioni relinquuntur, potest quidem testator sine injustitia uni filio prae aliis conferre: verum nisi causa manifesta est, sane partialitate delinquere parentes possunt, idque graviter, quum facile excitentur gravia dissidia.

3) Ex causa autem valde gravi etiam haeres alioqui necessarius ab haereditate plane potest excludi seu exhaeredari: quod ipsae leges positivae etiam permittunt, quamquam diversae cum diversis clausulis.

6. Incapaces sunt, ita ut dominium nunquam acquirant: 581

1) qui tempore mortis testatoris aut ipsi jam mortui, aut nondum concepti sunt — si igitur concepti jam erant illo tempore (i. e. si non ultra 10 menses usque ad eorum nativitatem elapsuri sunt), haereditatis sunt capaces, modo in statu vitali nascuntur. (Quare incapaces sunt: a) qui nascuntur *mortui*, b) qui nascuntur ut *foetus abortivi*, i. e. nondum emortui, sed vitae extrauterinae incapaces. At haeredes vere fiunt, qui in statu vitali brevissimo tantum tempore vivunt);

2) incapaces sunt civiliter mortui;

3) ii, qui recipiunt: a) ab illis, qui testamenti condendi incapaces sunt, b) ab aere alieno gravatis, quum indemnes facere debeant creditores, c) qui accipiunt in defraudationem legitimae partis haeredum necessariorum;

4) filii *adulterini et incestuosi* vel *ex coitu damnato* procreati, nisi quid alimentorum causa recipiant: ita saltem ex communi interpretatione juris Romani: at non ita omnia jura recentiora, quorum aliqua incapacitatem plenam *per judicis sententiam declarandam* constituunt;

5) non raro corporationes declarantur incapaces accipiendi legati sine consensu civilis auctoritatis, vel etiam confessarius aliive qui in ultimo morbo curam defuncti habuerint. Quod quatenus in odium religionis seu Ecclesiae vergit, invalide statuitur: imo causas ecclesiasticas civilis potestas jure accipiendi privare minime potest.

§ 2.

De aliis haeredum juribus et oneribus.

De aliis juribus et oneribus accipe haec pauca: 582

1. Mortuo testatore atque testamento aperto, haeres, qui personalis actionis capax est, secundum plerorumque locorum leges nondum acquirit ipsam haereditatem, sed *jus ad illam accipiendam* — seu fit

haereditatis *delatio:* aliquae leges statuunt, ut per ipsam delationem haeres jam *acquirat*, et solummodo ut acquisitio evadat pleni juris, acceptationem pro necessaria habent.

2. Quo fit, ut intra certum tempus ab haerede aut repudiari, aut acceptari haereditas possit.

3. Acceptatio potest fieri aut sine conditione, aut sub beneficio inventarii. Repudiatio num ita fieri possit, ut haeres nihilominus sibi servet portionem legitimam, vel ut sit haeres ab intestato, a lege regionis pendet.

4. Haeres cum bonis etiam omnia debita et onera realia defuncti in se suscipit, atque imprimis defuncti voluntatem circa legata etc. aliasque testamentarias dispositiones exsequi debet, nisi specialis exsistat testamenti exsecutor: in qua re quum dilatio gravi damno esse possit sive defunctis sive aliis, ne morâ quidem per legem concessâ pro arbitrio licet uti. Nisi vero sub beneficio inventarii haereditatem haeres acceperit, ad debita defuncti solvenda juridice cogitur, etsi bona haereditatis superent: ad quod tamen in conscientia non tenetur.

Caput III.

De Testamento.

583 Testatorem esse non posse, nisi qui praeter merum dominium etiam liberam disponendi facultatem habeat, ex ipsa re patet. Quare aliqui ipsa natura, alii lege positiva a testamenti factione excluduntur.

§ 1.

De forma testamenti.

Formam testamenti, ut coram lege valeat, adeo diversam diversae leges praescribunt, ut impossibile sit, singulas enumerare.

Distinguitur: 1) testamentum *publicum* et *privatum:* prius, si Principi offertur, aut judici vel apud acta judicialia conditum (aliquando loco judicis sufficit notarius publicus) — semper igitur *scriptum* est: in Borussia haec sola est legitima testamenti *ordinarii* forma.

2) Testamentum *nuncupativum* (oretenus datum) et *scriptum;* scriptum aut *apertum,* aut *clausum* est. Communi jure requiruntur 7 (8), 6 testes iique qualificati, quo testamentum sit validum, (vel etiam ut fiat coram *uno* notario cum 4 testibus, sive 2 notariis cum 2 testibus: in *clauso* jus Gallicum requirit notarium cum 6 testibus). — Jus Anglicum requirit solum praesentiam duorum testium, qui tamen cum testatore simul ita praesentes esse debent, ut *potuerint* saltem videre, quid fieret.

3) Insuper complura jura recentiora admittunt testamentum *holographum,* quod a testatore propria manu scribitur integre cum additione anni, mensis, diei et nominis integri subscriptione.

4) Testamenta *privilegiata* vix non ubique admittuntur, ita ut pro certis causis sufficiat minor testium numerus. Ita: a) testamentum militare (in militari expeditione) coram *duobus* testibus vel etiam *uno*

officiali; b) testamentum tempore epidemiae simili fruitur generatim privilegio, ut militare; c) sola divisio bonorum ex parte parentum inter liberos generatim fieri potest coram duobus testibus, vel scriptione quoad substantiam; d) testamentum ad pias causas per se *lege Ecclesiae* regitur, quae non requirit nisi *certam probationem*, i. e. per *duos* testes, vel si de legato solvendo agitur per ipsius haeredis confessionem (— alioquin *unus* testis non censetur sufficere): qui piarum causarum favor aliquando lege civili agnoscitur; sed etsi non agnoscitur, per se haeredem in conscientia ligat; attamen utrum monitio facienda sit necne, prudentiae relinquendum est.

§ 2.

De testamenti dispositionibus et clausulis.

1. Principalis dispositio testamenti est institutio haeredis: cui addi 584
potest haeredis *substitutio*, quae distinguitur *vulgaris*, *pupillaris*, *fideicommissaria.*

2. Si cui praeter haeredes aliquid ex bonis defuncti addicitur, ille vocatur *legatarius*, illa dispositio *legatum.*

Porro ejusmodi dispositio potest esse absoluta aut conditionata. De conditione haeredi vel legatario imposita specialem difficultatem facit conditio inhonesta et impossibilis: hae enim *positiva* dispositione juris communis *pro non adjectis* habentur; jure Austriaco reddunt testamentariam dispositionem *invalidam*, nisi sint conditiones resolutoriae; jure Borussiaco conditio inhonesta quidem *pro non adjecta* habetur, de impossibili tamen plura et diversa statuit.

3. Testamento adjici potest clausula *codicillaris*, qua declaretur, ut, si quid forte desit valori ut testamento, dispositio valeat saltem ut *codicillum.* Codicillum enim requirit minorem solemnitatem, sed solum pro faciendis legatis extra testamentum admittitur. Quo fit, ut, si testamentum fiat merum codicillum, haeres ab intestato evadat quidem haeres, sed detracta sibi quarta Trebelliana haeredi testamentario haereditatem tradere debeat ut legatum et simul alias dispositiones testamentarias, nisi forte reducendae sint, relinquere intactas. Cf. *Theol. mor.* n. 1163—1165.

§ 3.

De causis et modis, quibus testamentum valore vel efficacitate privatur.

Sunt modi varii, quibus valor testamenti corruit:

1. Nullitas: quae quid sit et quo sensu, ex supra dictis habes. 585

2. Irritatio: a) *privata*, eo quod testator post factum testamentum constituatur sub alterius paterna potestate, quo corruunt omnes dispositiones, etiam ad pias causas: sed hodie id vix occurrere potest; b) *judicialis*, eo quod propter defectum legalis formae declaretur testamentum nullum: quo corruunt profana quidem legata, sed si de testatoris voluntate constat, in foro conscientiae sustineri debent legata pia.

3. Destitutio, eo quod is qui scribitur haeres, nolit vel non possit haeres esse: pia legata sustineri debent.

4. Ruptio — quando post testamentum conditum nascitur testatori filius (vel alius haeres necessarius): attamen non omnium regionum jura idem disponunt; at rupto testamento, si testator haeredis sui nativitatem nescivit vel non speravit, nullae dispositiones neque piae sustineri debent.

5. Revocatio: quam fieri *posse,* ad essentiam testamenti pertinet. Re autem fit sive physicâ sive morali testamenti destructione, novi testamenti confectione (at in hoc ultimo casu, nisi prius destruatur vel expresse revocatur, plures leges declarant, utriusque testamenti dispositiones, quantum possibile sit, esse servandas).

§ 4.

De testamenti exsecutione.

586 In testamenti exsecutione, sive haec ad specialem exsecutorem, sive ad haeredem spectat, praecipue attendi debet I. quae dona antea data *conferri,* i. e. in partem haereditatis accipiendae computari debeant; II. quomodo legata eorumque causae et conditiones sint intelligenda.

Ad I. *Conferri debent* dona immobilium, nisi testator ea exprese a collatione exemerit, at non eorum fructus, neque donationes manuales minoris momenti.

Conferri debent illae expensae, quae in solam filii gratiam factae sunt neque redundant in bonum familiae commune, nisi aut condonatio facta sit, aut censeantur pro conditione parentum minoris momenti.

Hinc: conferri seu *computari non debent:* 1) quae filius in recreationes non excessivas expendit;

2) quae erogata sunt ratione studiorum, assequendi honoris etc., nisi ratione conditionis parentum impensae sint magnae: quare si in humili conditione parentes positi sunt, atque fortasse reliquis filiis vix id relinquere possunt, quod impenderunt in studia unius, sane has expensas computari pro haereditate ejusve parte, aequissimum est;

3) quae erogata sunt ad redimendum filium a militia in bonum familiae: secus, si in proprium tantum commodum redemptus sit pecunia pro parentum conditione notabili: Cf. S. Alph. n. 955—959, Gury-Baller. I n. 807—809. — In Americae Sept. Statibus Foederatis *semper praesumitur,* has expensas ad collationem non esse adducendas, nisi clare constet de contrario: Konings n. 901.

587 Ad II. 1. Si res *indeterminata* legatario adscribitur, quando naturalis est, ut bos, equus, res illius speciei *mediocris* dari debet; si est artificialis, electio pendet ab haerede, ita ut legatarius etiam minima contentus esse debeat: S. Alph. ex Busenb. n. 938.

2. Si *conditionate* aliquod legatum statuitur, sufficere debet aequivalens impletio, si aut lex id admittit, aut voluntas testatoris secus inhonesta fieret.

Hinc: legatum *certae personae* destinatum *„si nubat“,* plerumque etiam ei dandum est, si monialis fit; legatum Petro destinatum, studiorum causa sub conditione *„nisi sacerdos vel religiosus fiat“,* etsi *naturaliter invalidum,* ex iis legibus, quae turpes conditiones pro non-adjectis habent

neque *istam* excipiunt, nihilominus Petro debetur. — Legatum puellis *pauperibus ‚ut nubant'* relictum, dari *nequit* ex sententia multorum iis, quae volunt moniales fieri: siquidem causa pia sit, succurrere puellis periclitantibus, quae nupturae sunt; verum aliis videtur fieri posse etiam electio earum, quae, ut periculum effugiant, Christo sponso se tradere volunt: quam electionem testatoris voluntati conformem esse, saepe merito judicari debet (v. Gury-Ball. I n. 830 not., Giribaldi *de contract.* c. 15 n. 145 sqq. cum aliis); posse dari puellis jam sine dote nuptis, merito negatur (S. Alph. n. 930), nisi *determinatae* puellae legatum relictum sit.

Legatum relictum orphanis posse etiam dari iis, qui a parentibus non aluntur, satis certum est, si vere orphani non adsunt; imo etsi adsunt, S° Alph. videtur „non omnino improbabile", etiam illos eligi posse: ib. n. 930, Giribaldi ib. n. 150 etc.

Legatum relictum *„pauperibus"* dari potest quibuslibet, qui secundum statum suum vivere nequeunt (etiam nobilibus), nisi de contraria intentione testatoris constet: quia necesse non est, ut eligantur pauperiores.

Legatum destinatum puellae *„si maneat virgo"*, dandum est, saltem *si ita est positiva lex*, etiamsi nubat: S. Alph. ib.

Legata pia certae causae destinata commutari ex justa ratione possunt a S. Pontifice, ab Episcopo autem tum tantum, quando commutatio potius est voluntatis defuncti justa interpretatio, ut si quis legat certae ecclesiae summam pecuniae pro calice, ecclesia vero pauper non indigeat calice, sed paramentis: S. Alph. n. 939.

Tractatus V.

De officiis circa bonum famae et honoris, quae respondent octavo decalogi praecepto.

„Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium." Ex. 20, 16.

Consuli possunt: S. Alph. l. 3 n. 962—1003, S. Thom. II. II. q. 73, Lugo *de justit. et jure* disp. 14, Elbel p. IV. n. 343—413 etc.

Fama est bona aestimatio, qua homo apud alios fruitur; *honor* 588
est hujus aestimationis secundum dignitatem significatio. — Quatenus ergo honor famam includit, honorem laedere gravius peccatum est, quam famam.

Fama bona frui summe necessarium est in sociali vita, tum ut homo coerceatur et contineatur in suis officiis, tum ut labores suos utiliter possit impendere. — Hinc etiam cura propriae famae habenda est. Nihilominus quum fama bonum absolutum non sit, ex altioris virtutis motivo ea aliquando meritorie negligi potest: nisi forte cum propriae famae damno alia mala conjuncta sint. Haec praenotata habe de cura hominis in famam *propriam.*

Caput I.

De obligatione circa honorem et famam alienam ejusque laesione.

§ 1.

De diffamatione.

589 1. *Diffamatio est famae alienae laesio illicita vel injusta.* — Quae si fit verum defectum revelando, est *simplex detractio;* si fit falsum imponendo sive verum falso exaggerando, *calumnia* dicitur: utrumque fieri potest directe narrando, vel indirecte, scilicet tacendo, frigide laudando, in communi laude aliquem notanter praetereundo etc.

2. *Modi* illi *diversi morali malitia non differunt;* neque calumnia a simplici detractione per se differt nova malitia *mortali:* nihilominus expedit eas in confessione distinguere, quia longe facilius per calumniam graviter peccatur, et aliae saepe incurruntur sequelae. — Similiter diffamatio in hac vel illa re ex objecto suo non contrahit malitiam specifice diversam.

3. *Diffamatio igitur ex genere suo mortale peccatum est, quamquam admittit parvitatem materiae:* neque jus est cuilibet occulta vitia alterius propalare; sed e contrario jus est cuilibet sua tenendi, si fieri possit, secreta, quae ipsius interest secreta manere.

590 *Gravitas autem (detractionis) non tam pendet a gravitate (mortali aut veniali malitia) peccati vel defectus manifestati, quam a gravitate damni sive in fama sive propter famam in aliis bonis, quod ex detractione oriturum sit:* non enim quodlibet peccatum mortale quemlibet graviter diffamat, neque quodlibet veniale peccatum vel macula nullatenus imputabilis leviter; sed attendenda sunt 1) res narrata cum conditione personae laesae, 2) conditio audientium et narrantium, 3) rei narratae vel similis jam facta publicitas.

Hinc: 1) Hominem valde pium dicere mendacem seu mendaciis assuetum, est *gravis* diffamatio; vel virum magnae auctoritatis exhibere ut virum parvi judicii, scrupulosum etc.

2) De homine valde mundano dicere, eum vindictam cogitasse, communiter non est grave; neque de eo, qui jam diffamatus est in aliquo genere, peccatum omnino affine narrare — (de eo vero, qui semel lapsus sit, relapsum narrare, plane grave peccatum esse potest et ex se est).

3) Narrare defectus *naturales,* imo etiam morales *generales,* v. g. esse iracundum, superbum, quum potius de naturali inclinatione sumantur, plerumque non continet gravem diffamationem. — Simile quid dic de vitio gentis: quod ceteroqui censetur esse notum et publicum.

4) Dicere, in hoc vel illo loco multos esse improbos (etsi nominatur certum vitium), non censetur gravis diffamatio, quum nemo determinatus infametur. — Aliud est, idem dicere de minore aliqua communitate, vel etiam de magno numero dicere, omnes vel fere omnes nefarios homines esse: nisi appareat, eam manifestam esse exaggerationem.

5) Narrare aliquid de eo, quem audientes non norunt neque cogni- 591
turi sunt, non censetur diffamatio.

6) Aliquid in se graviter diffamans narrare uni alterive viro prudenti, quem illud ulterius non divulgaturum esse scitur, non habetur, approbante S° Alphonso, pro mortali diffamatione, nisi *ei* res narretur, cui prae aliis auctor velit rem maxime esse ignotam.

7) Narrare aliquid ut auditum ab aliis, si exhibetur ut fide dignum, sane, pro objecto et circumstantiis, gravis diffamatio est; si exhibetur ut fide non dignus rumor, non fundatus, *ex se* gravis diffamatio non est.

8) Similiter diffamatio objective gravis non est, si praevidetur, ab audientibus fidem non adhiberi: quare homines leves, garruli ex hac ratione facilius excusantur saltem a *justitiae* gravi laesione.

9) Loqui de rebus, quae jam publici juris sunt, etsi qui primo publicaverunt, peccaverint, relate ad alios non est peccatum diffamationis: neque cum iis, qui adhuc ignorant, ea loqui, peccatum est, saltem non grave; verum id ne refer ad ipsos injustae diffamationis auctores, quum hi ad restitutionem omnis damni obligentur.

10) Item probabiliter abest diffamationis peccatum, vel grave peccatum, si res in uno loco publica narratur in alio loco, si modo a) res est *absolute* publica, non in sola clausa aliqua communitate, b) neque ex anticipata divulgatione *aliud* grave damnum ei, de quo agitur, oriturum est. — Id autem transferri nequit ad narrationem rei olim publicae, nunc oblivione sepultae: sic enim diffamationem resuscitare, grave peccatum censetur esse *saltem* contra caritatem.

Haec igitur per se de rebus *veris* narrandis valent: si de imponendis criminibus falsis agitur, non in omnibus casibus idem judicium ferri potest.

4. *Laesio famae alienae sperni potest, si habetur justa causa cum* 592
altero ea communicandi, quae tertium quendam in fama laedunt; imo pro adjunctis sperni *debet:* at ea ulterius propagare nullatenus licet.

Speciatim nota sequentes rationes praeter manifestationem hominis periculosi: 1) Ut innocentem defendam, licet reum prodere: id quod etiam ad historiographos applica.

2) Informare herum de conditione, moribus famuli, quem conducere statuit, non solum licet, sed ad caritatis *officia* pertinet.

3) Corrigendi filii causa parentibus sibi invicem defectus filii communicare licet, imo plerumque convenit.

4) Similiter ei, quem puto aptiorem ad corrigendum delinquentem, hujus delictum referre possum; attamen non debet pluribus communicari, quam ad convenientem correctionis modum necessarium est.

5) Solatii causa amico narrare injuriam ab altero etiam a Superiore acceptam, pro gravi peccato non habetur: S. Alph. n. 975; imo Salmant. tr. 13 cap. 4 p. 5 n. 46 id ab omni peccato excusant; at nisi aliae rationes accedant, veniale aliquod peccatum videtur raro abesse.

6) Magis etiam licet mihi alterius diffamationem spernere, si ad consilium necessarium capiendum alienum crimen communico.

7) Ut reus in judicio elidat vim testimonii contra se dati, licet cum limitibus n. 353 datis crimen testis manifestare.

8) Acceptae injuriae reparandae causa licet rem ad judicem deferre, etsi auctoris infamatio sequitur: cf. Tamb. *in decal.* l. 9 c. 3 § 4. Verum saepe caritas postulat, ut antea tentetur mutua reconciliatio privata, et aliquando timor excitandi graviora mala vel scandala judicialem causae prosecutionem prorsus prohibere possunt.

593 5. *Audientes* detractionem gravem graviter peccant, idque contra justitiam, si laudando, applaudendo, interrogando eam excitant vel promovent; graviter contra caritatem, si de alienae famae damno gaudent; venialiter tantum peccat per se, qui, quum commode possit, non impediat, nisi forte propter aliud damnum oriturum, vel quia Superior est, gravius delinquat; plerumque a peccato omni excusatur, qui aliquo modo displicentiam ostendit, quia aperta correptio raro utiliter fit ab homine privato.

Cf. *Theol. mor.* n. 1175—1185.

§ 2.

De judicio temerario et suspicione.

594 Cum diffamatione intime cohaeret judicium temerarium et suspicio, qua quis apud seipsum sinistre de altero cogitat atque ejus famam laedit: nam si suam suspicionem vel praeconceptam opinionem aliis communicat, detractionem formalem, de qua praecedenti § sermo erat, committit; quamquam qui sinistras *suspiciones ut tales* communicat, saepe ob parvitatem materiae a peccato mortali excusatur.

1. Judicium a suspicione temeraria sic distinguitur, ut judicium sit firma mentis adhaesio quoad proximi defectum diffamantem sine sufficienti ratione, suspicio infirma quaedam adhaesio seu potius mentis inclinatio vacillans ad affirmandum talem defectum.

2. *Judicium temerarium in re graviter diffamante est peccatum grave, si est judicium perfectum, perfecte grave, et perfecte temerarium.* Ad hoc autem requiritur 1) ut sit *judicium,* non mera apprehensio; 2) ut sit assensus moraliter certus, quo pro persuaso rem habeat; 3) ut concipiatur vel sustineatur ex rationibus, quae advertuntur esse vere leves; 4) ut sit de persona vel communitate ei, qui temere judicat, nota; 5) ut sit in re gravi seu graviter diffamante.

595 3. *Suspicio temeraria etiam voluntarie sustenta in re ordinarie gravi ex se non censetur mortale peccatum esse;* sed mortalis malitia saltem restringitur ad rem enormiter gravem pro conditione proximi, aut ad malitiam quae suspicioni accedat sive ex qua suspicio voluntaria oritur, nimirum si oritur *ex odio* vel vergit in *gravem* ejus, de quo suspicio concipitur, contemptum.

4. Sese atque suas res custodire ex timore, ne ab aliis invadantur, non est ex se suspicio temeraria seu peccaminosa: illud enim non nititur in judicio aut positiva dubitatione contra certum hominem, sed nititur in illo judicio vel timore, quo quis putat, *posse* accidere, ut aliquis, quem ipse quidem habeat pro homine probo, nihilominus re ipsa sit malus atque perversus, quum multi sint mali: quod verum est.

§ 3.

De contumelia.

1. Contumelia nova species injustitiae est, sc. laesio alieni honoris 596
injusta: quae fit plerumque contra eum, qui aliquo modo praesens est, quum detractio fiat regulariter contra absentem; nam si detractio fit contra praesentem, praeter diffamationem *simul* contumeliam continet. Praesens autem aliquis dicitur aut personaliter, aut in aliquo suo signo, ut in imagine, literis a se scriptis etc.

Contumelia igitur est signum contemptûs, sicut honor est signum aestimationis: quare ut contra absentem committatur veri nominis contumelia, debet fieri aut aliis spectantibus, aut contra signum — puta imaginem — publice expositum: alias enim vix distinguitur a contemptu, quem quis apud se contra alterum fovet.

Verum si quid contra honorem alterius fit, non ipso praesente, sed coram aliis tantum, si *internus contemptus gravis* abest, non tam facile graviter peccatur, nisi fiat coram iis, qui dicta vel facta illi, cujus honor laesus est, relaturi sunt: nam ut docet S. Alph. l. 3 n. 334 (de praec. IV.) honor non laeditur, nisi per contumeliam illatam in praesentia offensi; vel in absentia, sed eo fine, ut alter resciat. Addendum tamen est ex contextu S. Doctoris: „vel cum praevisione, quod offensus id comperiat." Alias S. Alph. *contumeliam* gravem adesse negat.

2. Contumelia fieri potest variis modis, sc. verbis, quando convicia, 597
probra in aliquem conjiciuntur; signis, ut irrisione, contumeliosis gestibus; factis, ut conspuendo, percutiendo etc.: quae omnia in ratione *contumeliae* probabiliter ejusdem sunt speciei. Cf. S. Alph. cum Busenb. l. 5 n. 82 *(de peccatis)*. Aliquando tamen accuratior *modi* inquisitio confessario necessaria esse potest, ut cognoscat, utrum mortale peccatum fuerit, necne. — Potest contumelia etiam fieri omissione debiti honoris, si *apparet,* id fieri *ex contemptu.*

Ad contumeliam saepe *accedunt aliae malitiae,* v. g. contra pietatem, contra religionem per blasphemiam, contra caritatem ob scandalum.

3. Contumelia est *ex genere suo peccatum mortale,* imo diffamatione gravius; sed admittit parvitatem materiae. Quare ut de gravitate recte judicetur, attendi multum debet ad conditionem personarum. Audi Busenbaum, consentiente S. Alph. l. 2 n. 81: „Sic excusantur saltem a mortali multi parentes, dum filios vocant asinos etc. Item mulieres, pueri, et infimae sortis homines conviciis se onerantes: quia, quum fides iis non habeatur, non laeditur graviter honor."

Caput II.

De restitutione propter laesam famam vel honorem.

1. *Restitutionis obligatio non famae tantum sed etiam aliorum damno-* 598
rum, quae aliquo modo praevidebantur, oritur ex omni et sola diffamatione, qua peccatum est contra justitiam; nam si sola caritas laesa

est, reparatio notabiliter incommoda, et tum maxime vix efficax, ita urgeri nequit.

2. *Restituendi obligatio urget omnes, qui ad injustam diffamationem contulerunt,* neque solum apud eos, quibus immediate rem narraverunt, sed etiam per se apud eos, qui ab his rem perceperunt, saltem si haec divulgatio ulterior praevideri poterat. In simplici detractione autem practice saepe nihil restat, nisi ut fiat reparatio apud immediatos auditores cum seria admonitione, ut hi ex sua parte retractent.

Qui vero *sine gravi culpa* alienam famam laesit, debet, quum primum errorem advertit, si modo possit non difficulter, reparationem *famae* facere: quod si deliberate negligit, *ex tunc* tenetur ut ex gravi culpa de *omnibus* damnis oriundis.

599 3. *Modus autem reparandi famam diversus est in simplici detractione et in calumnia.* Qui enim calumniatus est, debet, si necesse fuerit, etiam aperte retractare: qui autem simplicem detractionem fecit, aperte retractare per mendacium nequit; verum *restrictione utens* retractare per se et potest et debet. E. g. qui alterum adulterii incusavit, quod re ipsa commissum quidem est, sed nondum publice notum, verissime dicere potest aut etiam debet, se errasse seu se *falso alterum adulterii reum* dixisse; nam adulterii incriminari ille solus potest, cujus adulterium *notum est,* et proin *restricto sensu* vere negatur, eum adulterii reum esse, qui ut talis *notus non* est.

At quoniam saepe accidere potest, ut in simplici detractione ejusmodi retractatio efficax fieri nequeat: vix aliud superest, quam ut quaeratur opportunitas illum, qui antea est diffamatus, dextre coram iisdem laudandi, etiamsi fiat in aliis rebus, et sic, quantum fieri possit, damnum resarciendi: S. Alph. n. 992.

600 4. *Ab obligatione retractandi diffamationem excusare possunt complura:* 1) difficultas relative nimis magna et excedens ex parte diffamatoris, 2) inefficacia retractationis praevisa, 3) reparatio famae aliunde jam orta, 4) remissio ex parte ejus, qui est diffamatus, si modo eam libere fecit, et sine injustitia erga alios secum laesos facere potuit.

Hinc in simplici detractione facilius praesumi potest post longum tempus, rem esse oblivioni datam, sc. si id *probabile,* etsi dubium sit, ne videlicet per conatum retractationis res fortásse obliterata in memoriam revocetur; in calumnia *probabiliore* judicio constare debet, rem esse oblivioni datam, ut abstineri possit a revocatione.

Verum excusatio a reparanda fama nondum excusat a reparandis aliis damnis conjunctis, si quae sunt.

Demum adverte: ex diffamatione ut obligàtio restitutionis imponatur, constare debet morali certitudine, detractori fidem fuisse adhibitam.

601 5. *Qui injuste laesit honorem proximi, debet illum restituere, sicut laesit: si laesit publice, publice; privatim, si privatim laesit.*

Hinc: 1) Qui laesit negative, i. e. non exhibendo honorem, ut satisfaciat, honorem denegatum nunc exhibeat: nisi forte illa denegatio ex circumstantiis positivae contumeliae aequivaluerit.

2) Qui laesit positive, honorem alias non debitum exhibere, imo non raro veniam petere debet. Nimirum 1) si Superior inferiorem dehonoravit, sufficere potest, ut amice salutet, honorifico nomine

appellet; 2) inter aequales sufficere potest, invitatio ad mensam, locum honorificum cedere; 3) si gravior fuit offensa, praecipue si inferior Superiorem dehonoravit, petitio veniae necessaria plerumque est.

3) Veniae petitio per ipsum offensorem non est semper absolute necessaria; sed adhiberi potest persona intermedia, si modo honor publice reddatur: tamen pro gravitate injuriae offensus personalem satisfactionem petere potest. Neque ipsa familiaris allocutio, qua offensus cum offensore utitur, semper pro condonatione haberi potest; etsi sc. sit signum *odii* dimissi, non tamen per se signum *juris habendae satisfactionis* remissi.

4) Si cum honoris laesione conjuncta est diffamatio, etiam famae reparatio sane fieri debet. Cf. de his omnibus *Theol. mor.* n. 1191—1195.

Caput III.

De secreto generatim sumpto ejusque laesione.

1. Secretum aliud est naturale tantum, aliud promissum, aliud 602
commissum. *Naturale* dicitur, quod ex sola natura rei cognitae exsurgit, eo quod res ipsa exigat, ne cum aliis communicetur. Quodsi ad hanc obligationem, qua quilibet adstringitur, ne jus alterius, cujus interest secretum servari, laedat, alia obligatio accedit nulla, secretum *naturale tantum* dicitur. — Secretum *promissum* est, quod oritur ex promissione post rem cognitam accedente, sive res ex natura sua secretum postulavit, sive non. — Secretum *commissum* est, cujus notitia hauritur ex communicatione alterius sub onere, ne ulterius reveletur: igitur promissio tenendi secretum antecedit rei cognitionem; in secreto promisso e contrario eam subsequitur. Perinde est, utrum onerosa haec promissio antecedens explicite data sit, an implicite et tacite tantum.

2. Generalis regula circa liceitatem violandi aliquando secretum haec est: *licere secretum manifestare, si haec manifestatio necessaria est ad grave damnum avertendum, sive damnum commune, sive privatum proprium, sive alienum:* imo secundum leges caritatis et justitiae legalis haec manifestatio fieri potest obligatoria.

3. Verum haec generalis regula *in diversis secretis diversimode* 603
applicari debet:

1) In *secreto naturali tantum* violatio ex eo nondum fit illicita, quod alter, de cujus causa agitur, forte majus damnum subeat, quam quod ego a me avertam. At si injuste in notitiam rei venerim, non licebit usus illius secreti cum alterius damno, nisi alter me ita injuste vexet, ut pro defensione invadere possim ejus secretum, aut nisi de meo gravissimo damno agitur. Confer quae supra dicta sunt de *teste* n. 356 et 357.

2) Secretum *promissum* obligationem revelandi secreti, si forte legitima Superioris interrogatio, aut caritatis lex intervenerit, tam parum aufert, quam si de secreto naturali tantum agitur: verum si agitur de *proprio* damno cavendo, modo hoc damnum me etiam potius passurum esse promiserim quam violaturum secretum, id ferendum est, nisi forte promissio illa illicita vel prodiga fuerit, ut si de propria

morte subeunda agatur. Etsi enim aliquando licite possim pro circumstantiis mortem potius eligere, tamen docente S. Alph., *vi promissionis* non teneor.

3) Secretum *commissum*, etiam a Superiore rogatus, communiter manifestare nequeo: sc. generalis regula est, me tamdiu servare debere secretum, quamdiu committens jus habeat secreti. Quoniam igitur ipse jus habet negandi seu dissimulandi, etiam jus habet, ne ille, cui rem commiserit, eam pandat.

Attamen si non de malo jam exorto, sed potius de malo inferendo vel imminenti agitur, puta si committens secretum ipse injuste alterum vexet, aut si malum praeponderans avertendum sit: ille jure suo cedere debet, ac proin secretum etiam commissum, si necessarium est ad illa mala avertenda, laedi licet. Ita saltem generatim. In specie vero diversi generis secreta commissa distinguantur oportet. Nam secretum sacramentale *plane nunquam* violari licet; *vix unquam* illud, quod cum sacramentali aliquo modo analogum est, ex manifestatione dirigendae conscientiae causa oriundum; *ex gravissima causa* tantum eaque publica, neque summi damni privati avertendi gratia, id quod consiliariis in causis publicis juste communicatur.

604 4. Tandem essentiale discrimen, quod est inter alia secreta et secretum sacramentale, vide fusius in P. II, hîc pauca tantum.

Scilicet: 1) In secreto sacramentali nihil licet, nisi ex licentia *formaliter* et *libere prorsus* data, neque ullo modo *praesumi* licentia potest.

2) In aliis secretis aliquando jure *praesumi* potest licentia, quando apparet, jam nihil interesse committentis, secretum servari aut non servari.

3) Praeterquam in secreto sacramentali, in aliis ratio secreti cessat, si res communicata aliâ viâ jam divulgata est.

Tractatus VI.

De praeceptis Ecclesiae communibus.

605 Quibus officiis secundum legem naturalem supernaturaliter confirmatam et extensam vita christiana concludatur, hucusque expositum est. Ecclesiasticâ lege officia hominis christiani complentur. Quare etiam illam respiciamus oportet: verum ad ea sola praecepta tractationem restringimus, quae christianos universim spectant.

Caput I.

De diebus festivis sanctificandis.

I. Praeter diem Dominicam qualibet hebdomada recurrentem Ecclesia in decursu anni complures constituit festivos dies, quos eodem modo, i. e. abstinentia ab operibus servilibus et participatione S. Missae sacrificii, celebrari a fidelibus jubet.

Quid igitur praeceptum sit, vide in expositione tertii praecepti decalogi.

II. Dies festivi de praecepto per se quidem sunt illi dies omnes, quos Urban. VIII. in catalogo festorum recensuit. Verum disponentibus Pio VI. et Pio VII. pro fidelibus reductio festorum facta est, ita ut catalogus ille Urb. VIII. hodie propterea solum notandus sit, quia 1) norma est parochis aliisque, ut sciant, quibus diebus pro populo Missam applicare debeant; 2) norma est pro ordinatione, si quando ex privilegio etiam sacros ordines conferri licet diebus festivis de praecepto: videlicet etiam *suppressa* festa intelliguntur.

In singulis autem locis videndum est, quaenam festa suppressa sint, quae non, et quo modo festa, quae remanserunt, celebrari debeant; nam aliquando indulgetur quibusdam diebus festivis, ut auditâ Missâ servilia opera exerceri liceat.

III. Catalogum autem Urb. VIII. hîc recenseo. 606

Constitutione *„Universa"* 13. Sept. 1642 S. Pontifex ita ait: „Auctoritate Apostolica decernimus et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse: Dominicos sc. dies totius anni — Nativitatis D. N. J. Ch., — Circumcisionis, — Epiphaniae, — Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, — Ascensionis, — Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, — SS. Trinitatis, — Solemnitatis Corporis Ch., — Inventionis S. Crucis; — Purificationis, — Annuntiationis, — Assumptionis, — Nativitatis Deiparae Virginis — (cui accedit ex const. Clem. XI. *‚Commissi Nobis'* 6. Dec. 1708 Festum Immacul. Conceptionis B. M. V.); — Dedicationis S. Michaelis Arch., — Nativitatis S. Joann. Bapt., — SS. Petri et Pauli, — S. Andreae, — S. Jacobi, — S. Joannis, — S. Thomae, — SS. Philippi et Jacobi, — S. Bartholomaei, — S. Matthaei, — SS. Simonis et Judae, — S. Matthiae; — item S. Stephani Protom., — SS. Innocentium, — S. Laurentii Mart., — S. Sylvestri Papae et Conf., — S. Josephi etiam Conf., — et S. Annae Deiparae Genitricis; — Solemnitatis omnium Sanctorum, — atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque regno sive provincia, — et alterius pariter principalioris Patroni in quacunque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit."

Caput II.

De annua confessione et Communione.

1. Decretum Lateran. Concilii IV. cap. 21 habetur his verbis: 607

„Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et mo-

riens christiana careat sepultura . . . Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, quum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare . . ." — Unde parochorum obligatio gravis est, pueros circa aetatem discretionis (7 ann. vel maturius) instruere et ad confessionem adducere.

2. Obligatio igitur confitendi est semel in anno sine temporis determinatione; quod communiter sic intelligitur, ut necessarium sit, quotannis infra illud temporis spatium, quod decurrit a 1. Januarii usque ad ultimam Decembris, eum confiteri, qui sibi conscius fuerit peccati *mortalis*. Unde quidem communiter concludunt, eum, qui intra annum confessus quidem sit, sed immunis fuerit a mortali peccato, ante finem anni iterum confiteri debere, si in mortale peccatum fuerit lapsus. Verum vix convenit, id fideles monere, maxime quum aliqui pauci etiam doceant, eum qui peccata mortalia non habeat, venialia confiteri debere atque ita praeceptum Ecclesiae implere.

3. Si quis uno anno confiteri omisit, sive culpabiliter sive inculpabiliter: quando postea omnia sua peccata confitetur, utriusque anni praecepto satisfacit, saltem si etiam anno currente peccatum mortale, quod simul confiteatur, contraxerit. Num autem, elapso anno, is, qui praeceptum non implevit, quam primum confiteri debeat, non concors quidem est opinio; sed longe communius affirmant fere secundum ea, quae mox notentur de praecepto Communionis.

4. Confessio fieri potest cuilibet *approbato confessario*, utpote ad quem ex licentia *proprii* sacerdotis, i. e. sive Episcopi sive Papae, dirigantur fideles pro suo libitu et electione; quare apud parochum confitendi obligatio nulla amplius exsistit: cf. Ben. XIV. *de synod. dioec.* l. 11 c. 14 n. 1—5.

5. Quamquam tempus pro confessione determinatum non est, tamen vi praecepti Communionis sumendae adest praeceptum grave paschali tempore confitendi pro eo, qui peccati mortalis sibi conscius est.

608 6. Quoad Communionem adest obligatio annuae Communionis cum *temporis* (sc. Paschalis), et *loci* (in ecclesia parochiali) determinatione: quae utraque determinatio ex se gravis est. — Attamen una alterave vice extra parochiam S. Communionem sumere, probabiliter non est grave. Dein ab hac circumstantia tum Episcopus ejusve Vicarius, tum parochus potest dispensare. — Tempus vero paschale quam late extendatur, disce ex privilegio regionis.

Insuper adverte: 1) qui sacrilege Communionem in parochia sumpsit, ad S. Eucharistiam denuo sumendam tenetur, sed ut in parochia tum sumat, non tenetur: v. Gury I. n. 484;

2) Qui autem aegrotus domi a parocho ejusve delegato S. Communionem sumpsit, certe legi satisfecit. Vagi et peregrini ubique satisfaciunt, ut etiam sacerdotes *celebrantes:* S. Alph. l. 6 n. 300.

3) Communius longe sentiunt scriptores, legem elapso tempore adhuc sub gravi urgere; idque certissimum est, ubi praesules, edictâ poenâ, legem urgent: imo etiam alibi practice idem, quantum fieri possit, observari debet; ita ut, qui protrahat legis impletionem post finitum tempus Paschale, in eodem peccato gravi perseveret, si con-

stanter animum gerat non implendi legem; peccata numero plura committat, si propositum concipiat, data prima occasione ad sacram mensam accedendi, sed propositum negligat vel mutet. Verum quum aliqui putent, sufficere, ut ante finem anni S. Communio sumatur, haec opinio, etsi per se non sit tenenda, tamen ratio aliquando est, ut facilius omittatur monitio de sumenda quam primum S. Eucharistia in parochia, si forte poenitens post tempus Paschale peregre confiteatur.

Caput III.

De lege abstinentiae extra jejunium.

1. Lex abstinendi a carnibus etiam extra jejunii tempora aliquando 609
vigere, ex universali praxi, omnibus catechismis et variis Pontificum constitutionibus evidens est. Carnes intelliguntur eorum animalium, quae in terra respirare debent vel quae habent sanguinem calidum.

2. Universaliter viget lex a carnibus abstinendi omnibus feriis VI, excepto festo Nativitatis D., si in feriam VI incidit: in quo die ii soli abstinere debent, qui voto aut regulari observantia ad id tenentur; quod Billuart *de temper.* dissert. 2 a. 4 in fine sumit pro iis, qui ad regulam *sub peccato* obligantur.

3. *Romanus* usus, imo ut videtur, lex primis jam saeculis formaliter lata et pluries confirmata abstinentiam etiam diebus Sabbati servandam constituit: at quum *universalis* lex hac de re non vigeat (v. Ben. XIV. *de syn.* l. 11 cap. 5), usum regionis, ubi versetur, unusquisque sequatur. Quamquam scilicet in plerisque locis haec lex vigebat, nunc tamen dispensatio in multis dioecesibus eam obligandi vi destituit.

Si qua abstinentia in aliis diebus extra jejunii tempora viget, — nam de jejunii diebus vide infra — id ex sola *particulari* lege vim habet.

4. Obligatio illa ab omnibus *gravis* seu sub mortali obligans esse 610
dicitur: parvitatem tamen materiae admittit. Quid autem sit materiae parvitas, tam parum convenit inter scriptores, ut apud multos videas singularem rigorem in hac praecipue re observari.

Qui moderate sentiunt, aliqui dicunt materiae parvae limitem esse dimidiam unciam (v. Gury I. n. 486), alii quantitatem, quae magnitudine circiter aequet nucem avellanam, alii (v. Reuter t. 2 n. 167) quod moraliter superet unciam pro materia gravi habent; alii, ut Stoz, putant non esse materiam gravem, nisi fere accedat ad *duas uncias,* (*Trib. poenit.* l. 1 p. 3 n. 528), aut nisi scandalum detur.

5. *Excusantur a lege abstinentiae:* 611

1) Qui nondum attigerunt aetatem discretionis, aut qui habitualiter usu rationis carent.

2) Graviter aegrotantes, qui judicio medici carnibus vere indigent, ne damnum subeant grave; aut ii, qui alios cibos vere nequeunt digerere. — Aliquatenus iis adnumeraverim mulieres praegnantes non

tam propter necessitatem re ipsa exsistentem, sed propter carnis appetentiam morbidam, cui nisi satisfaciant, ipse timor aut imaginatio videtur nocere foetui posse: quare saltem facilius eas excusem, si quando buccellam carnis sumant. Medici tamen, ut Capellmann, von Olfers negant, appetentiae illius resistentiam et abnegationem nocumentum afferre.

3) Pauperes mendicantes comedere possunt, quod accipiunt.

4) Ii, qui aut in itinere aut non sui juris exsistentes cibos licitos, quibus sese sustentent — sc. jejunare non tenentur — non possunt habere. Quare qui apud acatholicos famulantur, aut etiam apud malos catholicos aliquando, quum cibi liciti non praebeantur in sufficienti quantitate, carnes sumere possunt: modo ne fiat in odium religionis, neve cum scandalo (quod scandalum generatim protestatione et declaratione avertere possunt). Attamen, nisi dispensatio accesserit, debent alium dominum quaerere.

612 Dein 5) propter causas similes non ita graves, praesertim si medici consilium accedit, Superiores, etiam parochi, in singulis casibus valent dispensationem concedere.

6) Non raro in quibusdam regionibus vi privilegii a S. Sede habiti Episcopi *generalem* dispensationem longe latius extendunt.

NB. Praelatos regulares in cibis vetitis *communitati* suae dispensationem dare non posse, vide *Theol. mor.* I. n. 166.

6. Ex se etiam prohibentur pinguedo animalium, atque cibi jurulenti, vel cum carne cocti; quamquam facilius materiae parvitas aderit. — Imo pro Germania circa horum ciborum usum non raro universalis dispensatio quotannis datur; atque etiam sine dispensatione pauperes operarii, qui condimenti causa aliquid laridi sumant in materia parva, saepe ob inopiam ab omni peccato excusari debent (v. Laymann lib. 4 tr. 8 cap. 1 n. 5): melius tamen faciunt, si petunt dispensationem ad hoc, quae certe concedenda est.

Caput IV.

De jejunio ecclesiastico.

§ 1.

Ad quid lex jejunii obliget.

613 1. Essentia jejunii ecclesiastici consistit in eo, quod unica tantum per diem sumatur plena refectio, ita tamen, ut praeterea parva collatio permittatur et mane parvum frustulum. — In frustulo res nutritivae duas uncias debent non excedere, neque integre ex cibo solido computari. — Coenula secundum S. Alph. permittitur *omnibus* 8 unciarum (circiter 240 gr.), secundum alios, si quis maluerit, $^1/_4$ circiter prandii, attamen ex cibis levioribus secundum usum vel dispensationem regionis. Quamquam enim in Germania etiam unum alterumve ovum permittitur, *per se* id minime licet sumere, imo ne lac quidem, caseum et similia.

2. Per legem jejunii non prohibemur, pluries in die ea sumere, quae solius potûs rationem habent, ut cerevisiam, vinum, etiam aquam vel cafetum sine notabili sacchari quantitate; sed a lacte, jusculo, chocolato prohibemur.

3. Laesio jejunii per comestionem extra licitas refectiones, ex se quidem gravis, admittit parvitatem materiae. — Satis benigna est ea opinio, quae materiae parvitatem (sive simul sive divisim sumptae) extendat fere ad quantitatem coenulae: plerique eam restringunt ad 4 uncias.

4. Seclusa dispensatione, cum jejunio semper conjungitur lex abstinendi a carnibus; imo tempore Quadragesimae, Dominicis inclusis, etiam lex abstinendi ab ovis et lacticiniis, quae extra Quadragesimam particulari lege alicubi, non universali, etiam prohibentur. Ubi autem dispensatum est a prohibitione carnium, non licet in eadem refectione uti carnibus et piscibus.

5. Hora refectionis plenae non est notabiliter ante meridiem collo- 614
canda; verum num hujus temporis observatio ad jejunium *sub gravi* etiamnunc pertineat, minime constat: quare ratio mediocriter gravis, ut profectio hospitis, excusat. Dein interruptio $^1/_4$—$^1/_2$ horae a culpa immunis est; longior, si fit sine necessitate, culpa est, eaque gravis, si notabiliter plus quam hora vel fere duae horae intercedunt.

6. Jejunium, ut quaelibet ecclesiastica lex, consuetudine moderari potest: verum id consuetudine non fit legitimum, quo servato, jejunii substantia pessumdaretur. Quare quum primitus jejunium quamlibet refectionem praeter unicam excluserit, id certe limites legitimae moderationis excedit, quod, si praeter principalem comestionem sive simul sive divisim per diem sumitur, notabilem refectionem, ut circiter mediam partem pleni prandii, efficiat. Consentit Billuart l. c. art. 5 § 3 fere in fine dicens „Ceterum id unum *omnibus et semper* est observandum, ut sic attemperetur coenula, quod non vertatur in coenam". — Verum in vigilia Nativitatis, etsi coincidat cum sabbato Quatuor temporum, in multis locis coenula, si vespere sumitur, potest esse ex levioribus cibis duplo major quam consueta, ex S. Alph. l. 3. n. 1025.

§ 2.

Qui teneantur, qui non teneantur ad servandum jejunium.

Circa excusationem a jejunio breviter contraham, quae fusius ex- 615
ponit S. Alphonsus.

I. Ratione *damni* vel *gravis incommodi*, quod aliter non vitent, excusantur:

1. Qui ex morbo viribus attriti sunt, sive decumbunt, sive sunt in statu reconvalescentiae.

2. Qui ita debiles sunt, ut una refectione tantum cibum capere non possint, quo vires sustentent.

3. Qui ex jejunio *notabilem* capitis vel stomachi dolorem patiuntur.

4. Mulieres praegnantes vel lactantes, qui suo jejunio proli noceant: quare jejunando potius peccet mater, nisi robusta una alterave die jejunium ecclesiasticum servet.

5. Pauperes, qui non habent justum prandium —: quare non solum excusantur, si mendicare debent, sed etiam, si alias per plures dies nihil pro victu habent praeter panem et legumina.

6. Milites, si aut magnos labores sustinere debent, aut non habent congruum cibum, aut statis horis non possunt comedere, quantum sustentatio virium requirit.

7. Adolescentes usque ad annum 21 completum excusantur a jejunio; et probabiliter etiam senes sexagenarii (incepto anno sexagesimo), non attenta virium firmitate aut debilitate, quae tum temporis saepe dubia et fallax est. Si quaedam debilitas accedit, jam ante aetatis annum 60^{m}, praecipue in mulieribus, potest excusatio exsistere.

616 II. Ratione *laboris,* qui aut non potest intermitti, aut quem intermitti non convenit, excusantur:

1. Opifices et artifices, qui graves labores praestare *solent* (non vero, qui una alterave hora gravem laborem assumat; neque licet ei, qui communiter non laborat graviter, dies jejunii ad hos labores *eligere* ex industria, sed potius alios eligere per se debet). Ejusmodi labores defatigantes exercent: fabri ferrarii, lignarii, murarii, fossores, fullones, lapicidae, sutores (si calceos conficiunt), agricolae, etiam multi pistores-bajuli, aurigae ii qui multum occupati sunt, famuli qui huc illuc multum currere debent, typographi *praelum versantes;* brevi, qui cum satis magna agitatione et defatigatione laborare debent. — Quare, qui hu, jusmodi labores vi muneris seu artis quotidie toto die exercere solent, non tenentur, ut jejunare possint, labores omittere, etsi in penuria non versentur: imo si quis dies festus, in quo quiescatur, inciderit, ne illo quidem die jejunare stricte tenentur, nisi forte manifestum sit, eos sine notabili incommodo tum jejunare posse; alioqui pro reficiendis et conservandis viribus aliquid illis indulgendum est: S. Alph. n. 1042—1044.

2. Iter pedestre agentes 4—5 leucarum: tale enim iter gravis laboris defatigationi acquiparatur. Quod tamen sic intelligitur, ut iis ante iter suscipiendum, quod commode differri non possit, liceat vires reficere, neque postea teneantur sine refectione manere. Qui autem post meridiem iter instituturus est, vel servato jejunio iter confecerit, non idem jus habet postea jejunium laedendi, nisi alia ratio accedat.

3. Concionatores, qui fere quotidie (quinquies in hebdomada vel saepius) cum magna corporis agitatione per horam circiter concionantur. Est enim opus satis laboriosum et tantae pietatis, ut jejunii meritum vincat.

Simili ratione propter opera pietatis, quae satis laboriosa sint, excusari possunt, qui aegrotis inserviunt cum magno labore: neque refert, utrum jussi, an sua sponte illa opera susceperint.

617 Alia autem opera et labores cum jejunio non compatibilia, etsi sunt opera religionis et pietatis, modo ne ad communem utilitatem dirigantur neve cum magno excessu jejunii laborem superent, potius omittenda vel differenda sunt, quam diebus jejunii cum jejunii laesione suscipienda.

Si qua autem peregrinatio alicui sit magno solatio neque commode differri possit, non adeo repugno, licere cum jejunii dispendio eam peragere: imo pauperi operario, qui alioquin a jejunio non sit excusatus, sed cui extraordinaria opportunitas recreationis offeratur, quum alias vix per totum annum relaxationem animi habeat, durum videtur non idem pro aliqua vice per dispensationem indulgere. Quae dispensatio sive a jejunio, sive a lege abstinentiae, *si necessarium sit,* per parochum dari potest.

III. Ratione *laboris vel incommodi cum aliis causis accidentalibus* 618
conjuncti excusari possunt etiam ii, qui non tantum laborem, ut supra dictum est, exercere debent: nimirum si aut major debilitas, aut externae rationes laborem aggravantes accedunt. — Id autem discriminis S. Alph. docet esse observandum inter hos et priores, ut qui laborem vel incommodum *per se* excusans sustineant, ad dubium suae ad jejunium aptitudinis attendere non teneantur, alii autem in *dubio* sufficientis causae accessoriae ad dispensationem petendam debeant confugere: sufficit tamen etiam hîc prudens et grave judicium sufficientis causae, non requiritur evidentia. Inter quos non raro numerari possunt:

1. Iter agentes brevius, si viator est debilis, aut iter asperum. 619
2. Iter agentes equo vel curru, si vere magna defatigatio accedit: nam alias eos excipi a jejunii lege, damnatum est ab Alex. VII. thes. 31.
3. Lectores superiorum disciplinarum, qui multo labore lectiones praeparare debent, atque ita tota die studio defatigante occupantur, etsi lectionem unam tantum quotidie habent.
4. Magistri inferioris scientiae vel artis, qui quotidie per plures horas docere debent, si multo studio vel locutione nimis fatigantur.
5. Confessarii, qui per majorem diei partem confessiones audire debent, si servantes jejunium id nequeunt. — Simile quid dic de medicis aliisque, quando alias iis, qui ipsos consulunt, nequeunt satisfacere.
6. Cantores, qui cantu sibi victum parant, sed cum jejunio vocem non satis servant.
7. Studiis seriis incumbentes in scholis saltem facile habebunt, si qua causa accedat, rationem, cur dispensationem accipiant.
8. Uxores vel mariti, si qui jejunio impotentes evadunt ad reddendum debitum conjugale, quod alter petat. Uxores autem etiam aliunde excusari possunt, si jejunando gravem indignationem — quamquam non rationabilem — mariti v. g. haeretici incurrant, modo ne fiat in odium religionis ejusve praecepti: idque facilius una alterave vice a jejunio excusat, quam semper. V. S. Alph. n. 1034 et Salm. tract. 23 cap. 2 n. 127.

IV. Si igitur causa quaedam adest ejusdem ordinis cum ea, quae 620
excuset, sed per se ad excusandum non sufficiens, Episcopus, parochus similisve Superior *dispensare* potest: quod valet, etsi dubium maneat, num causa sufficiat ad dispensandum; sine ulla causa autem valide solus S. Pontifex dispensare potest.

Quae autem de dispensatione a jejunio et abstinentia et de causa per se excusante *positiva lege* praecepta sunt, juvat hîc quoad praecipua puncta addere. Declaratum enim est:

1) Propter dispensationem, quam paterfamilias in lege abstinentiae tulerit, reliqua familiae membra non eo ipso habere dispensationem, posse tamen aliquando ex impossibilitate servandae legis excusari;

2) eos, qui propter aetatem, graves labores, infirmam valetudinem a jejunio eximantur, posse iis diebus, quibus esus carnium per indultum conceditur, pluries carne vesci, nisi ex indulto appareat etiam pro ipsis restrictionem factam esse ad unam solam comestionem;

3) legem de non permiscendis carnibus et piscibus non respicere dies merae abstinentiae nisi Dominicas Quadragesimae, respicere vero dies jejunii, atque tum ligare omnes, etiam eos, qui ad jejunandum non teneantur. Cf. *Theol. mor.* n. 1219 sqq.

Theologia moralis specialis.

Pars II.

De subsidiis vitae christianae agendae.

Postquam officia illa pertractavimus, quibus *per se* mores homi- 621
nis christiani continentur, ad media seu adjumenta mentem convertere debemus, quae exstant ad mores illos exprimendos et promovendos tum utilia, tum necessaria. Sunt autem subsidia vel adjuvantia vel coercentia. Hinc duobus libris acturi sumus 1. *de Sacramentis*, 2. *de Poenis*.

Nimirum habentur quidem alia etiam subsidia adjuvantia; at haec fere ad orationem revocantur: de qua jam actum est in P. I. n. 153 sqq. Sacramenta autem eo majorem considerationem merentur, quod summam sacerdotis curam requirunt, ut is Christifideles instruat in implendis officiis quoad sacramentorum receptionem, et ut ipse in eorum administratione quae sui sunt muneris probe teneat atque perficiat.

Partis II. Liber I.

De subsidiis adjuvantibus seu de Sacramentis.

Tractatus I.

De Sacramentis generatim.

Caput I.

De natura et divisione Sacramentorum.

§ 1.

Quid sit Sacramentum.

1. Sacramentum N. L. breviter *definiri potest „Signum efficax gra-* 622
tiae“, vel paulo fusius: „Signum externum a Christo *lege* quadam institutum ad significandam et efficiendam internam gratiam.“

2. *Signum illud externum ex duplici elemento componitur, ex materia et forma, quae a legitimo ministro adhiberi debent.* Quare Concil. Florentin., vel Eug. IV. in *Instruct. ad Armenos* dicit: „Sacramenta tribus perficiuntur, vid. rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum."

3. *Gratia, quae efficitur, est tum habitualis,* quae non ponentibus obicem statim confertur, *tum actualis,* quam tempore suo recipiendi jus quoddam per sacramenta datur: datur vero gratia diversa a) pro diversitate sacramentorum, a) pro diversa suscipientium dispositione.

4. *Gratia,* etsi ex Trid. sess. 6 cap. 7 datur „secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem", tamen *in sacramentis producitur ex opere operato* (Trid. sess. 7 can. 8), i. e. non propter merita ejus qui suscipit, nec ejus qui administrat, sed *vi ipsius ritûs sacri* a Christo instituti et ejus nomine positi intuitu infinitorum ejus meritorum. Hoc operandi *modo* sacramenta N. Legis a sacramentis Legis V. et a sacramentalibus distinguuntur.

623 Sacramentalia nimirum sunt ritus et caerimoniae sacrae ab Ecclesia institutae, aut res ab ipsa sacratae et benedictae, ad pium et salutarem usum fidelium destinatae. Porro haec non fiunt immediate nomine Christi, neque effectum certum gratiae eo ipso producunt, quod instituta sunt et peraguntur; sed effectum suum sortiuntur *ex impetratione,* qua Ecclesia per suos ministros utentibus auxilia a Deo implorat. Quare sacramentalia 1) non efficiunt idem ac sacramenta, 2) neque effectus ad eandem causam refertur, 3) neque tam infallibiliter producitur. Cf. Suarez *de sacram.* disp. 15 sect. 4 „dicendum tertio".

§ 2.

De numero Sacramentorum.

624 De sacramentorum numero solemnem Ecclesiae definitionem habemus in Concil. Trid. sess. 7 can. 1: „Si quis dixerit, sacramenta N. Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino N. instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, vid. baptismum, confirmationem, Eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum: A. S."

At definitum non est, septenarium illum numerum sumi de infima omnium sacramentorum specie vel parte; imo id re ipsa non obtinet, saltem in uno ordinis sacramento, quum unum ordinis sacramentum plures quasi partes infimas sub se contineat.

§ 3.

De divisione Sacramentorum.

625 Sacramenta illa septem diverso modo in quosdam ordines distinguuntur.

1. Secundum effectum, ad quem producendum principaliter instituta sunt, distinguuntur sacramenta *mortuorum et vivorum:* prout

instituta sunt, ut dent vitam spiritualem iis qui illâ carent, aut eam augeant iis, qui illâ jam vivunt.

Hinc est, quod sacramenta mortuorum dicuntur ex sua institutione *dare gratiam primam,* posteriora *dare gratiam secundam:* quod utique de gratia sanctificante intelligitur. *Prima* vocatur ea, qua *incipit* sanctificatio seu justificatio, vel reparatio post lapsum; quodlibet augmentum gratiae sanctificantis, sive secundo, sive tertio etc. augetur, vocatur *gratia secunda.*

Porro sacramenta mortuorum, sc. baptismum et poenitentiam, si suscipiuntur ab homine jam justificato, augmentum gratiae conferre, salvâ fide negari nequit. Sacramenta vivorum si bona fide suscipiuntur cum attritione ab homine nondum justificato, gratiam *primam* conferre, probabile quidem est, at nisi excipias extremam unctionem non est certum. Cf. *Theol. mor.* n. 6.

2. Pro diversa necessitate, qua sacramenta suscipi debent, dividuntur: 626
1) Sacramenta *necessaria,* aut tantummodo convenientia; 2) Sacramenta necessaria pro *singulis,* aut necessaria *pro communitate;* 3) Sacramenta, quae singulis necessaria sunt, aut *medii,* aut *praecepti tantum* necessitatem habent.

Necessitas autem medii in eo consistit, quod sacramentum aliquod, idque per se solum ex institutione hoc habeat, ut conferat positivum aliquod donum divinum ita necessarium, ut sine eo salus aeterna attingi nequeat: quodsi, deficiente sacramento, suppetat alia via, qua ille defectus suppleri possit, necessitas medii quoad sacramentum vocatur *hypothetica;* si non suppetat, necessitas est *absoluta.*

3. Pro diverso usu in christiana vita sacramenta distinguuntur *iterabilia et non iterabilia.*

Iterari nullatenus possunt ea, quae characterem imprimunt: baptismus, confirmatio, ordo. — Extrema unctio et matrimonium, mutato statu, possunt iterari, non possunt eodem statu vel conditione manente.

4. Pro diversa habitudine ad subjectum, quod sacramentum sus- 627
cipit, eadem sacramenta sunt aut *formata* aut *informia,* prout effectum gratiae vere produxerunt, aut valide quidem, sed sine effectu gratiae collata sunt, gratiae effectu nimirum suspenso aut plane frustrato.

Quod fieri potest sacrilega susceptione, at etiam inculpabili neglectu necessariae dispositionis. — Quodsi sacramentum aliquod non pro libitu iterabile ita informe manserit, illud postea *reviviscere* seu effectum suum producere, quando necessaria dispositio suppleta fuerit, communius a theologis docetur. Quaenam illa dispositio sit, postea melius explicabitur. Cf. *Theol. mor.* n. 9.

Caput II.

De materia et forma Sacramentorum.

Sacramenta, ut dictum est, „tribus perficiuntur, materia et forma et 628
persona ministri cum intentione etc.“ Quare de horum singulis agendum.

Materia et forma nominantur secundum analogiam ejus distinctionis, quae a schola in corporibus eorumque compositione fieri consuevit.

Hinc in sacramentis forma vocatur, quae reliquum ritum magis determinat in suam significationem; materia est, quae significationem satis determinatam nondum habet. — Materia est plerumque res aliqua sensibilis, quae in ipso sacro ritu adhibetur, forma vero illa ritûs pars, quae ad rem sensibilem ejusque usum accedit et communiter per verba reliquum ritum comitatur.

Doctrinam necessariam circa materiam et formam hisce complecti possumus:

629 1. *Materia* distinguitur *remota et proxima. Prior dicitur ipsa res, quae adhibetur,* e. g. aqua in baptismo, chrisma in confirmatione etc.; *posterior est ipse actualis usus seu applicatio materiae remotae ejusque directio ad formam,* quacum jungatur, ut aquae infusio in baptismo, unctio in confirmatione etc., in Eucharistia panis et vinum ut subjiciuntur verbis consecrationis.

2. *Materia et forma,* quum ad essentiam pertineant, in quam se habere facultatem Ecclesia negat, *debent omnino adhiberi secundum divinam institutionem; aliter de valore sacramenti actum est.* Et quia non semper usque ad ultimos apices scimus, quaenam a Christo ut necessaria elementa constituta sint: Ecclesiae praescripta, ut infallibilis ducis, ad amussim sunt servanda.

3. *In plerisque sacramentis materia et forma ab eodem ministro poni et invicem uniri debent, idque pro diversitate sacramentorum plus minusve arcte.* Videlicet in matrimonio et etiam in poenitentia latior omnino unio materiae et formae sufficit; in reliquis curandum est, ut una applicari incipiat antequam altera sit finita, vel saltem *statim* postquam fuerit finita nullo temporis spatiolo interjecto: alioqui propter interjectum spatium facile dubium excitari potest: cf. *Theol. moral.* n. 12 et 13.

630 4. Porro in vitiis seu defectibus, quos minister declinando a norma per Ecclesiam praescripta committere potest, distinguitur defectus *essentialis* et *accidentalis,* dubius seu probabilis et certus. *Accidentalis* ille vocatur, qui recedit quidem a praescripta norma circa materiam et formam, non ita tamen, ut eam in alteram mutet valoremve sacramenti attingat: quod si accidit, defectus est *essentialis.* Quando vero haec re ipsa fiant, in singulis sacramentis tractandum est.

5. Defectum accidentalem committere, etsi valor sacramenti in tuto positus sit, tamen pro majore minoreve rei gravitate peccatum est aut mortale, aut veniale. *Defectum vero essentialem, etiam dubie essentialem, committere, natura sua semper grave est peccatum.*

6. Generalis regula est, *essentialem esse defectum, ex quo materia non amplius eadem sit secundum humanam aestimationem, vel ex quo forma a suo sensu, ut communis usus inter homines judicat, deficiat.* Quare corruptio quaedam enuntiationis ex industria vel prava mente facta facilius sensum corrumpit, quam eadem ex inscitia facta. — Interruptio seu divisio ipsius formae facilius etiam reddere potest sacramentum dubium quam divisio formae a materia, maxime si aliquid extraneum interjicitur inter vocis ejusdem syllabas. — Plura exempla v. *Theol. mor.* n. 14.

631 7. *Materiam vel formam dubiam extra casum necessitatis, quo certa haberi nequit, adhiberi non licet, quando dubium manet.* Quando autem

dubium *consequenter ad usum* aufertur — ut explicabitur infra praecipue in tractatu *de poenitentia* — materia et forma jam est moraliter certa.

Hinc pro diversitate sacramentorum aliquando *moralis* certitudo etiam paulo latius sumpta sufficere debet, praesertim si nimia sollicitudo scrupulis viam aperiret, et sacramentorum administrationem odiosam nimisque difficilem redderet.

In casu necessitatis vero materia dubia, etiam tenuiter probabilis adhibenda est, ea tamen conditione, ut 1) quae haberi possit certior, saltem minus certae semper praeferatur; 2) postea, si tempus et facultas suppetat, sacramentum sub conditione ad securitatem repetatur. Imo sic accidere potest, ut in sacramentis summe necessariis pluries conditionatam repetitionem facere necesse sit atque minus dubia collatio magis dubiae pluries succedere debeat. De qua repetitione jam fusius est dicendum.

Scholion. Generatim sacramenta singulis hominibus singulatim 632
per suam materiam et formam administranda sunt, nisi necessitas urgeat. At *una actione, vel forma* pluribus simul sacramenta conferre sine necessitate (plures baptizare vel absolvere simul) peccatum quidem est, sed veniale: S. Alph. l. 6 n. 29, Lacroix l. 6 p. 1 n. 44, modo ne periculum nullitatis propter incuriam inducatur.

Caput III.

De Sacramentis iterandis.

Quoniam, ut modo dictum est, sacramentum cum dubia materia, 633
sive cum dubia forma — quod rarius quidem occurrit — collatum conditionate repeti debet, operae pretium est, sub uno conspectu regulas de iterandis sacramentis exhibere:

Regula 1: *Non licet sacramentum iterare, si dubium, quod de valore sacramenti movetur, omni rationabili fundamento caret.* — Quare id nihilominus attentare, objective grave peccatum est; sicut etiam solius verbuli repetitio sine causa facta veniale est peccatum. Verum scrupulosum ministrum angustiae, in quibus versetur, generatim excusant a gravi saltem peccato, si imprudenter formam repetat: nisi forte satis advertenter consuetudinem sic agendi contrahat neque in emendationem incumbat.

Regula 2: *Licet sub conditione sacramentum iterare, quando rationabile dubium de sacramento valide collato adest.*

Pro rationabili autem, ita ut sub conditione sacramentum repeti possit, dubium aliquod habetur facilius quidem in sacramentis aut necessariis, aut in se non iterabilibus; generatim autem tunc censetur rationabile: 1) quando *in dubio juris* opinio negans valorem aut dubitans de eo *non est aperte falsa;* 2) *in dubio facti,* quando, spectatis circumstantiis, *non pro mero et inani scrupulo* haberi debet. Gobat de baptismo iterando loquens tr. 2 n. 381 sic explicat: „dubium utcunque rationabile *seu non aperte vanum.*“

Regula 3: *Debet repeti sacramentum sub conditione, si occurrit dubium, ex quo repetitio licita evadit, et insuper secundum regulas justi-*

tiae aut caritatis adest obligatio curandi, ut homini, de quo agitur, certius sacramentum administretur, ne sc. aut notabili bono privatus exsistat, aut gravis damni periculo exponatur.

634 In sacramentis necessariis ergo potius inclinandum est in repetitionem, si dubium *aliquod* adfuerit. Idque omnino est ex mente Ecclesiae. Quamquam enim *S. Officium* anno 1878 prohibuit, ne ex hac sola causa, quod baptismus collatus sit ab haereticis, ille conditionate iteretur, tamen etiam praecepit aliis locis, ne semper fides adhibeatur, ne tum quidem, quando *unus* testis de baptismo *rite* peracto produci possit, nisi ille testis sit omnino bene instructus et fide dignus.

Fieri tamen potest, ut etiam in sacramentis necessariis dubiolum de valore adeo sit leve, ut liceat quidem conditionate sacramentum iterare, obligatio non sit. Cf. *Theol. mor.* n. 18 et 19.

Caput IV.

De ministro Sacramentorum.

635 Minister sacramentorum ille est, qui ritum sacrum a Christo institutum ejus nomine peragit. Non omnium sacramentorum idem est minister. De quo confer, quae in singulis sacramentis notantur.

Minister, ut *valide* sacramentum conferat, non modo pro diversis sacramentis ut debita potestate instructus sit et ut materiam et formam a Christo determinatam adhibeat necesse est; sed debet etiam omnino 1) humano modo; 2) in persona Christi eam actionem perficere: quod ex notione mandatarii sequitur, quem agit; alioquin actio nihil valet.

Ut vero *licite* minister procedat, praeter debitam subjectionem erga Ecclesiam atque ecclesiasticos Superiores debet in statu gratiae exsistere.

Quae ut accuratius pro fine nostro tractentur, agendum est singillatim de attentione, intentione, probitate ministri; dein de obligatione ministrandi aut denegandi sacramenta.

§ 1.

De attentione in Sacramentis administrandis necessaria.

636 Attentio est mentis applicatio ad ea quae aguntur: de qua pauca.

1. *Ad valorem sacramenti non alia requiritur attentio, nisi quae sufficit, ut cum debita intentione materia et forma rite ponantur.* — Id autem etiam cum plena distractione fieri posse, non est dubium. S. Alph. l. 6 n. 14.

2. *Attamen voluntaria distractio peccatum est,* atque voluntaria distractione inter orandum multo gravius, *sed veniale peccatum* per se *non excedit,* nisi accedat grave periculum errorem essentialem vel utcunque notabilem committendi. Imo in ipsa S. Eucharistiae confectione, si ultra solam consecrationem distractio non producitur, non graviter peccare sacerdotem distractum, complures scriptores, aliis quidem contradicentibus, docent, idque revera satis probabiliter. Cf. *Theol. mor.* n. 20 et 21.

§ 2.

De intentione in administrandis Sacramentis necessaria.

Intentio quid sit et quotuplex distinguatur, in I. parte n. 9 de voluntario agentes diximus. Quae huc applica. 637

Intentio igitur ministri, 1) *in se* spectata requiritur et sufficit saltem *virtualis;* 2) quoad *rem quam intendat,* debet actionem, quam exercet, aliquo modo, saltem reductive, ut rem *sacram* et *nomine Christi* exercendam velle; 3) quoad *modum* debet eam circa determinatam rem vel personam exercere velle: pro adjunctis potest eam absolute vel conditionate intendere.

Scilicet: 1. Quamquam actualis intentio si attentionem, ne erretur, satis relinquat, pro devotione et rei dignitate laudabilis est: tamen, id quod ex virtuali intentione procedit, vere fit humano modo; sed sola habitualis intentio humanam *actionem* propriam efficere nequit.

2. Ut minister *valide* in persona Christi agat, non requiritur, ut ipse rem a Christo institutam esse credat, vel pro sacra habeat; sufficit, ut ritum sic exercere velit et exerceat, sicut ab aliis pro sacro habeatur. Quare etiam haereticus, imo Judaeus, infidelis, id agere potest; neque ex hac parte invalide aget. — Verum qui excludit praevalente voluntate intentionem agendi rem sacram, vel ut a Christo institutam, vel ut ab Ecclesia Romana traditam: ille reipsa nihil agit. Idem accidere potest in matrimonio, quando rationem sacramenti praevalenti intentione positive excludant.

Hinc est, quod de hominibus impiis atque Christiani nominis osoribus facilius justa suspicio concipi possit, num revera intentionem sufficientem habuerint. Cf. hac de re et de intentione, quam vocant *externam, Theol. mor.* n. 26, 27 et 30.

3. *Determinatam* debere esse intentionem, nec sufficere v. g. decem homines ex centum velle absolvere *nihil determinando,* per se clarum est. *Generatim* autem intentio fertur et ferri debet in hominem praesentem, ita ut error in persona valori non obstet; aliud potius fit per exceptionem.

4. Conditionate aliquando intendere licet sacramenti collationem, si conditio est de praesenti vel praeterito; idque ex reverentia erga sacrum ritum. In solo matrimonio aliquando possibile est, ut adjiciatur conditio de futuro. 638

Communis regula pro conditionata collatione haec est:

Regula 1: Conditionate, *non absolute, conferri debet sacramentum, si confertur, quoties rationabile dubium adest, an aliquid desit, quod ad sacramenti valorem necessario requiritur aut praerequiritur.*

Regula 2: Debet autem conferri *sacramentum, quamquam conditionate, si sacramentum absolute negatum hominem periculo gravis damni exponat, aut magni boni privationis, maxime si apud ipsum non est, periculum illud avertere dubiumque circa sacramenti valorem auferre. Ceterum accuratiora vide in singulis sacramentis.*

Ubi Rituale conditionem verbis exprimi jubet, id debet fieri; alias idem fieri *potest,* sufficit autem sola mente eam concipere.

§ 3.

De modo et ritu conferendi Sacramenta.

639 Minister, non solum ad sacramentorum valorem attendere debet, sed etiam ad reverentiam et decentiam sanctissimis illis actionibus debitam.

Quare 1) omnia peragere debet secundum praecepta Ecclesiae, cujus est in dignam et convenientem sacramentorum tractationem invigilare; 2) debet ipse dignus esse, qui personam Christi exhibeat; 3) debet discernere, quibus conferat, quibus neget sacramenta, ne margaritas projiciat ante porcos.

Quare deinceps agendum nobis est: de modo et ritu administrandi sacramenta, de fide et probitate ministri, de officio conferendi et negandi sacramenta. De priore puncto hîc pauca dicturi sumus, de aliis in sequentibus §§ plura.

1. De modo igitur conferendi sacramenta vix aliud dicendum est in genere, nisi omnia peragi debere secundum praescriptum Ritualis[1]. Rituale autem Romanum, aut quod Romano conforme est, in latina Ecclesia pro norma legitima haberi debet.

S. R. C. saepius dixit „illos solos libros adhibendos et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes, nec alios adhibendos esse, dummodo non constet ab hac S. Congreg. fuisse approbatos“: ita 7. Apr. 1832, 23. Maj. 1835 Gard. n. 4681 ad 5, n. 4748 ad 9 ed. 3. Amplam autem collectionem diversarum benedictionum invenies in Ritualis nova editione Romana vel Ratisb. *cum appendice.*

2. Vestes sacrae, nisi necessitas urgeat, pro sacramentis conferendis sunt generatim superpelliceum et stola. — In sacramento poenitentiae sola stola per se sufficit, ut ex Rituali colligitur; imo quando consuetudo id fert, ne absolutum quidem praeceptum stolae adhibendae est; potest nihilominus Episcopus, ut S. R. C. monuit, etiam pro poenitentiae sacramento usum stolae et superpellicei *praescribere.*

§ 4.

De probitate ministri seu de statu gratiae Sacramentorum ministro necessario.

640 1. Ut minister in sacris functionibus, maxime in ipsis sacramentis administrandis, licite procedat, ipse in statu gratiae esse debet.

In statu igitur peccati sacras functiones exercere, nisi necessitas et angustiae temporis excusent, propter quas ministro impossibile videatur reconciliationem cum Deo prius peragere, peccatum est. Irreverentiam enim committit, qui nomine Christi Ecclesiaeque cum Deo pro salute hominum agit, dum ipse Dei inimicus est.

2. Si quis ergo sacramentum administraturus (aliamve sacram functionem exerciturus) peccati mortalis sibi conscius est, saltem per

[1] Quae vero in Rituali Romano continentur, partim esse praecepta gravia, partim levia, partim regulas tantum directivas, idque sive ex verbis, sive ex ipsa re intelligi debere: vix est, quod dicam.

contritionem praemissam se cum Deo reconciliare tenetur, idque ut per solam contritionem fiat, etiam sufficit — excepta S. Eucharistiae confectione, ut certum est ex Rituali R. (cf. *rubricas de sacr. in gen.*). Imo recte notat S. Alph. l. 6 n. 34: „sufficit contritio prudenter existimata".

Ad S. Eucharistiam vero sive conficiendam sive sumendam sacramentali confessione et absolutione opus est. Trid. sess. 13 cap. 7.

3. De gravitate autem peccati, ut certa et indubitata ab opinio- 641
nibus controversis et incertis distinguamus, haec regula esse potest:

Grave peccatum committit ille, qui ut minister consecratus sacramentum conficit cum conscientia mortalis peccati, neque, ut in n. 1 notatum est, angustiis temporis et necessitate excusatur.

Reliqua, quae in hac regula non continentur, non possunt practice mortale peccatum dici, siquidem a pluribus iisque gravibus theologis id negatur. Attamen veniale peccatum idque pro circumstantiis plus minusve grave etiam alias committi, dubitari non debet.

Hinc de gravi peccato practice non constat: 642

1) Quando laicus in casu necessitatis baptismum confert in statu peccati.

2) Imo idem dici potest, si minister sacer baptismum privatum in hisce circumstantiis sine caerimoniis confert.

3) Quando in statu peccati S. Communio distribuitur; minus etiam, quando S. Eucharistia solum tangitur vel exponitur ad adorandum.

4) Neque diaconus et subdiaconus, qui solemniter in Missa ministrant, si in statu peccati sunt, per hoc suum ministerium graviter peccant: S. Alph. l. c. n. 38.

5) Idem dici potest de exercitio aliarum sacrarum functionum, ut sunt consecratio vasorum, templi, sacri olei confectio; (at certe graviter peccatur ratione Missae sacrilege celebratae). S. Alph. n. 39 et 40.

6) Idem valet probabiliter de sacerdote, qui tantum *excipit* confessionem in statu peccati exsistens, ita tamen ut firmiter statuat ante absolutionem dandam contritionem elicere.

4. Res accuratiore attentione digna est: 1) Quot malitiae mortales 643
occurrant in sacrilega Missae celebratione: ad quod cum Lugo dico, *saltem duas*, unam conficiendi sacramentum et sacrificium, alteram sacramentum suscipiendi in statu peccati. 2) Quot peccata committat sacerdos, qui in statu peccati sedens in tribunali confessionis continenter plures absolvat: sunt qui peccatum *numero unum* statuant; communius tamen dicitur, tot committi peccata, quoties absolutio recurrat. *Theol. mor.* n. 33—35.

§ 5.

De obligatione Sacramenta ministrandi.

Principia, quibus haec obligatio declaratur, sumenda sunt tum ex 644
munere, quod aliquis cum quasi-contractu suscepit, tum ex generali obligatione caritatis, qua tenemur proximo succurrere.

1. *Ii, quibus cura animarum vi muneris incumbit, tenentur sub gravi, idque ex justitia, administrare sacramenta subditis suis rationabiliter pe-*

tentibus. — Suscipiendo enim munus seu officium tacito contractu ad id se obligaverunt. Tales autem sunt non tantum Episcopi (ex parte), parochi, praelati regulares, sed ii etiam, qui munus subsidiarium vicarii, coadjutoris etc. susceperunt, si modo ei conjuncta est cura spiritualis circa certam aliquam communitatem.

2. *Reliqui, qui sc. ejusmodi munus non habent, sacramenta ministrare non tenentur severe, nisi secundum regulas caritatis, ex qua propter necessitatem fidelium obligatio, eaque aliquando gravis, oriri potest.* — Imo idem cum eadem limitatione dicendum est de obligatione pastorum animarum circa non-subditos.

645 3. Extra casum, quo sacramentum administraturo grave incommodum oritur, ii, qui in pastorali munere constituti sunt, subditis suis toties, quoties petunt non solum ex necessitate, sed etiam *propter convenientem suum profectum*, sacramenta administrare debent. — Quare etiam graviter peccant, si morosos sese exhibentes, vel tempora importuna fixosve tantum dies constituentes in causa sunt, cur fideles a sacramentis deterreantur. Secluso tamen hoc periculo atque gravi petentis necessitate, una alterave vice nolle sacramentum administrare, neglectus officii est ex parvitate materiae venialis.

4. *Si minister sibi grave periculum timere debet, v. g. sanitatis, vitae etc.: nihilominus obligatio justitiae* (cf. 1.) *eaque gravis ministrandi sacramenta necessaria sustinenda est, quoties subditus in aliqua gravi necessitate spirituali versatur.*

5. Qui vero ex justitia seu ex munere suo curam animarum exercere non tenentur, cum gravi vel etiam extremo vitae periculo tum tantum obligantur ad sacramenta conferenda, quando proximus in extrema vel quasi-extrema necessitate versatur. — Alias autem si commode, seu sine gravi incommodo possunt, etiam obligantur ad ministrandum sacramentum, si quod necessarium est ad aliquem ex gravi — etsi non gravissima — necessitate eripiendum. Hanc obligationem etiam ex se gravem esse, vide *Theol. mor.* n. 36 seq.

6. Non omnia tenetur parochus per seipsum praestare; potest enim subditis suis etiam ex parte satisfacere per vicarios. Si vero nominatim postulatur, ipse per se petenti satisfacere debet, nisi legitime impediatur.

Minus etiam per seipsos sacramenta administrare tenentur altiores praelati; imo illi in rebus ordinarie contingentibus *per alios* fidelibus plene satisfaciunt, et satisfacere per alios debent.

646 7. In gravi vitae periculo ministro imminenti, ut tempore morbi contagiosi, per se non est gravis obligatio nisi *ea* sacramenta ministrandi, quae simpliciter necessaria sunt, sc. baptismum et poenitentiam, et extremam unctionem ei, qui sensibus destitutus est, antequam absolvi potuit. Vide S. Alph. l. 6 n. 233 et ib. declarationes S. Congr. Conc. a Greg. XIII. approbatas. — Ex iisdem autem S. Congr. C. rescriptis anni 1576 Bened. XIV. *de syn. dioes.* l. 13 c. 19 n. 2 concludit, parocho non licere, tempore pestis recedere, etsi relinquat suo loco vicarium idoneum: licere tamen sibi curam sanorum reservare, si vicarius paratus sit aegrotorum curam suscipere, ne videlicet omnes infectionis periculo exponantur, neve homines etiam sani utrumque

sacerdotem ex metu infectionis fugiant. V. Bened. XIV. ib. n. 6. Quamquam etiam caveri debet, ne nimius timor parum aedificet.

§ 6.

De Sacramentis denegandis.

Praenotanda. 1. Sicut digne et rationabiliter petentibus sacra- 647
menta conferenda sunt a ministro, ita indignis sunt deneganda. Hoc enim et obligatio religionis munerisque commissi et communis lex caritatis cooperationem cum peccato prohibens plane exigit.

Verum ut cooperari ad peccatum generatim aliquando licet, ita etiam hic administrare sacramenta erga indignos, ne videlicet ex denegatione graviora excitentur mala. Quare distinctione opus est 1) inter occultum et publicum peccatorem, qui petat sacramenta, seu inter eum, cujus indignitas publice nota sit, et eum, cujus indignitas cognita sacerdoti quidem sit, ceteroquin autem occulta; 2) inter petitionem publicam et petitionem occultam.

2. *Occultus peccator* ille dicitur, cujus indignitas vel crimen *paucis* tantum notum est; imo tamdiu *aliquo modo* dicitur occultus, quamdiu peccatum illius communi notitiae subduci adhuc potest.

Publicus igitur peccator ille vocatur, cujus peccatum seu indignitas ad communem notitiam venerit. Potest vero publicitas esse aut *absoluta*, aut *relativa* tantum. Relativa habetur, si solummodo ex praesentibus multi vel major pars crimen ejus, qui sacramentum petit, sciunt, id tamen ad communem vulgi notitiam nondum pervenit. — *Absoluta publicitas* adesse potest 1) ex judicio per judicis sententiam publicam vel publicandam, aut per propriam confessionem in tali judicio; 2) per facti evidentiam (v. g. in foro publico aut alio publico modo patrati), ita ut nulla tergiversatione celari crimen possit; 3) per famam, si rumor sparsus est in civitate et simul adsunt vehementia patrati criminis indicia.

3. Hac distinctione data, breves propono regulas, quae communiter 648
traduntur, aliquam adjiciens explicationem. Quae regulae imprimis S. Eucharistiam sive denegandam sive non denegandam spectant; at cum quibusdam modificationibus, quas ceterorum sacramentorum natura facile submministrabit, etiam illis sacramentis applicantur. Nam in danda *absolutione* sacramentali fere sola praesens dispositio consideratur.

I. *Peccatori publico, sive occulte petit, sive in publico, deneganda sunt sacramenta.*

II. *Peccatori occulto item, si occulte petit, deneganda sunt sacramenta, i. e. si petit coram solo sacerdote vel aliis paucis iisque ignaris de qua re agatur, v. g. pueris.*

III. *Peccatori occulto, si in publico petit, non sunt deneganda sacramenta.*

4. Ratio tertiae regulae est, quia ex denegatione sequerentur gravia mala: diffamatio ejus qui sic repellitur atque timor et aversio fidelium a sacramentis. — Quae mala quum in casu 1ae et 2dae regulae non occurrant, in iis non est ratio, cur sacramenta dentur.

Hinc etiam deneganda sunt sacramenta 1) ei quem peccati non pudet, sed qui de eo potius gloriatur, etsi in hoc loco nondum formaliter diffamatus est; 2) ei qui in alio loco jam diffamatus exsistit *ita*, ut *brevi* etiam mala fama perventura certo praevideatur in locum, ubi nunc sacramenta petit. — Ceterum in dubio de publicitate criminis, potius sacramenta danda sunt. Si vero post criminis publicitatem dubium est de emendatione vel satisfactione praestita, potius denegandum sacramentum est, seu differendum.

649 5. Ut igitur peccator, qui ex crimine aut ex vitiosa consuetudine diffamatus fuit, denuo ad sacramenta possit admitti, haec notanda sunt:

1) Si vixit in occasione proxima peccandi, haec communiter antea relinquenda est.

2) Si indignitas oritur ex solo crimine sine peccandi occasione, in qua maneat, sufficit, peccatorem confessum esse in publico, vel coram pluribus, ita ut brevi poenitentia sic divulgetur, uti nota erat indignitas.

3) Si alia quaedam satisfactio vel retractatio facienda est, haec praecedere debet, eaque publica, vel saltem ita exhibita, ut brevi evulgari possit (sc. si coram paucis, qui retractationem evulgaturi sint, satisfactio data est, facile coram illis paucis *statim* ad sacramenta admissio fieri potest).

4) Si quem in vitiosam consuetudinem, confessione non obstante, saepius relapsum esse vulgo constat, generatim per aliquod tempus exspectandum est, quo judicetur, emendationem esse satis probatam (nisi forte palam appareant signa peculiaria emendationis). V. Lacroix l. 6. p. 1 n. 141 cum pluribus aliis.

5) Ex notitia igitur confessionis sacerdos, ut ad deneganda sacramenta nunquam, ita ne ad iterum concedenda quidem semper procedere potest. Quare tum monere debet poenitentem, si quem forte sacramentaliter quidem absolvit, sed publice ad Sanctam Eucharistiam admittere nondum valet, ne ille confessus repulsam postea patiatur.

650 6. Quamquam propter damna, quae ex repulsa occulti peccatoris oritura sunt, sacramenta potius indigno administrari debent, idem dici nequit propter damna sacerdotis per administrationem erga indignum evitanda, quando is in contemptum Dei vel religionis sacramenta petit, etsi mortem minetur sacerdoti, nisi sibi sacramentum ministret: cf. *Theol. mor.* n. 43.

651 7. Cum indigna sacramenti collatione *fictio seu simulatio sacramenti cohaeret:* de qua habes thesim 29 ab Innoc. XI. *proscriptam: „Urgens metus gravis est causa sacramentorum administrationem simulandi."* Quae simulatio consistit in ficta formae super materiam prolatione, vel in quolibet defectu essentiali ita imperceptibili modo commisso, ut **ii**, qui jus habeant ad legitimam sacramenti confectionem vel veri manifestationem, fallantur. Quod gravissimum peccatum est. — At ab eo distinguitur sacramenti negati dissimulatio: quae in tribunali poenitentiae aliquando necessaria est; etiam a peccato immunis haberi debet aliquando matrimonii consensus *ficte* vel *cum restrictione* datus, neque tum *sacramenti* fictio adest. Cf. *Theol. mor.* n. 44 et 45.

Caput V.

De subjecto Sacramentorum seu de Sacramentorum susceptione.

Sacramenta, excepta S. Eucharistia, perficiuntur in aliquo subjecto, ita ut sacramentum conficere idem sit atque administrare. Ad doctrinam sacramentorum in genere complendam de subjecto sacramentorum quaedam notatu digna sunt.

§ 1.

De valida Sacramentorum susceptione.

1. Valor sacramentorum, quae in subjecto conficiuntur, eatenus 652
pendet ab homine suscipiente, ut *requiratur susceptio, quae dici possit voluntaria.*

2. *Haec voluntas in homine adulto, i. e. ratione utente, personalis adesse debet;* in iis vero, qui ad usum rationis nunquam pervenerunt, pro sacramentis, quorum capaces sunt, sufficit voluntas ministri, qua nomine Christi et Ecclesiae agit, ut videlicet ii, qui rationis usu nondum potiti sunt, sicut sine propria voluntate ceciderunt in Adamo primo, ita erigantur in Adamo secundo.

3. *Baptismus valide susceptus praerequiritur ad valorem aliorum sacramentorum.*

4. Praeter ea, quae hîc sunt exposita, nihil aliud requiritur ad *valorem* eorum sacramentorum, quae pro *omnibus* hominibus instituta sunt. Conditiones pro reliquis sacramentis necessariae suo loco sunt exponendae.

Id unum magis explicandum est, *qualis* debeat esse pro singulis 653
sacramentis intentio seu voluntas suscipiendi sacramentum, ut valeat. Recole interim, quae dicta sunt de intentione n. 9 et 637; dein nota sequentia:

1) Pro baptismo suscipiendo, ut *certa* sit collatio, requiritur intentio explicita habitualis, i. e. explicite habita nec retractata. — Inde tamen nondum potest inferri, certo valere baptismum, qui extra periculum in somno conferatur ei, qui utcunque voluntatem suscipiendi baptismi habuit.

At *probabiliter* sufficit intentio implicita sc. ea, quae habetur in omni vera contritione aut attritione.

2) Pro confirmatione, Viatico, extrema unctione sufficit intentio implicita habitualis, vel, ut alii dicunt, interpretativa secundum n. 9 (P. I), siquidem revera implicita adfuit: nam quilibet homo, qui voluit fieri membrum verae Ecclesiae per baptismum, vel qui libere in illo statu permanet, eo ipso vult et hujus statûs quasi naturale complementum, et mortem christiano more obeundam.

3) Pro S. Eucharistia praeter casum Viatici intentio habitualis expressa requiritur — adest autem vix non solum virtualis, sed etiam actualis. Quare adultus, cui (praeter casum Viatici) inscio S. Eucha-

ristia daretur, eam reciperet materialiter quidem, sed non sacramentaliter, neque cum fructu.

4) Pro poenitentia requiritur virtualis intentio, si actus poenitentis respicis; habitualis sufficit, si respicis solam absolutionem accipiendam.

5) Pro ordine requiritur *habitualis* intentio *expressa.* Susceptio enim novi statûs et novi oneris nullo modo *implicite* continetur in generali voluntate christianam vitam agendi aut in alia voluntate generali. Sufficit autem haec intentio *habitualis non retractata,* nisi forte pro tactu instrumentorum potius ex natura rei virtualem intentionem necessariam esse dicamus (cf. S. Alph. l. 6 n. 82 et 83). Inde vero fit, ut defectus necessariae intentionis in eo, qui non coactus accedit, neque sacrilegam contrariam voluntatem fovet, vere impossibilis sit.

6) Pro matrimonio requiritur intentio saltem virtualis, idque jam ex hac sola ratione, quod contrahentes non solum recipiunt, sed etiam conficiunt contrahendo sacramentum. At qui per procuratorem contrahit, valide agit atque sacramentum recipit, si retinet intentionem habitualem.

§ 2.

De licitae et fructuosae susceptionis debita dispositione interna.

654 Ut licite et cum fructu sacramenta suscipiantur, a legitimo ministro peti debent, atque cum debita dispositione admitti vel sumi. De hac *primo, dein* de illa agemus.

1. *Qui sine debita dispositione ad sacramentum suscipiendum accedit atque ita culpa sua sacramentum effectu frustrat, grave peccatum sacrilegii committit,* profanando res sanctissimas, et ritum ex Christi institutione gratiae efficacem reddendo inanem et quodammodo mendacem cum summa erga Christum injuria.

2. *Ad sacramenta vivorum rite suscipienda praerequiritur status gratiae:* ita quidem ut qui sibi peccati mortalis conscius est, si de Eucharistia suscipienda agitur, confessionem praemittere debeat, si de aliis sacramentis, saltem perfectam contritionem; imo etiam in aliis sacramentis suadendum maxime est, ut confessio antea instituatur.

3. *Ad sacramenta mortuorum rite et cum fructu suscipienda requiritur peccatorum commissorum retractatio saltem per supernaturalem attritionem,* cum actibus fidei et spei saltem eatenus, quatenus ii actus ad veram attritionem concipiendam necessarii sunt, atque ita aut explicite aut implicite adesse debent pro diverso statu poenitentis. Cf. Trid. sess. 6 cap. 6 et sess. 14 cap. 4.

655 4. *Si quod sacramentum mortuorum inculpabiliter informe mansit, ad ejus reviviscentiam requiritur, et etiam sufficere videtur ea dispositio subsequens, quae in susceptione adesse debuerat; verbo, attritio cum suis actibus praeviis.* Haec igitur de baptismo, atque etiam — ut videtur — de extrema unctione intelligi debent.

5. *Ad reviviscentiam sacramenti vivorum, etsi inculpabiliter informe mansit, requiri videtur status gratiae aliunde causatus,* i. e. aut contritio, aut attritio cum sacramento, quod nunc suscipitur: solam

attritionem sufficere, nulla solida ratio est asserendi: quae *certo* non sufficit, si quodcunque sacramentum ex gravi culpa suscipientis informe mansit.

Sola igitur attritio non sufficit, ut reviviscat sacramentum in sequentibus: 1) si *quodlibet* sacramentum informe fuit propter *sacrilegam* susceptionem; 2) si *post* quodlibet sacramentum informe *mortale* peccatum commissum est; 3) si sacramentum aliquod *vivorum* — excepta, ut videtur, extrema unctione — utcunque informe mansit, etiam inculpabiliter.

§ 3.

De licitae susceptionis conditione externa, seu de ministro digno adeundo.

656 Ad debitam dispositionem aliquo modo pertinet, ut sacramenta a legitimo et digno ministro petantur, ne peccetur contra Ecclesiae leges neve sine justa causa cooperatio fiat cum peccato indignae administrationis.

Indignus vero exsistere potest minister 1) sive propter ecclesiasticam censuram, 2) sive propter solum statum peccati, quem si vult mutare, potest, sed quem verisimiliter mutaturus non esse praevidetur.

1. In ultimo casu, si agitur de sacerdote peccatore censura non ligato, ob incommodum *aliquo modo* notabile fideles plane ab eo petere possunt, v. g. si alioqui diutius absolutione, usu S^ae^ Eucharistiae carerent.

2. Idem dic de eo, qui censura quidem, *sed non publice*, ligatus est: nam tunc censura non obstat, quominus sacerdoti *rogato* sacramenta ministrare liceat.

3. Si autem agitur de *vitando*, vel de sacerdote *publice haeretico vel schismatico* vel simili, ab eo sacramenta petere, est communicatio in sacris graviter prohibita *extra casum necessitatis in mortis articulo.* — In qua necessitate *per se* etiam vitandus adiri potest (vel debet): ita tamen, ut etiam tum periculum perversionis vel scandali evitetur. Cf. *Theol. mor.* n. 53 et 54.

Tractatus II.

De Baptismo.

Cf. S. Thomas III. q. 66—71; S. Alphons. l. 6 n. 94—160; Tamburini, *theol. mor.* t. 2 l. 2, etc.

Caput I.

De essentia et natura Baptismi.

657 Baptismus primum est sacramentorum et spiritualis vitae janua. Definitur ita a Catechismo Rom.: *„Baptismus est sacramentum regenerationis per aquam in verbo.“*

Quo melius quid sit baptismus intelligatur, explicandum fusius est: 1. Quae sit illa gratia seu ille supernaturalis effectus, cujus est signum efficax; 2. quale debeat esse signum, seu quae materia et forma, ut illius gratiae ex Christi institutione evadat efficax.

§ 1.

De gratia et effectu Sacramenti Baptismi.

1. *Effectus baptismi brevi hac voce regenerationis supernaturalis continetur.*

2. *Plenius autem hanc regenerationem explicant hi insignes effectus:*

1) *Impressio characteris,* quo fit a) ut baptizatus sit membrum Ecclesiae visibilis et capax reliquorum sacramentorum, quae Christus Ecclesiae suae reliquit; b) ut baptismus iterari nequeat. Cf. supra Eug. IV. et Trid. sess. 7 can. 9.

2) *Deletio peccati originalis et peccatorum personalium,* si qua commissa sunt, per infusionem gratiae sanctificantis et divinam filiationem adoptivam. V. Trid. sess. 5 can. 5 et sess. 6 cap. 4.

3) *Remissio omnis reatûs poenae, etiam temporalis. Instr. ad Armenos:* „Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur.“ Denzinger, *enchir.* n. 591.

4) *Jus quoddam speciale ad auxilia actualis gratiae* suo tempore danda, quibus adjutus homo vitam christianam agere possit. Cf. Trid. sess. 6 cap. 11 et can. 18.

658 3. *Baptismus est sacramentum necessitate medii necessarium ad salutem:* ita tamen, ut haec necessitas medii in adultis baptismo Flaminis, qui vocatur, et baptismo sanguinis seu martyrio suppleri possit, in infantibus in solo casu martyrii suppleatur. Trid. sess. 6 can. 4: „Quae translatio (i. e. in statum gratiae) post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest“, et sess. 7 can. 5 *de bapt.* Quod colligitur ex verbis Christi Joan. 3, 5. „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.“ — Id tamen discriminis est, quod 1) solus baptismus *fluminis* characterem imprimat, 2) baptismus sive fluminis sive sanguinis omnem reatum poenae temporalis auferat, non ita ex se solus baptismus Flaminis. Cf. *Theol. mor.* n. 55—58.

§ 2.

De materia Baptismi.

A. Materia remota.

659 I. *Materia valida est sola et quaelibet aqua naturalis:* ita ex Joan. 3, 5, Trid. sess. 7 *de bapt.* can. 2 etc. Hinc 1. *valida materia* est:

1) aqua, sive ex puteis, sive ex fluminibus, ex lacu, palude hausta;

2) aqua ex pluvia, rore, nebulis etc. collecta;

3) aqua mineralis, ferruginea, turbida etc., siquidem heterogenei elementi admixtio adeo parva naturam aquae non transmutat: idem

igitur dic, si omnino parva pars alterius liquoris in aquam injecta, vel sat parva copia sacchari, salis aquae admixta sit:

4) aqua ex nive, grandine, glacie soluta et in statum liquidum redacta; ex vapore iterum condensata, vel destillatione ab elementis tantum extraneis depurgata.

2. *Invalida materia* est: 1) Lac, sanguis, vinum — nam etsi multa 660
ex parte elementa chimica aquae adsint, nemo tamen ejusmodi materiam vere aquam vocat (S. Alph. l. 6 n. 103);

2) humores humani corporis, ut sudor, sputum, urina; S. Alph. ib.;

3) jus, cerevisia, aliique potus caffei, thei: si in magna copia aliena materia aquae admixta est; similiter lutum, atramentum (attamen haec omnia facillime materia *dubie valida* evadent). V. S. Alph. ib. n. 103 III.

3. *Dubia materia* est: 1) jusculum, cerevisia reliquique potus valde 661
tenues, seu qui ex parva copia alienae materiae confecti sunt; simili modo lixivium (imo facilius seu probabilius in eo valide baptizatur, quam in cerevisia vel caffeo). S. Alph. n. 103. — Haec omnia igitur in defectu materiae certae in summa necessitate adhibenda sunt sub conditione, etsi iterandus conditionate baptismus est quam primum, si tempus et materia certior suppetat. — Similiter dubia materia est:

2) succus plantarum (quamquam valor non est multum probabilis); probabilior paulo erit humor fluens ex vite aliisve plantis, S. Alph. l. c. n. 104 dub. 3; aqua ex sale soluta, aqua cum notabili non tamen praedominante quantitate alieni liquoris permixta;

3) aqua artificialis, ut rosacea et similes, S. Alph. l. c. n. 104;

4) glacies, nix etc. nondum resoluta (sc. si frons baptizandi glacie perfricaretur). At vix possibile est, ut necessitas utendi *hac* dubia materia unquam adsit: si enim calore manûs resolvas paululum nivis vel glaciei, habes materiam *certam.*

II. *Materia, ut licita sit, in baptismo solemni debet esse sub gravi* 662
aqua consecrata decenter munda. Fontis baptismalis benedictio praecipitur bis in anno, i. e. Sabbato sancto et in vigilia Pentecostes; in Sabbato S°, si nova olea nondum poterant haberi, cum veteribus, in vigilia Pentecostes sane cum oleis currenti anno consecratis. Cf. *Theol. mor.* n. 50 et 60. In baptismo privato vero convenit quidem, etiam a laico adhiberi aquam *lustralem,* si ad manus est; peccatum autem non videtur esse, sive a laico, sive a sacerdote adhibetur quaelibet aqua naturalis. Cf. S. Alph. l. 6 n. 102. 3.

B. Materia proxima.

1. *Materia proxima est ea aquae applicatio, qua vere fiat hominis* 663
ablutio; haec enim spiritualiter efficienda est, ac proin corporaliter seu externo signo exhibenda.

2. Certissimum est, baptismum valide conferri sive immersione, sive infusione, sive aspersione, modo tamen vere fiat ablutio.

3. Attamen *quoad liceitatem* non licet mutare ritum Ecclesiae vigentem: quare nunc immersio non est adhibenda, nisi est legitimus usus

particularis ecclesiae; aspersio autem, utpote nimis facile valorem in dubium adducens, nullibi in usu est. Quare *communiter infusio fiat oportet, eaque in baptismo solemni trina.*

4. Ut vero sine ulla controversia baptismus valeat, aqua ita applicanda est, ut 1) *aliquo modo fluat seu successivo motu tangat* baptizandum; ut 2) *tangat caput ejusque cutem,* non capillos tantum; ut 3) tangat *baptizandum jam ex parte saltem natum* seu ex utero egressum.

664 Quare probabiliter quidem validus, sed sub conditione repetendus est baptismus:

1) si una alterave tantum gutta tetigerit infantem, praesertim si gutta nullatenus fluxerit: (si autem minister motu digiti bene madefacti aquam diffundat et frontem vel partem capitis abluat, videtur baptismus satis certus, quamquam propter varias rationes dubitandi, quae tunc facile occurrant, vix damnandus erit, qui etiamtum repetat);

2) si puer projicitur in flumen, dum projiciens pronuntiat verba;

3) si aqua cutem non tetigerit: quare melius *in fronte* infans baptizatur;

4) si in difficili partu aquâ infans tangitur, antequam caput emiserit: quamquam conditionate omnino jam *debet primo* sic baptizari.

§ 3.

De forma Baptismi.

665 *Forma necessaria* baptismi est haec: *„Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti“,* aut, ut Graeci baptizant, „baptizatur servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti“, siquidem illud „baptizatur“ actionem assertive pronuntiat, ita ut idem sit ac: „per me seu per meum ministerium baptizare.“

Porro percurrere juvat singulas voces, ut de earum necessitate atque de defectibus in earum omissione vel mutatione committendis rectum judicium feratur.

1. „Ego“ in lingua latina essentiale non est; aliud est in lingua vernac. gall., germ., anglica etc.

2. „Te“ essentiale est, ita ut aut formaliter aut aequivalenter (ut in graeca forma) exprimatur: quare in ejus locum „vos“ (sensu merae urbanitatis) vel nomen proprium N. N. substituere, defectus *essentialis non est.*

3. „Baptizo“ vox omnino essentialis est. Substituere aliud verbum, quod exprimit notionem „abluendi, lavandi“ non facit invalidum baptismum, modo adsit omnino intentio sacrae ablutionis seu sacramenti faciendi (S. Alph. n. 109. 2): at ex hujus vocis mutatione *facile* dubium oritur.

4. Vox „in nomine“ est essentialis. Quare a) vox „in nominibus“ *non valet* ut forma;

b) loco „nomine“ dicere „auctoritate“ dubium reddit baptismum;

c) omissio „in“ etiam aliquod dubium circa valorem excitat;

d) „cum nomine“ *sine mala intentione dictum,* S. Congr. C. et S. Offic. pluries dixit, *non obstare valori;* v. 16. Aug. 1828; item

24. Maji 1723, 23. Maji 1720. Cf. thesaur. resolut. S. C. C. tom. 83 pag. 136.

Idem existimo dicendum, si quis „in nomen“ dixerit, etsi putet eam solam esse rectam formam, a Christo datam.

5. „Patris etc.“ — Tres igitur personae singillatim exprimendae sunt, idque vocibus communibus et usitatis. Quare

a) in nomine Genitoris, et Geniti et Procedentis ab utroque — faceret baptismum *aliquatenus dubium*. V. S. Alph. l. c.;

b) „in nomine Patris et Jesu Christi et Spiritûs Sancti“ est expressio *non satis certa;*

c) „in nomine SS. Trinitatis“, omissis nominibus singularum personarum, est forma *omnino dubia.*

d) „Ego baptizo te in nomine Christi“ — est forma *invalida.*

6. Omissa vocula „et“, praesertim si bis omittitur, dubium reddit baptismum: at si secundo loco ponitur, ante Spiritum Sanctum, non videtur dubitandum esse de valore baptismi, quum non semel tum a S. Congr. C., tum a S. Offic. in simili casu decisum sit „pueros de quibus agitur fuisse valide baptizatos, ideoque non esse baptizandos neque sub conditione“. V. Resol. S. Cong. C. l. c. tom. 83, et postea 12. Sept. 1801 in Faesul.

7. Si repetitur: „in nomine Patris, et in nomine Filii etc.“, Bonacina 666
censet baptismum non esse validum; S. Alph., quamquam probabilius eum validum esse dicit, tamen formulam esse non satis tutam, sed aliquatenus dubiam, eo quod unio personarum distinctarum in una divinitate non satis exprimatur.

8. Additio haereticâ vel erroneâ mente facta facile dubiam reddere formam potest, ut

a) si quis dicat: . . . in nomine Patris majoris;

b) at si sensus non corrumpitur, neque voces aptae sunt ad exprimendum sensum corruptum, additio non inficiet valorem, e. g. si quis dicat: „in nomine Patris ingeniti, et Filii unigeniti et Sp. S. ab utroque procedentis“ vel similia.

c) „In nomine Dei Patris et Dei Filii et Dei Sp. S.“, putat Gury (casus II. n. 191) baptismum dubium facere: at vere puto id sine causa dici, nisi quis voluerit exprimere tres Deos.

Caput II.

De ministro et modo conferendi Baptismi.

§ 1.

Munus ministri.

1. *Minister ordinarius, qui solus extra casum necessitatis jus bapti-* 667
zandi habet, est Episcopus vel parochus quoad incolas sui territorii, ita ut, qui eorum jus laedant, per se graviter peccent. — Vagi eligere possunt ecclesiam, quam maluerint. Mulier quae extra domicilii locum parit: *potest* prolem huc deferendam curare, si ultra 3 leucas non di-

stat; *debet* id facere, si tam commode accessus patet ad proprium parochum, quam ad alienum; alioqui proles baptizanda est a parocho loci, ubi mater peperit et decumbit. Cf. S. Alph. n. 115.

2. *Quilibet sacerdos est vi ordinationis suae minister ordinarius baptismi* eo sensu, ut a competente pastore animarum semper licentiam baptizandi, idque solemniter, accipere possit. Ib.

3. *Diaconus solemnis baptismi minister extraordinarius est* eo sensu, ut in casu mediocris *necessitatis*, si *delegatus* fuerit a sacerdote, possit baptizare. — Ergo et delegatio requiritur et casus mediocris necessitatis. V. c. 19 D. IV. *de consecr.*

668 4. *Minister extraordinarius relate ad baptismum necessitatis privatim conferendum est quilibet homo usu rationis pollens:* valide baptismus *semper* a quolibet homine rationis compote conferri potest.

In baptismo necessitatis privato, *si fieri potest,* ordo a Rituali Romano assignatus observari debet in eligendo ministro: „Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat foeminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi."

Attamen haec regula ita intelligitur, ut 1) quilibet fidelis in unione cum Ecclesia exsistens, sive vir sive femina, modo satis sciat modum baptizandi, praeferendus sit omnino cuilibet haeretico, schismatico, excommunicato vitando *etiam sacerdoti;* 2) ut femina extranea praeferatur patri infantis; siquidem parentes infantem proprium baptizare non debent, nisi in defectu alterius.

Inversio autem ordinis a Rituali statuti grave peccatum tum tantum inducit per se: 1) si infidelis, haereticus, schismaticus, vel excommunicatus vitandus praefertur sine necessitate *homini catholico:* inter ipsos illos enumeratos unum aliis praeferre, potest solum *per accidens* peccatum grave evadere, cf. n. 656; 2) si non-sacerdos praefertur sacerdoti in unione Ecclesiae exsistenti; 3) aut si ille, qui non est parochus, praefertur parocho praesenti (nisi ipse alteri sacerdoti officium committat).

669 5. In baptismo solemni caerimonias a Rituali praescriptas notabiliter mutare vel omittere, peccatum grave est, ut unctionem olei catechum., vel chrismatis, professionem fidei etc.; item illum domi conferre, nisi habeas filios principum vel casus exceptos. Si baptismus sine caerimoniis collatus est, caerimoniae postea supplendae sunt. S. Alph. n. 141 *cum sententia communi.*

De *supplendis autem caerimoniis* et de iis adhibendis in baptismo adultorum haec nota:

1) si infans ab haeretico ministro baptizatus defertur ad catholicam ecclesiam, sive baptismus conditionate confertur sive non: caerimoniae adhibendae sunt eaeque ex baptismo infantium.

2) Super adultum ab haereticis baptizatum, si baptismus conditionate non repetitur, non est mos supplere solas caerimonias: si vero — id quod sane licet, imo per se magis convenit — supplentur, sumendae sunt ex baptismo adultorum, nisi specialis facultas S. Pontificis aliter agendi habetur.

3) Si autem caerimoniae supplentur super adultum *catholicum*, caerimoniae sumantur ex baptismo infantium. Ita S. R. C. 27. Aug. 1836 *in Rhedon.* (Gard. ed. 3. n. 4780).

4) Si confertur sive conditionate sive absolute baptismus homini adulto ab haeresi vel infidelitate converso, communis lex est, ut sumatur baptismus cum caerimoniis pro adultorum baptismo.

§ 2.

Munus patrinorum.

Patrini per se ad hoc adhibentur, ut de christiana educatione 670
baptizati quodammodo fide jubeant.

Ex hodierno jure haec pauca tenenda sunt:

1. *Adhiberi debet saltem unus vel una, ut munere patrini fungatur, in baptismo solemni:* in baptismo privato de obligatione non constat.

2. *Non licet adhiberi plus quam duos, i. e. marem unum, alteram feminam;* alias peccatur, sed venialiter tantum, si ambo ejusdem sexûs sint ac baptizandus. — Quodsi *uterque* patrinus sive utraque matrina, quando duo assumuntur, sint diversi sexûs a baptizando, S. Alph. id habet pro peccato mortali l. c. n. 155 dub. 2.

3. Si plures patrini designati sint sive a parentibus sive iis deficientibus a parocho, iique omnes infantem tetigerint: *omnes* cognationem contraxerunt; idem dic, si nullus designatus sit aut nullus eorum tangat infantem, siquidem tum ii omnes, qui volentes esse patrini infantem, dum baptizatur, tangunt aut immediate post baptismum e manu sacerdotis suscipiunt, vere patrini sunt et spiritualem contrahunt cognationem. Sed si certi designati sunt, hi soli eam cognationem contrahere possunt: (de qua v. infra *de matrimonio*). — Verum si plures patrini a parentibus quidem vocati sint, parochus autem duos (supra in 2.) designet declarans, ne alii habeant intentionem contrahendi cognationem, hi, etsi tangant infantem, veri patrini non videntur fieri. Cf. S. Alph. l. c. n. 154.

4. In regionibus haereticis, quando praeter catholicum virum etiam 671
acatholicum amicum admitti vix non necessarium est, curari debet, ut sit ille solus testis, seu ne omnia peragat, quae requiruntur ad patrinum constituendum. — Similiter non licebit viro catholico patrinum agere in baptismo per ministrum haereticum conferendo.

5. Patrinus aliquis constitui potest per procuratorem a se constitutum: verum tunc procurator omnia ea physice agere debet, quae patrinorum sunt, i. e. cum vera intentione infantem sufficienter tangere.

6. De cognatione igitur spirituali, quae contrahitur per munus patrini, vide infra *de matrimonio.* Officium autem patrini est, ut deficientibus parentibus curam spiritualem filioli agat, eumque in fide moribusque christianis instituat.

7. *A munere patrini licite suscipiendo excluduntur* 1) ii qui propter statum suum curam aliorum gerere non possunt, quo titulo religiosi et moniales positivo jure excluduntur: Rituale Rom. tit. II cap. 1 n. 26, S. Alph. n. 156;

2) qui in christianis moribus educare non possunt: ut apostatae et haeretici, atque alii publici peccatores: Rit. R. ib. n. 25;

3) qui primariam curam educandi jam aliunde habent, sc. parentes respectu filiorum, conjux respectu sui conjugis. — Alii autem cognati non excluduntur, etsi sunt proxime cognati, ut fratres et avi.

Caput III.

De subjecto Baptismi.

672 1. *Subjectum baptismi est omnis homo viator nondum baptizatus.* — Hinc vix non certus est baptismus foetui vivo et efformato in utero matris collatus, si modo caput rite ablutum fuerit. Nihilominus post nativitatem, *prout in Rituali Rom. continetur,* sub conditione baptismus debet iterari.

Similiter etiam de foetibus abortivis dicendum est, eos omnes, sub conditione saltem, baptizandos esse, nisi certo constiterit de eorum morte secuta: quod vix obtinet nisi ex indubiis signis putrefactionis. Neque omitti debet baptismus propterea, quod a brevi tantum tempore conceptio sit facta: nam probabile est, statim animationem per rationalem animam fieri. Quare instruendae sunt omnino matres sive immediate sive per obstetrices, et monendi sunt medici, ne in casu adeo frequenti immaturi partûs omittant, ovum humanum, quod ex utero ejectum fuerit, caute aperire et foetum, etsi minimum, si infusione attingi potest, infusione, alioqui cum involucris apertis immersione baptizare; imo si timetur, ne citius forte emoriatur, prius etiam involucris nondum apertis immersione foetus baptizetur conditionate, dein statim disruptis membranis iterum sub conditione. Cf. *Theol. mor.* n. 74.

Item moneri omnino debet, ne omittatur sectio matris gravidae, si mortua fuerit, eaque quam citissime fiat. Ex cujus omissione graviter omnino delinqui potest.

673 2. *Ut illi, qui usum rationis nondum habent, valide et fructuose baptizentur, ex eorum parte nihil requiritur. Illi autem, qui rationis usum perfectum unquam adepti sunt, ut valide baptizentur, voluntatem recipiendi baptismi aliquo modo habere vel habuisse; ut cum fructu sanctificantis gratiae baptizentur, actum fidei et dolorem de peccatis commissis debent elicuisse, secus suspenditur at reviviscere potest effectus:* cf. n. 655.

Quare: 1) perpetuo amentes plane ut infantes baptizari debent.

2) Qui post rationis usum in amentiam inciderint, si lucida intervalla exspectari possint, tum temporis instruendi et baptizandi sunt; alioqui saltem conditionate: (absolute si constat, eos *voluisse* baptizari).

3) Qui, quum de aetate rationis plenae dubitatur, ipse vult baptizari, baptizari *debet* in periculo mortis, atque etiam alias nisi forte jus parentum contradicentium in quaestionem venit; debet tamen pro modulo suo instrui et actus supernaturales elicere conari. Imo in articulo mortis ne aliqua quidem repugnantia moribundi obstat, quominus sub conditione baptizari debeat, sed plena postea manifestata voluntate, conditionate etiam rebaptizari.

4) Qui in articulo mortis inveniuntur sensibus destituti, baptizari debent, si desiderium baptismi unquam ostenderunt; possunt conditionate omnes, de quibus cum aliqua etiam tenui probabilitate assumere licet, eos solummodo actum supernaturalem doloris elicuisse: quare raro homo sensibus destitutus, qui eousque baptizatus nondum est, sine baptismo est praetermittendus; at saepissime, si supervixerit et rationis usum receperit, sub conditione rebaptizandus. *Theol. mor.* n. 78.

3. *Obligatio procurandi baptismum infantibus cuilibet, qui succurrere* 674
potest, incumbit, si occurrit extrema infantis necessitas, i. e. si infans nondum baptizatus reperitur in imminenti mortis periculo, neque alius adest qui baptismum conferendum curet; *alias incumbit iis, qui ex officio infantis curam habent,* imprimis parentibus et parocho.

Et quidem ex hodierna disciplina Ecclesiae infantis recenter nati baptismum differre uno alterove mense, nisi gravis quaedam causa accedat, parentibus gravi peccato est; imo Episcopo competit facultas etiam magis urgendi. De cetero, nisi speciale periculum aut lex urget, 3—8 dies differre, non est peccatum.

Adultus homo, si tandem de veritate catholicae religionis convictus est, ante suum baptismum *instrui* quidem debet; post instructionem *diu* baptismum differre ei non licebit; at quum ipse tandem actu *contritionis* se juvare possit, dilatio *gravis* latius extenditur, quam in baptismo infantium.

Difficultas gravior est de jure et obligatione baptizandi infantes 675
parentum acatholicorum contra parentum voluntatem extra imminens mortis periculum. (In mortis enim articulo plane adest obligatio pro omnibus.) Infantes autem intellige eos, quos *constat* usum rationis nondum habere: nam si certum est, eos usum rationis habere, in hoc negotio plane sunt sui juris; in dubio, si *volunt* baptizari, relinquendi non sunt, sed *contra parentes* in tuto collocandi — quantum fieri potest — dum rationis usum certo adepti voluntatem melius ostendant. — Breviter noto haec:

1) In parentes acatholicos baptizatos Ecclesia hoc jus habet, ut ipsorum infantes baptizet, baptizatos contra parentes defendat; at, utroque parente contradicente, raro expedit illo jure uti.

2) Si jus paternum exstinctum vel plane impeditum est; aut si unus ex parentibus vel ex iis, ad quos jus paternum transiit, *consentit* atque simul consentit in catholicam educationem: jus et, si fieri potest, obligatio est baptizandi.

3) Si igitur, a) utroque parente dissentiente, periculum mortis non ita imminens adest, b) alterutro parente consentiente, periculum perversionis non ita leve tamen remanet: *facultas* baptizandi aderit, non ita tamen pro diversis circumstantiis obligatio.

4) Baptizare infantes bene valentes *non licebit:* a) si uterque parens non-baptizatus repugnat neque jus in infantes reipsa exercere desiit; b) si parentes in baptismum quidem consentiunt, sed non in catholicam educationem, idque ita, ut perversionis periculum *permagnum* exsistat: de non-baptizandis infantibus Judaeorum, invitis parentibus, habes Constit. Julii III. et responsum S. C. Congr. 16. Jul. 1639. Cf. *Theol. mor.* n. 80—88.

Tractatus III.

De Confirmatione.

Cf. S. Thomas III. q. 72, S. Alph. l. 6 n. 161—188, E. Müller l. 3 § 78—86, Benger, *Pastoraltheol.* § 107.

Caput I.

De essentia et natura Confirmationis.

676 Confirmatio baptismi quoddam complementum est, sc. N^ae-L. sacramentum, quo unctione chrismatis et manuum impositione sub certa verborum forma homini baptizato datur plenitudo Spiritûs Sancti ad robur et fortitudinem.

§ 1.

De gratia, quam Confirmatio confert.

1. *Confirmatio hominem baptizatum pleniore jure Christo dedicat eumque per novum characterem formaliter Christi militem constituit.*

2. *Per eandem confertur peculiare augmentum gratiae sanctificantis et Spiritûs Sancti donorum,* idque secundum abundantiam quandam.

3. *His tandem adjungitur jus quoddam speciale ad auxilia gratiae,* quibus homo contra fidei pericula atque insectationes fidei causa subeundas muniatur. — Quae speciales gratiae optime illustrantur ipsis caerimoniis, quibus Ecclesia confirmationis administrationem circumdat:

677 1) Unctio indicat, fidelem praeparari *ad pugnam.*

2) Oleum, quo fit unctio, animae nitorem adeoque ipsum Spiritum Sanctum designat; balsamum, quod admiscetur, odorem et fragrantiam omnium virtutum: quo fideles Christi bonus odor sint.

3) Unctio fit in fronte per signum crucis, quo designetur, Christi fidelem evadere debere intrepidum, quem nunquam pudeat Christi ejusque crucis et persecutionum.

4) Unctio fit impositione manûs, quae designat quandam deputationem, et rei apprehensionem ut propriae: sic Christus et Spiritus Sanctus animam ut rem propriam de novo apprehendunt atque ad suum servitium deputant.

5) Adjungitur lenis alapa: cujus quidem explicatio ab aliis aliter fit; verba addita „Pax tecum" id saltem connotant, pugnam spiritualem et opprobria Christi causa toleranda cum vera pace consistere atque ad perfectam tandem pacem in coelis praeparare.

§ 2.

De materia et forma, quae Confirmationem ut gratiae efficax signum constituunt.

678 1. *Materia remota ut indubia sit, requiritur chrisma* 1) *ex oleo olivarum et* 2) *balsamo* confectum, 3) benedictum, i. e. *consecratum,*

4) *ab Episcopo,* 5) idque *speciali chrismatis benedictione.* Non omnia tamen eodem certitudinis gradu requiruntur. Nam 1) *certo* requiritur oleum olivarum cum exclusione aliorum oleorum; 2) omnino probabiliter etiam balsami admixtio requiritur, at cujuslibet speciei; 3) jam hinc fit, ut alia olea sacra non certo quidem invalidam, at *dubiam* relinquant confirmationis administrationem cum illis factam; 4) consecrationem, eamque communiter per Episcopum factam requiri *certo* ad valorem sacramenti, habes ex Flor. ad *Armenos,* et ex decr. S. Inquis. 13. Jan. 1611 et 14. Sept. 1842 a SS. Pontif. Paulo V. et Gregorio XVI. confirmatis. *Posse* autem summum Pontificem hanc consecrandi facultatem simplici sacerdoti committere, videtur dicendum esse.

Cf. *Theol. mor.* n. 93.

679 2. *Materia proxima ut certo valeat, fieri debet unctio* 1) *in fronte* confirmandi, 2) *per modum crucis,* 3) *immediate per manum Episcopi,* non mediante instrumento: quo videlicet habeatur quae dici possit *manûs impositio.*

3. Actionem aliam praeter eam, quae in hac unctione continetur, ad essentiam sacramenti non requiri, satis certum est. Dubium movebant de *praecedente* manuum extensione, qua Episcopus *super omnes* gratiam Spiritûs S^i^ implorat: verum haec per epistolam encycl. Benedicti XIV. „*Ex quo primum*" ut essentialis pars satis certo excluditur. Cf. *Theol. mor.* n. 94.

680 4. *Forma „signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti"* secundum omnes suas partes probabiliter essentialis est: quare a qualibet mutatione caute abstineri debet.

Verum in orientali Ecclesia, quamquam in unctione dicuntur sola verba: *„signaculum doni Spiritûs Sancti"*, de veritate sacramenti dubitari nequit; at reliqua, quae in forma latina occurrunt, et *fortasse* ad valorem pertinent, inveniuntur apud Graecos in praevia oratione, potissimum SS^ae^ Trinitatis cum distincta trium personarum expressione invocatio: quare haec apud Orientales fortasse valori necessaria est.

Caput II.

De ministro Confirmationis.

681 1. *Minister ordinarius confirmationis* (sc. vi ordinationis seu characteris episcopalis) *est solus Episcopus:* Trid. sess. 7 can. 3 *de confirm.*

Licite tamen solos subditos, vel potius solum intra limites suae dioecesis confirmat. Nam quotquot ibi inveniuntur, sive vagi, sive peregrini, sive quasi-domicilium habentes, ex communi consuetudine licite confirmat, nisi forte in peregrinos eorum Episcopus expresse contradixit. — In aliena autem dioecesi nulli Episcopo confirmare licet, nisi Episcopi proprii consensus accessit: alioqui graviter peccatur. S. Alph. n. 171 et 172.

682 2. *Minister extraordinarius, i. e. ex delegatione, potest esse simplex sacerdos:* quod probat *praxis continua* tum Ecclesiae orientalis (in qua

post baptismum consueverunt presbyteri confirmationem conferre), tum innumera exempla facultatis per RR. Pontifices missionariis datae: cf. etiam Florent. ad *Armenos.*

Verum id discriminis est, ut Episcopus quilibet quoslibet valide confirmare possit; presbyter delegatus, quando limites suae delegationis excedat, confirmet invalide. — In modo conferendi hic jubetur fidelibus exponere, se *delegatione* R. Pontificis id facere, et abstinere ab omnibus insignibus pontificalibus.

Quomodo explicari possit haec facultatis communicatio, et quid illud sit quod presbytero conferatur, vide in *Theol. mor.* n. 99.

683 3. *Obligatio gravis conferendae confirmationis, ordinarie loquendo, ita restringitur, ut Episcopus debeat aliquoties opportunitatem suis subditis praebere sacramenti confirmationis accipiendi.* — Si igitur per 8—10 annos hanc opportunitatem non praebeat, ex communi doctrina *graviter* peccet, nisi vera necessitate impediatur (v. S. Alph. n. 175). Ut autem plene obligationi satisfaciat, frequentius conferre debet.

4. Modus vero et ritus in Pontificali describitur. *Gravis* transgressio esset 1) notabilis caerimoniae accidentalis omissio, 2) omissio *omnis* vestis sacrae stricte *pontificalis:* alias leve peccatum est, paululum a praescripto Pontificalis recedere.

Quare: 1) Ut severae obligationi satisfiat, satis est, Episcopum indui *amictu* super rochettum et *stola;* decet vero secundum Pontificale, ut adhibeat etiam *mitram,* pluviale, et ut baculus pastoralis a clerico teneatur: S. Alph. n. 184.

2) Omissio alapae culpa *levis* censetur; omissio vero orationum, quae praecedunt confirmationem, gravis haberi debet; a fortiori quilibet defectus, qui dubium reddat sacramenti valorem.

3) Patrinus, isque unus tantum, *per se sub gravi* adhibendus est. Attamen si haberi nequit, sine peccato omittitur. Patrinus autem debet esse a) confirmatus, b) designatus sive a parentibus, sive a confirmando, sive ab Episcopo; c) debet tangere confirmandum.

4) Quamquam convenit, ut, si fieri possit, confirmatio *mane* conferatur, tamen verum praeceptum non est. Et licet locus proprius ecclesia sit, tamen rationabilis causa excusat ab omni culpa, si alius locus eligitur, neque unquam per se sub gravi locus sacer exigitur: v. *Pontificale,* S. Alph. n. 184.

Caput III.

De subjecto Confirmationis, ejusque suscipiendae obligatione.

684 1. *Confirmationis capax est quilibet homo fidelis baptizatus,* cui saltem interpretative voluntaria sit confirmationis susceptio.

2. Quamquam in *latina* Ecclesia praxis communis est non conferendi seu recipiendi confirmationem nisi post annos discretionis: tamen lex proprie dicta non exsistit. Quare non tantum consuetudo Ecclesiae graecae in suis locis servanda est, ut sc. infantes statim post baptismum confirmentur, sed etiam idem de consuetudine legitima

Hispaniarum dici debet, secundum quam infantes ad confirmationem adducantur. Imo in aliis quoque regionibus ex rationabili causa ita etiam cum laesione communis praxis agere licet: v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 7 cap. 10 n. 8.

3. *Obligatio suscipiendae confirmationis per se gravis non videtur esse.* Gravis autem evadere potest ejus omissio ratione contemptûs, ratione scandali, ratione peculiaris periculi et infirmitatis spiritualis: quamquam haec ultima ratio rarissime in praxi urgeri potest, quum alia media, quibus homo necessaria auxilia divinae gratiae sibi comparare possit, omnibus suppetant. Cf. *Theol. mor.* n. 103. 685

4. *Dispositio necessaria est status gratiae*, ab eo qui lapsus est aut per contritionem aut per confessionem acquirendus (v. Pontificale R.). Imo confessio adultis omnino suadenda est, vel etiam S. Communio iis, qui aetatem pro illa habent. — Propter solam confirmationem jejunum manere, legis non est, sed consilii.

Tractatus IV.

De SS. Eucharistiae Sacramento.

Scriptores, qui laudari mereantur, praeter eos, quos suo loco in singulis capitibus afferam, indico hîc paucos: S. Thom. III. q. 73—83, S. Alph. l. 6 n. 189—424, Suarez et Lugo in suis tractat. *de Eucharistia,* Lacroix l. 6, Bened. XIV. *de sacrificio Missae,* Franzelin *de Eucharistia.*

„Ex omnibus sacris mysteriis", — utar verbis Catechismi Romani — 686
„quae nobis tamquam divinae gratiae certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, nullum est, quod cum SS. Eucharistiae Sacramento comparari queat", ita ut abundantia amoris Christi Domini in hoc Sacramento innumeris haereticis eorumque superbiae scandalo facta sit.

Convenit cum reliquis sacramentis in eo, quod sit signum gratiae efficax, at modo longe excellentiore. Distinguitur autem multis modis: 1) quod non tantum gratiam creatam continet hominibus conferendam, sed ipsum omnium gratiarum auctorem et datorem; 2) quod non in solo usu consistit, sed *permanens* sacramentum est, etiam antequam ejus usus incipiat: quare distingui debet a) sacramentum *in fieri,* i. e. sacramenti confectio seu consecratio, b) sacramentum *in facto esse,* seu sacramentum permanens, c) sacramenti ad homines *administratio,* seu distributio; 3) demum distinguitur hoc sacramentum a reliquis, quod S. Eucharistiae confectio non solum sacramentum est, sed simul sacrificii rationem habet.

Quapropter ex natura rei divisio in duas sectiones oritur, quarum priore rationem sacramenti, posteriore sacrificii rationem considerabimus.

Sectio I.

De SS. Eucharistia, ut est Sacramentum.

Hanc SS. Eucharistiae ut Sacramenti tractationem commode ita possumus dividere, ut cap. I de *re* ipsius sacramenti seu de ejus elemento invisibili quod continet, sc. de reali praesentia et de SS. Sacramenti effectibus, II. cap. de sacramenti *confectione*, vid. de ministro, materia et forma, III. cap. de *usu* S. Eucharistiae, sc. de ejus asservatione, distributione et susceptione agatur.

Caput I.

De re, quam continet SS. Eucharistia.

687 S. Eucharistia secundum catholicam fidem sacramentum est, quo sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi atque totus Christus, Deus et homo, vere, realiter et substantialiter continetur, atque per corporalem sumptionem spiritualis animae refectio evadit, qua supernaturalis vita confortetur et augeatur. V. Trid. sess. 13 cap. 1 et 2.

§ 1.

De reali Christi in Eucharistia praesentia.

Ut summa capita catholicae doctrinae de reali praesentia ex dogmate brevissime complectar, haec commemoro:

1. *In SS. Sacramento totus Christus vere, realiter et substantialiter praesens est:* vi verborum quidem sub specie panis Corpus, sub specie vini Sanguis Christi; per concomitantiam reliquae Christi humanitatis partes et divinitas.

2. *Totus Christus praesens est sub utravis specie, et sub qualibet speciei parte;* idque separatione partium facta obtinere, de fide defin. est: ex quo sequitur theologica certitudine, ita esse etiam ante partium divisionem, quippe quae sacramentaliter nihil operetur. Haec Christi eucharistici exsistentia vix aliter explicari potest, nisi ut dicamus, Christum habere ibi exsistendi modum *spiritualem.*

3. *Christus praesens fit per modum transsubstantiationis,* ita ut substantia panis et vini convertatur in aliam substantiam; tamen praesens fit non nuda substantia, sed Christus totus isque gloriosus cum suis accidentibus quae ei inhaerent. Ex pane igitur et vino *sola manent accidentia* seu *species:* quod sane non dicit solas impresssiones in sensus nostros divinitus productas, sed aliquid objectivum, quod easdem in sensus nostros efficiat impressiones, ac si adsit verus panis et verum vinum.

688 Ex quo sequitur: 1) tamdiu manere Christum praesentem, quamdiu species panis et vini manent essentialiter incorruptae; eum de-

sinere praesentem esse, atque substitui substantiam, quae alias adesset, quum primum species non amplius fuerint panis et vini. Quod quantum tempus requirat, inter ipsos medicos non constat. Communiter post sumptionem in stomacho sano non videtur requiri horae quadrans; at in stomacho aegroto etiam post horam species exsistere possunt nondum corruptae. Si qui igitur sequatur post S. Communionem vomitus, ne facilius vel citius ejectamenta sine cura abjiciantur; sed inspici debent, et si nihil distingui potest neque de corruptione *certo* constet, comburi vel postea in sacrarium mitti.

2) In sumptione S^ae^ Eucharistiae sub una specie tantum sumitur, quantum sub utraque.

3) Antequam sumptio perfecta est, sacramentalis operatio seu effectus augeri, mutari potest, ita ut, qui sacram particulam sumpsit in statu peccati, si, antequam totius hostiae sumptionem perfecerit, contritione perfecta justificetur, jam *gratiam Sacramenti Eucharistiae* percipiat.

4) Imo, aucta meliore dispositione, *fortasse* toto illo tempore, quo sacrae species nondum sint corruptae, effectus sacramentalis ex opere operato augetur. Cf. *Theol. mor.* n. 106—110.

§ 2.

De effectibus SS. Eucharistiae.

S. Eucharistiae sacramentum quidem est ante usum, attamen pro- 689
pter usum humanum institutum est. Plenum igitur effectum suum sumptione producit, quatenus effectus Eucharistiae qua sacramenti consideramus.

Si quis igitur ad certum quendam ordinem varios effectus revocare voluerit, haec fere statuenda sunt:

1. *S. Eucharistia est sacramentum vivorum, ad augendam, non ad primo dandam justificationis gratiam instituta:* nonnisi probabiliter in eo, qui bona fide putat se in statu gratiae et debita dispositione esse, peccatum mortale delet, modo attritio saltem antecesserit.

2. *Effectus omnium sacramentorum (vivorum) communis, hujus Sacramenti quodammodo specialis est, augmentum vitae supernaturalis,* scilicet 1) per gratiae sanctificantis augmentum ex opere operato, 2) per specialem et abundantiorem collationem actualis gratiae auxiliorum, quae ad exserendam spiritualem vitam ejusque nobilissimam activitatem, caritatem dico, tendunt, atque ita continuum gratiae et meriti incrementum operantur.

3. Cum effectu modo explicato cohaeret *alius effectus, quo vita supernaturalis aucta conservetur atque a periculis defendatur:* quod fit 1) per concupiscentiae diminutionem, 2) per daemonis ejusque tentationum propulsionem, 3) per quaecunque media, quibus perseverantiae donum facilius obtineatur. Hoc modo S. Communio est medium moraliter necessarium ad salutem.

4. Accedit culpae venialis remissio atque poenae temporalis pro peccatis remissis debitae diminutio, tum per actus supernaturales, ad quos S. Eucharistia excitat, tum immediate ex opere operato.

5. Speciali modo S. Eucharistia fovet unionem et caritatem cum proximis, ad quam gratiae vi hujus SS. Sacramenti collatae excitant.

6. Tandem specialem titulum futurae gloriae atque corporis etiam gloriosae resurrectionis fidelibus contribuit. De omnibus his cf. *Theol. mor.* n. 112—117.

690 Admirabiles divini Sacramenti effectus, fortasse magis quam effectus aliorum sacramentorum, ab humana cooperatione pendent; imo id ex speciali hujus Sacramenti fine nobis conjicere licet. Quum enim praecipue ad excitandos divinos affectus in anima sumentis institutum sit, neque illi sine ulla hominis cooperatione in actus liberos et meritorios transire possint: omnino patet, ipsius hominis tepore, negligentiâ, distractionibus divinos illos fructus facile intercipi vel praescindi posse. Unde aliquam causam habes, cur hujus venerabilis Sacramenti fructus aut abundantiores non sint, aut non ita admirabiles appareant. Ceterum non ex iis praecipue, quae apparent, illi effectus dijudicandi sunt. Plura de hoc notanda occurrent postea cap. 3, ubi de sumptione Sanctissimae Eucharistiae dicturi sumus.

Caput II.

De confectione SS. Eucharistiae.

691 Ad Sacramenti confectionem et legitimus minister requiritur, et observatio legitimi ritûs, imprimis materia et forma a Christo praescriptae.

De ministro, qui conficere debeat S. Eucharistiam, id unum notandum est, solos esse presbyteros, qui consecrare possint. Hoc habes *definitum* in Concilio Later. IV. *adv. Albing.* etc. Denz. n. 357, et Trid. sess. 22 can. 2 et sess. 23 can. 1 et 3: quod insuper universa traditio contestatur. Et re quidem vera, quum Christus Dominus solis Apostolis mandatum et potestatem consecrandi seu faciendi idem, quod ipse in ultima Coena fecit, divino ore contulerit: nemo hanc potestatem habere potest, nisi cui per successionem Apostolorum ab Ecclesia fuit communicata, communicatur vero ordinatione presbyteratûs.

Haec de ministro hoc loco sufficiant. Restat, ut de materia et forma dicamus.

De materiae S. Eucharistiae tum natura, tum praesentia agi debet; in utraque re videndum est, quid requiratur ad validam, quid insuper ad licitam consecrationem.

§ 1.

Materiam SS. Eucharistiae qualem esse oporteat.

692 1. *Materia ad valorem necessaria est panis triticeus et vinum de vite.* Quare invalida materia est panis ex fabis, avena etc. confectus, vinum ex pomis expressum, vel arte confectum affusa notabili quantitate materiae alienae; saepius etiam erit materia dubia.

2. *Quamdiu secundum humanam aestimationem et usum panis et vinum substantialiter incorrupta sunt, manent materia valida;* si certo corrupta sunt, invalida evadunt; si dubie, materia erit dubia. — Hinc, ut ex Ecclesiae declaratione satis constat, valida materia est succus ex uvis passis recenter expressus ante defaecationem, vel mustum uvarum.

3. *Nihilominus si materia aliquod corruptionis initium aut periculum subiit, fieri potest, ut de valore quidem consecrationis dubitandum nondum sit, sed* — nisi forte adsit necessitas — *gravi irreverentiâ peccetur.* Verum si paululum tantum acescit vinum neque aliud commode haberi potest, sine peccato illud licet adhibere.

4. Ut igitur licite fiat consecratio, materia debet esse 1) decenter 693
munda; 2) panis debet esse formae secundum ritum diversum consuetae, 3) in latino ritu solum azymum, in graeco solum fermentatum panem licet adhibere; 4) vino ex apostolica traditione et gravi praecepto Ecclesiae modica aqua admisceri debet.

Quare non ad solum vinum, sed etiam ad panem adhiberi debet attentio. S. R. C. declaravit, nullatenus licere adhibere hostias a sex vel tribus mensibus confectas, ne ab iis quidem, quibus per se cura rerum in ecclesia non incumbit; nam 1) potest omnino in iis hostiis periculum corruptionis inesse, 2) etsi nondum adest, tamen plane indecens est uti pane tam vetusto, quem nemo pro suo usu in mensa adhiberet.

Hostia fracta, maculata uti, secluso scandalo non censetur plus esse quam veniale peccatum, hinc, accedente rationabili causa, nullum est peccatum, v. g. si defectus non notabilis advertitur post factam oblationem.

Pro Missa major quidem hostiae formula praescripta est: at, ea deficiente, licebit etiam ex sola devotione celebrare cum hostia parva; ad evitandam admirationem populus admoneatur.

Sacerdos latini ritûs pane azymo, graeci ritûs sacerdos fermentato uti *debet:* imo saltem convenit idem observare, si in ecclesia alieni ritûs celebrari debet, ecclesiis proprii ritûs in itinere deficientibus: verum videtur tandem tunc licere cuilibet sese conformare ritui ecclesiae in qua celebretur.

Cf. *Theol. mor.* n. 118—121.

§ 2.

Materia SS. Eucharistiae quomodo debeat esse praesens.

1. *Materia consecranda debet ita esse praesens, ut per verbum „hoc“* 694
possit demonstrari, idque ad valorem. Insuper vera aliqua voluntate sive actuali sive virtuali determinari debet et assumi ad consecrandum; quod pariter ad valorem necessarium est. S. Alph. ex Busenb. et aliis n. 211 et 213. — Quare consecratur quidem utraque hostia, quam sacerdos in manu tenens putat esse unicam tantum, sed per se non hostia inscio sacerdote allata. De guttulis in calice dispersis et micis in ciborio separatis, dubium est.

2. *Materia consecranda, eaque omnis, sive sacerdos pro se tantum sive etiam pro communione populi consecrat, sub gravi praecepto debet*

tempore consecrationis esse 1) *super altare*, 2) *in corporali*, 3) si altare solum lapidem consecratum insertum habet, *in ipso hoc lapide consecrato:* quod de ipsis hostiis parvis expresse monet Bened. XIV. *de sacrif. Missae* sect. 2 n. 139, Navarr. *Manuale* cap. 25 n. 83, Suar. *de Euch.* d. 81 sect. 5, Tambur. *de sacr. Missae* l. 2 cap. 1 § 3 *casus quartus* et ib. cap. 5 § 2 n. 12, Ballerini-Gury II. n. 281 etc., 4) sub praecepto veniali ciborium discoopertum esse debet.

695 Quae si neglecta sunt, sane ex se non reddunt consecrationem nullam, at si sacerdos hostiarum, quae allatae sunt ad altare, plane oblitus, eas reliquit toto tempore clausas extra corporale consistentes, *dubium* erit practice, num revera eas satis assumpserit ad consecrationem; sed si eas in offertorio collocavit in corporali, etsi ad consecrationem, ciborii oblitus, illud non aperuit, de consecratione facta non est dubitandum. Cf. *Theol. mor.* n. 124 et 125.

3. *Omnis* materia consecranda, ergo etiam hostiae parvae pro populo ita adesse debent tempore offertorii, ut quo propius sacerdos jam ad ipsam consecrationem devenerit, eo difficilius liceat allatas admittere. Hinc si paulo post offertorium particulae pro populi Communione afferuntur, sine graviore causa eas consecrare licet, oblatione mentaliter facta; coepta praefatione, aliquanto gravior causa adesse debet; coepto jam canone, causa *absolute gravis* videtur prorsus requiri, ut eas particulas consecrandas assumere liceat. Quare si unus alterve fidelis diutius Communionem exspectare deberet, satius esset, particulam ex hostia sacerdotis *detrahere,* quam alias particulas consecrandas addere. Verum si magna pars populi non sine offensa aut Communione privaretur, aut nimis diu exspectare deberet, esset, ut videtur, haec ratio omnino sufficiens, cur etiam coepto canone particulae consecrandae afferrentur. S. Alph. l. 6 n. 217 IV cum aliis et Bened. XIV. *de sacrif. Missae* l. 3 c. 18 n. 5 approbant, licere post praefationem, antequam canon sit coeptus, parvas hostias assumere „quando plures sine Communione remanerent".

§ 3.

De forma SS. Eucharistiae.

696 1. *Formam consecrationis esse ipsa verba Christi, quae sacerdos Christi nomine profert, sine errore in fide negari nequit:* Florent. ad *Armenos* et Pius VII. 8. Maji 1822 ad Patriarch. Melchitarum.

2. Quare dicendum est, essentialia esse in consecratione panis *„hoc est (enim) Corpus meum"*, in consecratione calicis saltem: *„hic est (enim) calix Sanguinis mei"*, exclusa *epiclesi* sive antecedente, sive subsequente. — Mutare *hoc* in *illud,* omittere *est,* sumere *hic* localiter intentione praevalente: reddit consecrationem nullam vel dubiam. Sine mala fide corrumpere *corpus* in *copus, calix* in *calis* etc., valori non obstat.

3. Ad essentiam consecrationis calicis pertinere insuper verba quae adduntur *„novi et aeterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum"*, sunt qui affirment; verum sufficiens ratio id affirmandi esse non videtur: quare ob aliqualem defectum in his verbis commissum, censeo, obligationem repetendi non esse.

4. Ut verba epiclesis ad formam consecrationis nullatenus pertinent, ita verba, quae historiam ultimae coenae referunt: „Qui pridie quam pateretur etc." formaliter ad formam consecrationis non pertinere, aeque certum est; indirecte autem seu eatenus eo pertinere, quatenus per ipsa verba celebrans constituatur ut in persona Christi agens, opinantur pauci quidem theologi: quae opinio, etsi non est ab Ecclesia proscripta, tamen fundamentum non habet.

Caput III.

De usu SS. Eucharistiae.

Scriptores de hac re tractantes laudari merentur inter alios: Apoll. Maier, *liturgische Behandlung des Allerheiligsten;* Probst, *Verwaltung der Eucharistie;* De Herdt, *sacrae liturgiae praxis*; Hartmann, *repertorium rituum;* — praeter proprios liturgiae fontes, sc. *Missale, Rituale, Caerimoniale Episcop., Decreta S. R. C.* (collect. auth. Gardellini, quam adhibui et attuli secundum *tertiam* editionem).

Articulus I.

De SS. Eucharistiae asservatione.

I. Asservanda est SS. Eucharistia in ecclesiis cathedralibus, pa- 697
rochialibus, regularibus, et in ecclesiis monialium sub clausura stricta viventium. — Pro aliis autem ecclesiis consulenda est consuetudo vel Apostolicum indultum; item pro oratoriis et sacellis. Cf. Benger, *Compendium theolog. pastoralis § 90.*

In conservatoriis, oratoriis ad communitatem spectantibus, cui sacerdos ut rector praeest, non raro indultum Apostolicum conceditur, ut S. Eucharistia asservari possit; etiam nonnunquam in granciis seu villis regularium. Interdum autem Apostolicum indultum etiam conceditur pro oratorio domûs privatae: modo semel in hebdomada sacerdos celebrans sacras species renovet.

Utrum in ecclesiis filialibus S. Eucharistia sine privilegio asservari possit, necne, circumstantiae et consuetudines considerandae sunt. Si sacerdos aliquis illi ecclesiae praeest et apud eam habitat, facile licentia obtinebitur; imo, licentia exsistente, desideratur vel praecipitur, ut SS. Sacramentum ibi custodiatur pro commoditate et securitate Viatici; verum ubi sacerdos deest, in ecclesiis vel sacellis ruralibus indultum concedi minime consuevit. Cf. inter alios S. Alph. n. 424, magis particularia v. Meier l. c. pag. 522 sqq.

II. De modo asservandi Ss. Sacramenti sufficit afferre praescripta 698
Ritualis, iisque paucas notulas adjicere.

1. „Curare porro (parochus) debet, ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in *pyxide*[1] ex solida decenti-

[1] Pyxis non consecratur, sed benedicitur similiter, ut vestes sacrae.

que[1] materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa[2], albo velo cooperta[3], et quantum res feret, ornato in tabernaculo[4] clave obserato."[5]

2. „Hoc autem *tabernaculum* conopaeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum[6], in altari majore vel in alio[7], quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum: ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur."

3. „Lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat[8]: curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, et conserventur."

---

[1] Pyxis, quantum fieri potest, sit ex eadem materia, quae in calice praescribitur, ideoque aut aurea, aut saltem argentea vel stannea intus deaurata. Quod de pyxide dictum est, valet etiam de lunula ostensorii, quae excipit sacram hostiam exponendam: sit igitur, quantum fieri potest, intus deaurata, atque ita constructa, ut purificari possit; quod commodius fit, si duae laminae semicirculares medio cochlearum disjungi et arctius conjungi possunt. S. Congr. R. 4. Febr. 1871 *Vicario Ap. Daniae* respondit, non decere sacram hostiam inter duas laminas vitreas circulo aureo vel deaurato circumducto sic includere, ut illae laminae sacram speciem tangant.

[2] Pyxis suo operculo bene claudi debet; quare minime sufficit palla aliudve operculum superpositum, quod solum in necessitate ad asservandum Sanctissimum Sacramentum pro brevi tempore permitti potest, et tum sic tegatur et ligetur, ut *Missale* praescribit pro Fer. V in Coena D[i]. — Multo major abusus est, sanctam hostiam in lunula non clausa nudam in tabernaculo collocare.

[3] Pyxis, aliudve vasculum Sanctissimam Eucharistiam continens in corporali vel palla benedictis collocari debet; pyxis velo *albo serico* est circumdanda, ita ut in tabernaculo non nuda appareat.

[4] Tabernaculum communiter ex ligno conficiendum est: alicubi majoris securitatis causa ferreum praescribitur. Extrinsecus *decet* esse deauratum; intus vero debet esse serico — etiam villoso — panno ornatum: si autem intus deauratum est, non esse necessarium pannum album sericum, rescripsit S. R. C. 16. Maji 1871 *in Urgeliens.* ad VII.

[5] Clavis tabernaculi (vel claves) debent esse sub diligenti custodia, eaque per se non laici, sed ipsius *sacerdotis,* ut pluries S. Congr. decrevit, et S. Pontifices monuerunt. Gard. n. 940, 987, 1048, 4007, 4918, 5029 etc.

[6] In tabernaculo nihil servari licet, nisi S. Eucharistiam, et sacra vasa antequam post usum purificata sunt. Quare non licet simul cum Ss. Sacramento ibi asservari vasa vacua et purificata, sacra olea, sacras reliquias sive sanctae crucis sive Sanctorum, multo minus purificatoria, claves, alia id genus. Cf. S. Cong. Ep. 3. Maji 1693 (Benger l. c.).

[7] Communiter Ss. Sacramentum in altari majore asservatur: in ecclesiis autem cathedralibus debet in alio altari asservari, ne videlicet sacrae functiones episcopales impediantur, quum commode et reverenter observari simul non possint et reverentia Ss. Sacramento debita et rubricae sacrarum functionum.

[8] Peccatum grave tamen non constituitur, nisi per integrum diem et noctem lampas exstincta mansit. Cf. Alph. n. 248. Oleum per se debet esse *olivarum;* ex necessitate autem Episcopus permittere potest, ut aliud oleum ex vegetabilibus, vel eo deficiente, etiam petroleum substituatur; quod tamen non sine graviore causa faciendum est. Decr. 14. Julii 1864 confirmat. a Pio IX. v. Gardell. n. 5331.

4. „Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit[1]; hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes[2]; et ubi eas consecravit, veteres primo distribuat vel sumat.“ [3]

Scholion. Pauca hîc adnoto circa *Sanctissimi Sacramenti expositionem,* de qua confer Maier op. c. pag. 249—437.

1. Distinguitur expositio publica et expositio privata. — Expositio 699
quoad formam *publica* est expositio in ostensorio non velato ita facta, ut populo aditus ad ecclesiam, ubi expositum est Sanctissimum Sacramentum, pateat. — Expositio *privata est,* 1) quae fit in ciborio non extracto e tabernaculo, sed in vestibulum tabernaculi protracto; 2) etiam privata censeri debet expositio in ostensorio, quae fit in oratorio sive ecclesia regularium *januis clausis,* ita ut fidelibus aditus non pateat, sed summum uni alterive hospiti, qui quasi de familia specialiter admittitur. Cf. Bouix *de regular.* p. V. sect. 3 cap. 2 q. 13.

2. Ad expositionem *publicam* requiritur causa publica et approbatio sive licentia Episcopi: quod multoties etiam relate ad regulares S. R. C. declaravit atque praescripsit. Causa autem publica sine dubio est devotio specialis promovenda.

Expositio privata fieri potest solo consensu Superioris vel rectoris ecclesiae etiam ex causa privata, v. g. ad implorandam sanitatem homini privato aegrotanti; eamque expositionem privatam priore loco notatam ‚de consensu Episcopi‘, etiam affluente populo, sic fieri posse, ut tabernaculum aliquod speciatim ad hoc construatur et in altari pro populi devotione magis adaptato collocetur, S. R. C. declaravit: v. Gard. n. 3162. Verum ille Episcopi consensus *hîc* non intelligitur pro qualibet causa, sed solum quoad *modum* expositionis.

3. Expositioni *privatae* secundum Scavini t. 3 n. 121 not. ex *notificatione* Card. Morozzo 14. Aug. 1834 aequiparari potest expositio *in ostensorio velato,* i. e. tenui velo albo circumdato, ita ut sacra species oculis fidelium non appareat.

---

[1] Caerimoniale Episcoporum statuit, ut saltem semel in hebdomada sacrae species renoventur, aut etiam saepius, si necesse sit, idque variis legibus sancitum esse, Gardell. in *Gandaven.* 16. Dec. 1826 n. 4623 ad I. 1 et 2 adnotat. Nihilominus, excepta necessitate propter speciales circumstantias loci et tempestatis valde incongruae, et excepta lege fortasse in privilegio asservandae S. Eucharistiae in oratoriis et locis alioqui non permissis expresse adjuncta, — id enim aliquando fieri, certum est —: praxis communis et statuta dioecesana, imo etiam conciliorum provincialium Romae recognitorum id ad quatuordecim dies extendunt. — Notant autem Lacroix cum aliis, per integrum mensem sacras species non renovari, posse mortale peccatum facile evadere.

[2] S. Carolus Borromaeus praescripsit, ne assumerentur unquam hostiae, nisi quae infra tres hebdomadas essent confectae.

[3] Id igitur in renovatione ciborii ante omnia notandum est, ne unquam recenter consecratae hostiae aliis addantur: sic enim summum periculum inducitur, ne una alterave particula ultra modum diu servetur, atque ita lex renovandi sacras species illusoria evadat. Neque omitti debet diligens ciborii purificatio, ne videlicet minimae particulae residuae cum injuria Ss. Sacramenti corruptioni exponantur.

Articulus II.

De distributione SS. Eucharistiae.

§ 1.

Quibus competat jus distribuendi.

700 1. *Solus sacerdos est ordinarius minister S. Eucharistiae; diaconus ex delegatione in casu necessitatis minister est extraordinarius:* Trid. sess. 13 cap. 8.

2. *Ut in aliena ecclesia S. Eucharistiam distribuere sacerdoti liceat, requiritur licentia parochi vel rectoris:* verum cum licentia celebrandi etiam licentia S. Eucharistiam distribuendi dari censetur ex consuetudine hodie vigente, nisi forte in Communione paschali parochus exceptionem faciat. Cf. Müller lib. 3 § 94. — In sacello autem privatae domûs cum indulto Apostolico celebrandae Missae non datur eo ipso facultas distribuendae S. Eucharistiae: quare quid liceat aut ex indulto superaddito, aut ex licentia *Episcopi,* cujus est haec concedere, videri debet. V. Const. Ben. XIV. *„Magno"* § 15 edita 2. Jun. 1751.

3. *Regulares,* etsi *in suis ecclesiis et oratoriis S. Eucharistiam ministrare possunt fidelibus, excepto die Paschatis:* tamen non possunt sine venia Episcopi aut commissione parochi ad aegrotos S. Eucharistiam publice deferre, multo minus per modum Viatici S. Communionem praebere: quo sensu, cf. infra *de censuris.* Erga subditos suos autem plena facultate fruuntur.

701 4. *Communiter nemini, ne sacerdoti quidem extra Missam, licet sibi ipsi S. Communionem sumere, neque laico eam ad alterum deferre.* Verum secluso scandalo, sacerdoti infirmo licebit sibi S. Eucharistiam sumere, si aliter S. Communione privaretur. Imo nonnulli concedunt, id licere laico in casu necessitatis pro Viatico, vel Episcopum id in casu necessitatis pio laico committere posse, ut S. Eucharistiam moribundo afferat.

Cf. *Theol. mor.* n. 134—136.

§ 2.

De obligatione administrandae S. Eucharistiae.

702 Quae de illa obligatione dicenda sunt, facile eruuntur tum ex generali caritatis officio, tum ex speciali officio, quod vi muneris habent, qui curae animarum exercendae sunt praepositi. Quare haec pauca noto:

1. Parochus aliique curam animarum ex munere exercentes tenentur sive per se, sive per alterum administrare S. Eucharistiam subditis suis toties, quoties rationabiliter petunt: attamen raro petitioni non obsecundare, peccatum non est mortale.

2. Praecipue vero debent aegrotis Viaticum praebere, imo prospicere, ut illud sumere velint et sumant, idque pro conditione personarum et circumstantiarum etiam saepius: de qua gravissima obligatione visitandi infirmos eorumque saluti prospiciendi vide, quae infra in tractatu de sacramento Ordinis dicentur circa specialia officia parochi.

3. Debent etiam curare, ut pueri suo tempore ad sumendam S. Eucharistiam praeparentur et admittantur, idque in periculo mortis longe maturius, quam extra illud. De tempore admissionis cf. n. 711.

4. Reliqui sacerdotes (vel diaconi), atque ipsi parochi non-paro- 703
chianis, tenentur solum in casu necessitatis hoc officium praestare. Quae necessitas fere restringitur ad periculum mortis. Quod si imminet, quilibet sacerdos, qui praesto sit, debet aegroto succurrere, etsi Sacramento illo non indigeat tamquam medio salutis necessario: attamen si sacerdos grave damnum subire debet, alienus sacerdos multo facilius, quam parochus, excusatur.

§ 3.

De modo S. Eucharistiam ministrandi.

I. In danda sacra specie servanda est consuetudo Ecclesiae: quare 704
nunquam licet in latino ritu laico dare S. Eucharistiam sub specie vini. Sub specie panis danda non est hostia major, quali sacerdos in celebratione utitur, *neque plures* hostiae parvae (cf. decret. S. C. C. 12. Febr. 1679 ab Innoc. XI. expresse approbatum); licet tamen, si necessarium est, parvas hostias dividere, sed summum in duas vel tres partes, ne particula nimis parva evadat, aut etiam pro uno alterove communicaturo, qui aliter diutius exspectare deberet, ex hostia majore pro Missa consecrata particulam detrahere.

II. Caerimoniae concomitantes eae sunt, ut vestis sacra *sub gravi* requiratur, nisi urgentem necessitatem excipias, lumen sub veniali, preces sive antecedentes sive subsequentes sub veniali. S. Alph. n. 241. — In regionibus, ubi occulte deferri debet S. Eucharistia, saltem adhibeatur stola sub veste, et stola cum talari in cubiculo infirmi. Item, excepto casu necessitatis, observari debet, ut S. Eucharistiam distribuat sacerdos pollice et indice manûs dexterae; si vero illos digitos impeditos habet, praestat aliis uti, quam *populum,* aut *singulos moribundos* S. Communione privari.

III. *Tempus S. Eucharistiam fidelibus distribuendi est tempus Missae, i. e. tempus quo vel jure ordinario vel ex privilegio celebrare licet:* verum facilius admittitur latior hujus temporis extensio, quam in ipso Sacro faciendo. *Viatico vero administrando quodlibet tempus sive diei sive noctis aptum est;* imo etiam pro aliis aegrotis, qui alioquin jejuni manere non possent, aliquoties legitimum tempus anteverti debet. — Viatico excepto, non licet S. Eucharistiam distribuere Fer. VI. Parasceves, nec Sab. Sancto in Missa, sed post eam, vel, si ea est consuetudo, post *Gloriam.*

IV. In defectibus inter distributionem occurrentibus ipsae Rubricae 705
omnia necessaria praescribunt et minutim reverentiam S. Sacramento debitam servandam indicant. Praecipua exhibeo:

1. Defectus in ipsa distributione Sacrae Eucharistiae occurrens fere ille solus est, si sacra species decidit. Quod si factum est, sacra specie dilligenter collecta, locoque inspecto, ne qua particula remaneat, locus interim tegendus et postea abluendus est, aqua ablutionis in sacrarium injicienda: quae lex ablutionis, si agitur de sancta hostia, quae cecidit, non obligat sub gravi (S. Alph. n. 250), nisi forte cecidit in locum, qui alias pedibus calcatur.

2. Quare si sancta hostia cecidit in barbam viri, in sinum mulieris etc., paucis, quoties ablutio magnam admirationem excitaret, potius omittitur. S. Alph. l. c. cum aliis. Si igitur in sinum mulieris sancta hostia cecidit, mulier in sacristiam ducenda est, ut ipsa sacras species inquirat atque sacerdoti porrigat, atque manus suas, quae sacras species tetigerunt, ipsa lavet ibidem.

706 3. Si vero in Sacro celebrando gutta Sanguinis cecidit sive in linteum, sive in alium locum: Sanctissimus Sanguis, si fieri potest, sorbeatur, dein si usque ad lapidem lignumve penetravit, hae res nonnihil radi, rasura comburi, locus ter ablui debet; lintea similiaque tegumenta ter debent ablui, ablutio et cineres rasurae in sacrarium injiciendi sunt. In casu effusionis Ss. Sanguinis ejusve guttulae aliqua ablutio *sub gravi* fieri debet.

4. Facilius alius defectus occurrere potest, quando ciborium purificandum sacracque species renovandae sunt. Si igitur ciborium, quo sacerdos statim indiget, purificari *debet*, sacerdos vero ex oblivione purificationem calicis jam sumpsit: nihilominus post jejunium naturale sic fractum generatim licet parvas reliquias in ciborio inventas colligere et sumere, siquidem haec consumptio per modum unius cum Sancta Communione computatur; ita saltem, si aliter vix possibile sit reverentiam Sanctae Eucharistiae debitam servare atque tempus pro renovandis sacris speciebus et purificando ciborio praescriptum retinere. Cf. Tamb. *de methodo commun.* c. 2 n. 37 cum Henriquez et Fagund. Integram autem hostiam longe difficilius sumi licebit, ut quae etiam servari possit ad sequentem diem.

707 5. De aliis fragmentis sacrae speciei, si forte inveniuntur, haec statui possunt: 1) Nulla difficultas est, si quae fragmenta inveniuntur a sacerdote intra Missam, antequam ablutionem sumpsit; nam tum etiam post Sanctam Communionem diutissime distributam potest quaslibet particulas, etiam integras hostias, si opus sit, consumere.

2) Consulto quidem nunquam ita agere licet, ut non jejunus debeat sanctam particulam postea sumere: at si tandem post jejunium per ablutionem laesum invenit fragmenta ad idem sacrificium spectantia, ea sumere *debet*, si adhuc est ad altare, imo communius cum Ben. XIV. dicunt, idem faciendum, etsi sit in sacristia, sacris vestibus nondum exutus. Imo si sacerdos justam causam habet particulas pro fidelium Communione consecratas post suam Missam potius, quam intra illam distribuendi, idque non ex pyxide, sed ex patena: Ben. XIV. absolute concedit, ut etiamtum fragmenta sumantur.

3) Si fragmenta non sunt de eodem sacrificio, aut si de eodem quidem sacrificio sunt, sed inveniuntur a sacerdote sacris vestibus jam exuto: sumenda non sunt, nisi accedit periculum irreverentiae, sc. si post ultimam Missam inveniuntur et a) aut deest tabernaculum vel decens locus, ubi conserventur, b) aut particulae minutissimae sunt, quae sine periculo ne ad tabernaculum quidem deferri possint.

4) Quod de fragmentis dicitur, non potest intelligi de hostia integra, aut tali parte, quae commode usui esse potest in fidelium Communione: nam ut hanc a non jejuno sumi liceat, requiritur, ut post ultimam Missam desit locus decens, quo sacra hostia asservetur, et

simul sine graviore incommodo deferri ad alium locum non possit. Sub illis autem conditionibus etiam integra hostia post ablutionem sumenda est, ut ipsa Rubrica Missalis disponit. Cf. Ben. XIV. *de sacrif. Missae* l. 3. c. 17 n. 3—5.

Articulus III.

De susceptione SS. Eucharistiae.

Sumptio S. Eucharistiae distingui potest: materialis, sacramentalis, 708
spiritualis. *Materialis* sumptio vocatur, quae fit ita, ut sacramenti ratio pro sumente excludatur, vid. 1) si a non-baptizato S. Eucharistia sumitur, pro quo sacramentum esse aut sacramentalem gratiam producere non potest; 2) si suscipitur a baptizato (adulto) nullatenus voluntarie, ne interpretative quidem, ut si extra mortis periculum ab inscio, dormiente sumitur.

Sacramentalis sumptio est quaelibet S. Eucharistiae voluntaria sumptio ex parte hominis baptizati (si de infante agitur, sufficit voluntas aliena). Verum si voluntarie quidem sumitur, sed cum obstaculo recipiendae gratiae, sumptio dicitur *sacramentalis tantum;* si cum effectu gratiae sumitur, habetur sumptio *sacramentalis et spiritualis simul.*

Spiritualis sumptio, si a sacramentali sejungitur, est perceptio 709
ipsius fructûs Sacramenti extra realem S. Eucharistiae sumptionem: quae vocari potest ad analogiam aliorum sacramentorum, Communio in voto, seu desiderium Communionis[1].

[1] Hoc pium devotionis exercitium summopere commendandum est, quum fervorem augeat et innumeras gratias spirituales homini conciliet. Nam etsi ceteris paribus per realem sumptionem largior gratia datur: nihilominus quo majus desiderium fuit, eo abundantius ipsius Sacramenti gratia jam anticipatur, idque eo magis attendendum est, quod spiritualis Communio quovis tempore et frequenter peragi potest.

Peragitur autem aliquo modo, quoties homo christianus per affectum sese unit Christo, Deo incarnato et pro hominibus passo, atque ad arctiorem unionem cum Christo, tamquam vivum membrum adspirat, maxime per affectuum Divini Cordis imitationem. Ille enim ipse effectus est, quem Christus Dominus per Ss. Sacramentum in suis membris producere et in dies augere intendit: quare qui desiderio hunc effectum vult atque, divina gratia adspirante, in se effingere studet, rectissime dicitur Sanctam Eucharistiam in voto seu spiritualiter suscipere.

Si quis autem impensius huic devotionis exercitio indulgere vult, expressius in plures quosdam actus virtutum erga Ss. Eucharistiam ferri debet: 1) in actum vividae fidei in realem Christi praesentiam, 2) in piam memoriam et gratiarum actionem pro Dominica passione et hujus Ss. Sacramenti institutione, 3) in amorem et desiderium erga Christum Salvatorem, cui quam simillimus fieri et quam intime tamquam membrum capiti uniri cupiat, his in terris in humilitate, labore, dolore, cum summa fiducia postea sese Christo jungendi in gloria, 4) in dolorem de peccatis ex caritate oriundum, 5) in desiderium Christum Jesum in Ss. Eucharistia, si fieri possit, realiter suscipiendi.

Haec spiritualis Communionis praxis tum in pia visitatione Ss. Sacramenti, tum maxime tempore Missae, si realiter Communio sumi nequit, utilissime exercetur.

Hujus loci est agere de *sacramentali* sumptione atque ea, quae debeat simul esse spiritualis. Nam sacram Eucharistiam sacramentaliter tantum sumi, aut supponit defectum erroris, aut grave sacrilegium. Explicanda est tum obligatio S. Communionis, tum dispositio ad eam necessaria.

§ 1.

De obligatione sumendi S. Eucharistiam.

710 1. *S. Eucharistia ex jure divino adultis necessaria est necessitate praecepti et medii moraliter quodammodo necessarii aliquoties in vita et maxime circa ejus finem.* Joan. 6, 54. Cf. quae supra dicta sunt n. 689. — Qui circiter hebdomadam antequam mortis instans periculum appareat, S. Eucharistiam sumpsit, in ipso periculo non severe tenetur; *potest* autem denuo sumere etiam ille, qui periculo nondum apparente eodem die mane ex devotione sumpsit.

2. *Hoc praeceptum ab Ecclesia ita determinatum est, ut quotannis tempore paschali sumi debeat ab iis, qui ad annos discretionis pervenerint.* Later. IV. cap. 21: *„Omnis utriusque sexûs."*

711 3. *Anni autem discretionis paulo latius sumuntur relate ad S. Sacramentum, si excipias mortis periculum*, ita ut aliquot etiam annorum intervallum arbitratu Superiorum concedere liceat, antequam obligatio sumendae S^ae^ Eucharistiae statuatur. — In assignanda quidem aetate magna apparet discrepantia scriptorum. Quod antea ab auctoribus statuebatur, in regionibus septentrionalibus exspectari posse usque ad 14. aetatis annum, hoc nostra aetate generatim nimium est. Pro regula sumere licet aetatem ab anno 9° ad 12^m^ completum, ut ex compluribus Conciliis recentibus colligitur. Cf. *Theol. mor.* n. 147. — Verum in articulo mortis, ubi primum puer annos discretionis (6—7 annos) attigerit, parochus *debet* praemissa brevi instructione, non solum absolutionem et extremam unctionem (imo has etiam maturius), sed etiam S. Eucharistiam propter praeceptum divinum praebere; si usus rationis sufficiens est dubius, eam ministrare *licebit.*

4. Frequentior usus Sacrae Eucharistiae per se praeceptus non est. Nihilominus accidere potest, ut ille frequentior usus alicui poenitenti evadat moraliter necessarius. Sume hominem prava potissimum consuetudine vitiatum et debilitatum. Relate ad illum confessarii est, eum, si minus denegata absolutione, certe aliis modis inducere, ut, quantum possit, Sacramenta frequentare assuescat. Cf. *Theol. mor.* n. 148.

§ 2.

De dispositione animae ad sumendam S. Eucharistiam.

712 1. *Substantia dispositionis consistit in statu gratiae*, quae animam exornet: qui si adest, essentiale obstaculum effectui sacramenti non objicitur. Nam neque devotionis defectus, neque affectus venialis peccati *omnem* fructum intercipiunt, impediunt tamen multum.

2. *Si gratia sanctificans amissa fuit, per peccatorum confessionem atque sacramentalem absolutionem iterum acquiri debet*, antequam ad S. Eucharistiam aditus pateat: quodsi in casu necessitatis hoc impossibile est, perfecta contritio elici debet. Trid. sess. 13 cap. 7 *de SS. Euch.*

In dubio autem peccati gravis commissi, generatim quidem ex habituali hominis statu aliisque circumstantiis moralis quaedam certitudo sive pro sive contra eum colligitur, et sic obligatio *confitendi* urgenda aut neganda est. At si vere dubium manet, conatus quidem perfectae contritionis est adhibendus, imo suadenda confessio; de stricta confessionis obligatione non constat: *S. Alph.* n. 475.

Minus etiam constat de obligatione accusandi ante S. Communionem vel Missae celebrationem peccatum in confessione bona fide v. g. oblivione omissum: *S. Alph.* n. 275.

Ut alias sine confessione cum sola contritione perfecta liceat accedere, 713
requiritur et 1) *communicandi sive celebrandi necessitas et* 2) *defectus confessarii:* quae in homine laico raro omnino occurrunt, in sacerdote celebraturo facilius occurrere possunt.

De utroque nota: 1) *Copia confessarii* censetur deesse, non si consueti confessarii adeundi facultas deest, sed si *nullus* confessarius seu sacerdos approbatus adest vel adiri potest sine nimia difficultate extranea, ut est nimia confessarii distantia, poenitentis infirmitas, necessaria occupatio. Si vero speciales circumstantiae, quae difficultatem augeant, desint, distantia $1—1^1/_2$ leucae seu horae ratione solius longinquitatis censetur sufficiens, ut dicatur copia confessarii deesse, ex S. Alph. n. 264: quod tamen nunc pro ratione commodi, quod forte per viam ferream habetur, nonnihil mutari debet.

2) *Necessitas celebrandi* aderit: a) si sacerdos ratione officii sui celebrare tenetur, e. g. diebus Dominicis et festis, ut populus Missam audiat; b) ut moribundo provideatur de Viatico; c) si sine gravi infamiae periculo Sacrum omitti nequit: quod non imaginario timore, sed fundata prorsus ratione dijudicari debet; d) si, consecratione jam peracta vel incepta, Sacrum perfici debet. — Ratio non amittendi stipendium per se nullatenus justa est. — S. Alph. n. 259.

Necessitas in laico extraordinarie adesse potest: a) si jam in scamno communicantium coram aliis assidens peccati gravis recordatur; b) si Sacram Eucharistiam ab impiorum manibus sumendo salvare potest: quod tunc *debet,* praemissa, quantum rerum angustiae patiuntur, contritione; at si in illis *secundi* casus angustiis id sibi praestare non posse videretur, nihilominus cum attritionis conatu omnino *deberet* Sacram Eucharistiam sumere, propter statum gratiae certius non procuratum nullatenus peccaturus.

3) Sacerdoti, qui in necessitate, deficiente copia confessarii, cum 714
sola contritione Sacrum celebravit, Trid. l. c. cap. 7 imposuit praeceptum, ut „quam primum confiteatur". Illud *„quam primum"* scriptores intelligunt, ut fiat saltem infra triduum, modo copia confessarii tum habeatur. S. Alph. l. c. n. 266. Quodsi sacerdos ille statim facultatem confitendi — etsi ex inopinato adventu sacerdotis alieni — habet, si praevidet, se alias intra triduum occasionem non habiturum

esse, statim eodem die sub gravi tenetur confiteri, ut scite Card. de Lugo adnotat *de Eucharistia* disp. 14 n. 162 et 163. — Verum interim non licebit absque confessione re ipsa instituta secundo celebrare, nisi et *defectus confessarii* perdurat et *necessitas* celebrandi denuo urget.

Obligatio illa quam primum confitendi non est in laico, si quis forte ex necessitate non praemissa confessione Sacram Communionem sumpsit; neque censent scriptores, illum sacerdotem hac lege teneri, qui sine necessitate aut praesente copia confessarii, adeoque *sacrilege,* celebravit; siquidem aut legis verba eos non comprehendunt, aut finis legis nullatenus obtinetur. Vide S. Alphons. l. c. n. 266 q. V., Lugo l. c. n. 138 et 149 secundum „communem sententiam".

715 3. *Ut autem amplior fructus ex S. Communione hauriatur, requiritur et justus conatus ad actualem devotionem, et major animi puritas, majusque desiderium in christiana perfectione crescendi.* Et id quidem de praeparatione; post sumptionem autem valde inculcandum est, ut saltem $^1/_4$—$^1/_2$ horae impendatur in gratiarum actionem, in qua anima in amando et petendo se exerceat. Cf. *Theol. mor.* n. 155.

716 4. *De frequenti, vel etiam quotidiana Communione* habetur celebre illud edictum Innoc. XI. 12. Febr. 1679, quo cavetur, ne propter solum statum laicalem, conjugalem etc. aliquis a frequenti Communione arceatur, sed judicium de frequenti vel etiam quotidiano accessu ad sacram alimoniam confessariorum prudenti judicio esse relinquendum, qui secreta cordis explorantes ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem progressu id, quod prospiciat singulorum saluti, praescribere debeant.

Quare ne aut nimis faciles aut nimis difficiles confessarii sese exhibeant in Communione frequentiore concedenda vel suadenda, bonum est, ad quasdam breves regulas doctrinam probatissimorum ascetarum revocare.

Regula I. Communio *menstrua* nemini deneganda, sed omnibus suadenda est, qui singulis vicibus absolutione digni reperiantur et ad actualem devotionem sese disponant.

717 Regula II. Communio *hebdomadaria* ex duplici titulo diverso dari potest, i. e. aut ex respectu ad gradum habitualis perfectionis christianae, aut ex respectu ad specialem necessitatem spiritualem. Quare:

1. iis non est deneganda, qui habitualiter ita sint dispositi, ut se immunes servent a peccatis gravibus, et insuper conatum aliquem verum adhibeant contra peccata venialia. Igitur 1) lapsus in peccatum grave debet esse aliquid extraordinarium; 2) qui post plures vices nullum conatum contra venialia peccata serium ostendunt, privandi aliquando sunt hebdomadaria Communione;
2. iis non deneganda, sed suadenda est, qui non ita quidem extraordinarie tantum in peccatum mortale labantur, sed tentationibus gravibus laborent atque in frequentiore Communione remedium atque fortitudinem quaerant, modo tamen voluntatem firmam dimicandi contra tentationes concipiant.

718 Regula III. Communio *frequens non quotidiana,* sc. praeter dies Dominicos (et festos) una alterave vice in hebdomada, requirit

talem dispositionem, ut peccata venialia deliberata *consueverint non accidere* (igitur peccatum quodlibet deliberatum debet non esse aliquid, quod ordinarie fiat), et ut insuper serius *conatus adhibeatur ad exstirpandos pravos affectus etiam indeliberatos* cum desiderio proficiendi in virtutibus.

Aliis verbis dici potest: serius progressus in via, quam vocant purgativam, cum conatu in via illuminativa progrediendi.

Regula IV. Communio *quotidiana* requirit non solum conatum serium pugnandi contra pravos affectus, sed *exstirpationem pravorum affectuum* ex magna parte revera factam et insuper conatum omnino serium incumbendi in christianam perfectionem et imitationem Christi omnimodam idque maxime Christi pauperis, abjecti, patientis: paucis *serium progressum et fervens desiderium proficiendi* in dies magis in via illuminativa et unitiva.

Sacerdos quidem per se iisdem regulis tenetur; imo habet, quo se humiliet, nisi ad *majorem* etiam sanctitatem adspiret. Nihilominus propter publicum munus et communem Ecclesiae utilitatem a proprio irreverentiae peccato veniali longe facilius excusatur. Cf. *Theol. mor.* n. 157.

Scholion. Ad animae dispositionem revocari potest, quod non 719
pauci scriptores tractant de pollutione carnali, quatenus accessui ad Sacram Eucharistiam impedimento sit. Quid hac de re sit tenendum, paucis accipe ex doctrina Card. de Lugo (*de Euch.* disp. 15 sect. 1).

1. Pollutio sive ejusmodi carnalis voluptas, si mortaliter peccaminosa fuit, non solum qua peccatum impedit, quominus sine confessione Sacra Eucharistia sumi possit, sed peccatum venialis irreverentiae inducit, ita ut, etiam culpa per confessionem deleta, accedere non liceat, nisi aliqua necessitas excuset.

2. Imo voluptas illa voluntarie sine causa excusante quaesita in usu matrimonii de se licito quandam indecentiam affert, ita ut eodem die ad Sacram Communionem accedere, nulla alia causa id suadente, pro veniali irreverentia habeatur.

3. Orta involuntarie pollutio per se non impedit Sacram Communionem. Quando autem propter eam mentis perturbatio devotionem impedit, expedit Communionem differre: nisi forte alia ratio contrarium suadeat, v. g. difficultas differendi, diabolica illusio saepius excitata et frequentationi Sacrae Eucharistiae objecta.

4. Si vero carnalis illa voluptas involuntaria mentem parum perturbat, aut si aliae causae Sacram Communionem suadent, aut si agitur de usu matrimonii *debito*: nulla est ratio, ne consilii quidem, cur propter illam rem ab Eucharistia percipienda abstineatur.

§ 3.

De dispositione corporis ad sumendam Eucharistiam requisita.

Lege naturali postulatur, ut ad Ss. Sacramentum accedatur in de- 720
centi et mundo habitu: quantum conditio personae et circumstantiae permittunt.

Contra quod non solum incuria et negligentia peccari potest — quamquam plerumque venialiter tantum — sed etiam idque gravius, vana superfluitate et indecenti ornatu, si sc. muliebris ornatus castos oculos non potest non graviter offendere. Quod quando grave peccatum constituat, ita ut sacerdos sic accedentem debeat repellere, nonnihil ex circumstantiis regionum pendet, atque sumendum est ex iis, quae de VI. decalogi praecepto dicta sunt.

Fusiore quadam explicatione indiget lex positiva a prioribus saeculis christiani temporis jam vigens, quae ad sumendam Eucharistiam praescribit jejunium naturale.

721 1. *Lex jejunii naturalis ea est, ut non liceat ad S. Eucharistiam sumendam accedere illi, qui a media nocte aliquid, etsi minimum, cibi vel potûs sumpserit, exceptis periculose aegrotis:* S. Alph. n. 278 sqq. Hi aegroti non simpliciter quidem et pro mero libitu eximuntur a lege jejunii, attamen eximuntur, si ipsi commode exspectare nequeunt, vel si aliis incommodum est S. Eucharistiam magis tempestive afferri. — Per accidens lex jejunii cessat, si post laesum jejunium S. Communio vel Sacrum sine scandalo vel diffamatione omitti nequit; si populus Sacrum exspectans graviter commoveretur vel scandalum sumeret ob Missam non celebrandam; si S. Eucharistia sumptione a periculo injuriosae tractationis liberatur; probabiliter si post laesum jejunium necessitas pro moribundo S. Viaticum conficiendi adest.

Media vero nox, a qua computatur lex abstinendi a quolibet cibo vel potu, sumi potest sive secundum tempus verum, sive secundum tempus *regionis,* etiamsi propter conformitatem cum urbe principali a vero tempore multum discrepat.

722 2. Ut jejunium hoc laesum esse censeatur, id quod sumptum est, debet esse a) *ab extrinseco,* b) *per modum* cibi vel potûs, c) debet aliquatenus habere *rationem cibi seu potûs* vel medicinae, seu aliquo modo debet esse inter res pro homine consumptibiles.

Hinc jejunium non censetur laesum: si sanguis e dentibus fluens transmittitur in stomachum, imo neque si hoc fit cum reliquiis ciborum haerentibus inter dentes; si minima pars aquae alteriusve liquoris ex alio fine assumpti in os *cum saliva* permixta in stomachum praeter intentionem descendit, v. g. stilla aquae inter os abluendum (imo de hoc ipsa Rubrica Missalis videtur etiam laxius disponere); si per modum *aspirationis* vel *respirationis* granulum tabaci vel musca deglutiatur; si deglutiantur vitrum, capilli vel similes res, quae nullo modo digestionem subire vel alterari possunt.

723 3. Utut periculose aegrotantibus licet etiam non jejunis S. Eucharistiam sumere, idque non semel tantum, sed iteratis vicibus, quoties pro devotione expedierit: idem secundum sententiam practice tenendam non licet iis, qui morbo non periculoso quantumvis diuturno laborant atque ita a percipienda S. Eucharistia impediuntur; sed haec ratio est, cur aliquoties brevi post mediam noctem Ss. Sacramentum afferatur, aut dispensatio a S. Sede imploretur.

Periculum autem, quod etiam non jejuno dat jus S^ae Eucharistiae sumendae, pro circumstantiis *late* sumere licet: ita v. g. febris hectica quae post aliquot menses verisimiliter mortem inferet, causa est, cur

missionarius, qui interea non reversurus est, aegroto Viaticum det, ne ille omnino S^ā Eucharistiâ privetur.

4. Finis legis naturalis jejunii servandi duplex est, decentiae alter, 724
alter mysticae significationis. Quare legem quidem stricte non violat, qui a media nocte ab omni cibo et potu abstinet, etsi forte brevissimum spatium sit inter ultimam comestionem et S^ae Eucharistiae sumptionem: tamen nisi rationabilis quaedam causa adfuerit, contra finem legis agit, qui non a 6 fere horis ante S. Eucharistiam sumendam a cibo abstinet. — Similiter contra decentiam debitam est, sine rationabili causa post sumptum S. Sacramentum, antequam S. species probabiliter corruptae sint, comedere. — Mystica autem significatio est, ut S. Eucharistiam sumpturi fame spirituali accedere debeant. Hanc ergo in se fideles excitare studeant, idque eo magis necessarium est, quo magis copiosiores S^ae Eucharistiae fructus a meliore dispositione et devotione soleant dependere. Cf. de his omnibus *Theol. mor.* n. 159 sqq.

Sectio II.

De SS. Eucharistia, ut est Sacrificium.

Scriptores praeter Sect. I. laudatos nomino: Card. Bona, *rerum liturgic. lib. 2, de Sacrificio Missae tract. ascet.;* Schneider, *Manuale sacerdotum;* Gihr, *das heilige Messopfer.*

Caput I.

De natura et efficacia Ss. Missae sacrificii.

Articulus I.

De notione sacrificii Missae et de fructibus in se spectatis.

Praenotanda. 1. Sacrificium communi ratione, ut apud omnes 725
gentes consideratur, est signum reale publicum, quo per quandam destructionem sive physicam sive moralem homines profitentur summam Dei excellentiam ejusque supremum in vitam et mortem dominium. Quae momenta omnia in Missa continentur, scilicet 1) rei oblatae destructio, 2) publica seu auctoritativa institutio, 3) significatio et protestatio supremi Dei dominii. Sed id probare, theologorum dogmaticorum est.

2. Difficultas enim et opinionum diversitas est in explicanda destructione necessaria: aliqui insistunt in sola relatione ad sacrificium crucis, cujus SS. Missa est realis et mystica repraesentatio. At quamquam verissimum est, hanc relationem ad sacrificium crucis pertinere ad essentiam, tamen alii melius etiam aliquod absolutum indagare non omittunt, in quo essentialia sacrificii reperiantur: nimirum hanc verissime destructionem quandam esse, quod Christus Deus-homo in statu

tantae abjectionis sese collocet, ut in cibum et potum praeparetur: quod fit in ipsa consecratione.

Verum quia repraesentatio cruenti crucis sacrificii ad Missae essentiam spectat, non in una sola consecratione, sed in utraque consecratione simul essentia sacrificii perficitur. Cf. *Theol. mor.* n. 164 et 165.

726 3. Quamquam prima notio sacrificii in eo est, ut sit actus latriae, i. e. recognitio supremae divinae majestatis, tamen in nostro ordine naturae lapsae etiam protestationem continet, qua ob commissam culpam morte et destructione dignos nos profitemur. — Imo si quis integre fines sacrificii, quos etiam in diversis V. T^ti sacrificiis expressos habet, enumeret, habeat 1) latriam, 2) gratiarum actionem, 3) propitiationem, 4) beneficiorum impetrationem: quos fines SS. Missae sacrificium abundantissime implet.

4. Si vero *fructus* Missae nominamus, duos posteriores fines solemus respicere, quippe qui in hominum bonum et commodum tendant, avertendo mala et conciliando bona. — Impetratio enim gratiae divinae auxilia atque omnis generis bona complectitur, quae aeternae vitae utilia esse possint. Propitiatio Deum placatum reddit sive gratiam conversionis procurando, sive poenas spirituales vel temporales avertendo, sive debitum illarum poenarum, quas in purgatorio secus luendas habemus, diminuendo vel exstinguendo.

727 5. Quo plenius autem hi effectus et fructus intelligantur, necesse est, ut distinguamus diversos offerentes, quorum actio sacrificialis ad fructus illos producendos confert. Nam victima quidem una est, Christus Deus-homo sub speciebus eucharisticis sese abscondens: sed, qui offerunt, plures sunt, nimirum 1) Christus ipse ut sacerdos princeps, cujus mandato et delegatione homo, visibilis sacerdos vicarius, essentialem actum sacrificandi perficit; 2) ipse ille sacerdos celebrans; 3) Ecclesia seu corpus illud morale, Christi fidelium societas universa sub supremo capite visibili, Pontifice Romano, quae imprimis Christi mandatum exsequendum cupit et per Ecclesiae ministros suos fines apud Deum prosequitur; 4) fideles illi, qui Missae assistunt atque formaliter cum sacerdote coofferunt.

Omnes illi igitur cum Christo uniuntur, per Christum et cum Christo ad fructus illos propitiationis et impetrationis obtinendos conferunt: imo ut pia sive sacerdotis celebrantis sive fidelium assistentium actio etiam personaliter meritoria et satisfactoria est.

De cetero sane non omnes eodem modo concurrunt. Nam reliqui omnes dependenter a Christo Ejusque meritis in cruce completis id faciunt; dein, quatenus Missae celebratio sive participatio illorum actio est, fructus, qui sic profertur, ex opere operantis habetur vel augetur; at quatenus ex parte Christi effectus producitur, id ex opere operato fit, atque analogice etiam quatenus ex parte totius Ecclesiae impetratio et propitiatio promovetur. Uberiora vide in *Theol. mor.* n. 166 sqq.

728 6. Pro diverso autem gradu applicationis distinguitur 1) fructus generalis, 2) fructus specialis seu ministerialis, 3) fructus personalis seu specialissimus.

Fructus *sacerdotis personalis* est, qui pro sacerdote oritur eo ipso, quod ministerio suo digne fungitur. Nam nullum est dubium, quin

ipse non solum ratione Sacramenti Eucharistiae percepti, sed etiam ratione sacrificii oblati fructuum particeps fiat, idque ita, ut ipse eos, saltem quosdam, a se in alios transferre nullo modo possit.

Fructus specialis seu *ministerialis* est, quem sacerdos nomine Christi et Ecclesiae agens pro certo et determinato fine vel homine applicat. Sicut enim specialiter pro singulis necessitatibus oramus idque ceteris paribus cum majore efficacia, quam si solum generatim oraremus, ita etiam secundum catholicam doctrinam et praxim hoc sacrificium pro certis necessitatibus certisque hominibus speciatim offertur. Sacerdotis autem est, hanc applicationem facere.

Fructus *generalis* ille est, qui praeter singularem illam applica- 729
tionem Missae in communi producitur, quum sacerdos nomine Christi et Ecclesiae semper oret et offerat pro communi necessitate, pro toto coetu assistentium, pro tota Ecclesia, imo aliquatenus pro toto mundo. At illius generalis fructûs alii aliis abundantius participes fiunt non solum pro majore sua dispositione et capacitate, sed etiam pro majore conjunctione, quae inter eos et sacerdotem offerentem intercedit. In multis hominibus ille fructus propter obstacula prorsus frustrari potest. Diversi autem gradûs conjunctionem, quae diversam participationem inducit, hi fere habent: 1) ministrantes, 2) assistentes, 3) qui mente solum sese conjungunt, 4) reliqui fideles, qui in unione cum Ecclesia permanserunt, 5) alii, qui extra Ecclesiam sunt: imo, ne ii quidem omnes *eodem modo* in fructuum participationem admittuntur, siquidem Ecclesia quosdam a quadam directa participatione in poenam excludit.

Articulus II.

De Applicatione Missae.

§ 1.

Pro quibus Missa offerri possit.

Quaestio haec potissimum instituitur de fructu ministeriali. Nam 730
fructus personalis vix transfundi potest; a fructu generali vero *penitus* excluditur nullus eorum, qui in his terris adhuc vivunt: quamquam non omnes omnium fructuum capaces sunt.

Quare ut clarius loquar, fructum propitiationis dupliciter distinguam, 1) in fructum satisfactorium stricte sumptum ex opere operato oriundum, quatenus ipsa Ss. Missae oblatione certa pars poenarum temporalium in purgatorio luendarum remittitur; 2) in fructum propitiatorium latiore sensu intellectum, quo Deus placatur, ne in poenam peccati uberiores gratias deneget, neve alia mala immittat, utque peccatoribus gratiam conversionis contribuat; quibus dein additur 3) fructus impetrationis, quo positive diversi generis bona tum spiritualia, tum temporalia obtinentur.

Quibus praenotatis, haec statuenda sunt:

Missa offerri seu fructus applicari possunt pro omnibus, qui et re capaces sunt, neque ab Ecclesia positive excluduntur. Hinc:

1. *Fructum satisfactorium ex opere operato stricte sumpto percipere possunt soli justi baptizati, sive vivi, sive defuncti nondum beati;* dubium est, num illi defuncti, qui non-baptizati per actum perfectae caritatis justificati sint, participes fiant immediate illius fructûs annon.

2. *Fructum propitiatorium latiore sensu sumptum et fructum impetratorium percipere possunt per se omnes viatores omnesque defuncti in purgatorio exsistentes.*

731 3. *Prohibitio vero Ecclesiae hujusmodi est:*

1) *Relate ad excommunicatos vitandos* omnis applicatio proprie dicta prohibita est, atque ita fit, ut fructus ex parte Ecclesiae oriundus ne valide quidem excommunicato vitando applicari possit, siquidem Ecclesia sacerdotem non constituit suum ministrum et delegatum pro excommunicato vitando, nisi sumas publicam orationem in liturgia feriae VI. in Parasceve; ergo si sacerdos nihilominus conaretur in illa causa prohibita se ut publicum ministrum gerere, nihil ageret. Fructus vero ex parte Christi oriundos graviter quidem illicite, at si excommunicatus alioqui capax est (maxime si contritione cum Deo reconciliatus est), valide sacerdos applicat.

Quod ergo aliquando a scriptoribus dicitur, sacerdotem posse pro excommunicato vitando ut personam privatam Missam celebrare, id sane ambiguum est. Nam in celebratione semper personam publicam agit, et *licite id solum* pro excommunicato vitando offerre potest, quod in celebranda Missa agit ut *opus bonum privatum.*

2) *Relate ad omnes, qui absque unione externa cum Ecclesia defuncti sunt,* prohibetur omnis Missae celebratio seu applicatio publica: ut habes ex Brevi Greg. XVI. 16. Febr. 1842 ad Episcop. Augustanum, et 19. Julii ad Abbat. monast. Scheiern.

At si positiva signa sunt, defunctum bona fide atque in gratia divina ex hac vita migrasse, occulte seu privatim sacerdos pro tali defuncto in particulari celebrare posse videtur. Specialem vero Missam de Req., potissimum cum speciali oratione pro hoc defuncto, fieri, mihi non probatur, siquidem haec nunquam non publica actio est.

732 4. *Prohibitio Ecclesiae aut non est, aut non est totalis:*

1) relate *ad infideles viventes;*

2) relate *ad excommunicatos etiam publicos, sed toleratos, inter vivos exsistentes:* hinc neque pro iis, qui ad sectam acatholicam pertinent, totalis prohibitio est. Attamen pro heterodoxis vel schismaticis non licet accepto stipendio Missam celebrare nisi ad finem conversionis ad veram fidem; quum pro infidelibus id liceat ad quoslibet fines bonos. Ita S. Officium, approbante Greg. XVI., 19. Apr. 1837.

3) Relate ad catechumenos sive vivos, sive ante baptismum defunctos nulla est prohibitio, imo pro iis S. sacrificium offerre est pietatis matris Ecclesiae: quamquam non eodem modo omnium fructuum capaces sunt ac fideles baptizati.

373 5. Sancti consummati seu beati propriam utilitatem ex sacrificio Missae habere non possunt. At praeterquam quod Deo offertur in gratiarum actionem pro donis in Sanctos collatis, etiam per modum impetrationis offerri potest, ut alicujus Sancti cultus in terris augeatur:

ex quo honor quidam externus Sancto, fidelibus in terra degentibus utilitas oritur.

6. Igitur, ut supra notatum est, a participatione Missae penitus excluduntur soli damnati, i. e. tum ii qui cum peccato mortali personali defuncti poenas sensuum in gehenna patiuntur, tum ii qui cum solo peccato originali in limbo parvulorum reclusi sunt.

Id autem noto relate ad defunctos: licet de fide sit, in genere fideles defunctos juvari posse per Ss. Missae sacrificium, tamen modus et mensura, quibus juventur, nobis non ita sunt perspecta, et propterea Ecclesia multas Missas pro uno eodemque defuncto, idque etiam cum plenariae indulgentiae oblatione, celebrandas curare solet. Plura hac de re vide in *Theol. mor.* n. 179 sqq.

§ 2.

De valore Missae applicationis sive finito sive infinito.

I. Status quaestionis. 1. Sacrificium Missae *ratione victimae* 734
infiniti valoris esse, imo etiam quatenus moraliter *actio Christi* est, esse infinitae dignitatis, nemo est qui dubitet. At hoc suo modo etiam de sacramentis, praecipue S. Eucharistiae, valet.

2. Item apud omnes in confesso est, *effectum* Missae pro majore hominum dispositione augeri, atque ita indefinite quodammodo augeri posse: at hoc iterum de sacramentis quoque valet.

3. Sed id, quod quaeritur, potius est hoc, utrum Missa si offeratur pro pluribus, eundem fructum pro singulis ex illis pluribus habeat, ac si pro singulis singulae Missae celebrentur. Quod sane ne quaeri quidem potest relate ad eos fructus, qui ex parte Ecclesiae offerentis hauriuntur; hi enim, utpote finiti valoris, per participationem plurium pro singulis diminuuntur. Sed quaeritur de illis effectibus seu de illo fructu, qui respondet Missae ex opere operato, ut est actio Christi.

II. Solutio quaestionis. Sunt igitur qui id affirment; sed 735
verius negandum est saltem quoad fructum, qui stricte ex opere operato habetur, quoad fructum dico satisfactorium. Nam 1) quorsus Ecclesia alioqui celebrandas curaret Missas singulas pro singulis? quod vix non crudele esset. 2) Cur sacerdotes, acceptis stipendiis v. g. 10, non soleant semper omnes Missas pro omnibus dicere? quod utique licet, quia fructus Missae divisibilis est; sed id facere, ut singuli decuplo plus recipiant, sane redoleat aliquid singulare. 3) Neque videtur ratio esse, cur de effectu Missae aliter judicemus, quam de effectu sacramentorum, quae, utut sunt infinitae dignitatis et infinitum thesaurum meritorum Christi continent, nihilominus certo et finito modo spirituales fructus producunt.

Id tamen dari potest, impetrationem et propitiationem sensûs latioris non ita definitae mensurae esse; proin quum etiam indigeat misericordia vel liberalitate Dei libere interponenda, secundo vel tertio, pro quo Missa offeratur, fortasse plus proderit, quam primo: quamquam *ceteris paribus* etiam ille fructus uberior videtur esse in intentione *prima*, quam in secunda vel tertia.

736 Hinc jam apparet, quid sibi velit secunda vel tertia intentio in Missae applicatione. Haec enim 1) *conditionata* est sub conditione, si alter, pro quo Missam offero, fructu non indigeat aut incapax sit; 2) ratione impetrationis absoluta esse potest, ut vid. non obstante concessione ei facta, pro quo primarie Missam offero, velit Deus simul secundo vel tertio intuitu Missae sacrificii certam gratiam concedere.

Illa autem *conditionata* intentio applicandi fructum *satisfactionis* raro videtur ad libitum sacerdotis fieri posse, quando pro stipendio Missam dicere debet; quia intentio dantis stipendium sine dubio est, ut, si ille, cui primo intendit Missam applicare, incapax sit, sibi alterive sibi amico fructus totus quantus applicetur. Ita etiam recte sentit Scavini tom. 3 n. 196 cum Elbel, Sporer, Marchant, aliis. Quare neque tum plane libera manebit sacerdoti applicatio Missae, si debet ex stipendio applicare pro defuncto, qui re ipsa non amplius indiget: nam semper debet omnes Missae fructus applicare secundum intentionem dantis stipendium, aliis verbis, secundam intentionem formare debet „salva in omnem sensum intentione prima".

§ 3.

Quomodo applicatio Missae a sacerdote facienda sit.

737 1. Solus fructus ministerialis aliqua applicatione indiget; reliqui enim effectus per se ex Missa hauriuntur.

2. Sacerdotis autem celebrantis est, fructus ministerialis applicationem facere. Nam sicut Christus non personaliter consecrat et sacrificat, sed id agit per ministerium sacerdotis, sui deputati, ita etiam sacerdoti applicationem faciendam commisit.

3. Aliqua autem applicatio fieri debet, ne fructus, qui hauriri potest, effectu frustretur et in thesauro Ecclesiae relinquatur: at nisi alia applicatio facta sit, videtur plane habitualis sacerdotis intentio esse, ut *sibi* fructus, quotquot possint, applicentur.

4. Applicatio vero ita facienda est, ut saltem ante secundam consecrationem exstiterit, et ut circa certam personam certumve finem determinata exsistat: nam cum secunda consecratione sacrificii essentia completa est. — Sufficit autem intentio habitualis, ut certa et determinata applicatio rite facta esse censeatur; quare qui initio mensis pro omnibus mensis diebus distributionem fecit, etsi singulis diebus intentionis factae non recordetur, onera satis implevit. — Si vero aliquo die prioris intentionis *immemor* aliam intentionem fecit, satisfecit secundum praevalentem, alioqui secundum posteriorem; quod si dubium manet, nihil relinquitur, nisi ut postero die celebret pro illa intentione ex duabus, pro qua Deus sciat nondum esse satisfactum.

Dein notandum est, intentionem debere quidem in se determinatam esse, sed necesse non esse, ut determinatio sacerdoti sit cognita. Quare, si ex cumulo stipendiorum sumatur certa summa sacerdoti celebraturo danda, haec stipendia dari debent vel possunt secundum ordinem temporis, quo diversa stipendia sint collata — quem ordinem

Deus sane scit; vel dari etiam possunt ita, ut singulae Missae pro omnibus, qui stipendia dederint, celebrandae sint atque fructus pro rata dividendus.

Si vero intentio nullo modo determinata esset, sed mansisset confusa, applicatio, utpote invalida, repeti deberet.

Caput II.

De obligatione Ss. Missae sacrificium celebrandi.

Obligatio celebrandi oriri potest tum ex ipso sacerdotali munere, 738
tum ex addito munere pastorali, tum ex promissione praecipue si onerosa est ex stipendio accepto, tum ex obedientia religiosa. De singulis plura.

§ 1.

Obligatio celebrandi ratione sacerdotii.

1. Sententia practice omnino tenenda est, *sacerdotem, si possit, aliquoties sub gravi teneri ad celebrandum,* nisi forte Ecclesia in poenam facultatem subtraxerit: alioqui Christus et Ecclesia cum potestate etiam mandatum celebrandi imposuisse censentur.

2. *Ut peccatum mortale caveatur, sufficit, ut ter quaterve in anno diversis temporibus (praecipue si fiat in solemnioribus festis) Missa celebretur.* Nimirum quum hoc divinitus definitum non sit, nihil restat, nisi ut prudenti aestimatione definiatur. S. Alph. cum aliis dicit, tum grave peccatum committi, 1) si celebratio differatur ultra sex menses, 2) si in decursu anni ne ter quaterve quidem celebretur.

3. A culpa vero veniali vix immunem S. Alph. merito censet eum sacerdotem, qui, quum possit se ad quotidie celebrandum disponere, sine justa causa, tantum ob desidiam id omittat, nisi forte aliquoties (una die in hebdomada, ut putat S. Doctor) reverentiae servandae vel augendae causa abstineat. Nimia enim incuria est, Deum tanto honore, hominem tantis bonis privare, quae tanta facilitate praestari possunt ab eo, qui a Deo hoc speciale munus accepit. Nam recte S. Bonav. *de praeparatione ad Missam* c. 5 ait: „Sacerdos, qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio exsistentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates."

§ 2.

Obligatio celebrandi ratione officii curam animarum annexam habentis.

1. Post institutum S. Missae sacrificium pro Ecclesia ejusque mem- 739
bris, ii, qui officium pastorale susceperunt, lege naturali divino etiam *pro populo sacrificare* debent, quia haec est pars officii pastoralis; cf. Hebr. 5, 1: „Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, *ut offerat dona et*

sacrificia pro peccato"; Trid. sess. 23 *de ref.* cap. 1: „Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre etc.*"

2. At ex jure divino absoluto stricta obligatio solis Episcopis incumbit, ut pro suae ecclesiae populo sacrificium offerre debeant seu applicare; illi enim jure divino plenitudinem pastoralis officii habent.

3. Inferioris ordinis pastores, quorum munus ecclesiasticae institutionis est, et qui ab Ecclesia *ad partem* pastoralis officii assumpti sunt, eatenus tenentur pro populo sacrificium offerre, quatenus Ecclesia iis hanc partem concredidit: quare post officium cum hac cura institutum jure divino-naturali quidem etiam tenentur, at jure divino *hypothetico*, videlicet quamdiu Ecclesia hanc obligatoriam curam illis relinquat; sed S. Pontifex illis dispensationem concedere *potest*.

740 4. *De facto lege ab Ecclesia statuta, nisi dispensatio aliqua habeatur a S. Sede, omnes, qui in Episcopatu vel in parochia canonice erecta aut ex ordinario munere aut tamquam vices gerentes curam animarum exercent, debent diebus Dominicis et de praecepto festivis, etiam suppressis, secundum catalogum Urbani VIII, addito festo Immac. Concept. et festo Patroni loci, Missam pro populo applicare* (v. praecipue Bened. XIV. Const. *„Cum semper oblatas"* et Pii IX. Const. *„Amantissimi"* 3. Maji 1858).

5. Qui vero in regionibus aliis, ubi districtus canonice erecti non sunt, curam animarum exercent, ut missionarii, vel qui ex caritate, non ex munere sibi ad tempus collato parochiae derelictae assistunt, non tenentur ex justitia pro populo applicare; S. Congr. quum antea dixisset, „missionarios teneri ex caritate", id postea correxit, scilicet 23. Mart. 1863 C. de Prop. F. respondit: „Vitandam esse locutionem ‚teneri ex caritate', dicendum autem esse: *‚decere ex caritate'*, idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat."

6. Praelati regulares praecepto ecclesiastico qualibet die Dominica et festiva applicandi pro subditis non subjacent; at ex jure divino tenentur utique pro subditis orare et sacrificium offerre: verum et temporis et modi determinatio eorum tandem aestimationi relinquitur, quum neque quoties id facere debeant, neque, ipsumne ministerialem fructum prima intentione pro subditis applicare teneantur, extra controversiam sit.

7. Obligatio diebus festis affixa sic intelligitur: Etsi *solemnitas festi*, ut in Gallia, saepe transfertur in proximam Dominicam diem, sacerdotes tamen ipso die, quo officium festi habetur, applicare debent; si vero festum cum officio in Dominicam transfertur, ut in compluribus dioecesibus Germaniae fit quoad festum Assumptionis et Nativitatis B. V., sufficit, die Dominica celebrare et applicare. Cf. Const. Pii IX. *„Amantissimi"*.

741 8. *Celebrandi obligatio est* 1) *realis*, 2) *personalis*, 3) *localis*, 4) *pro ipsis diebus;* seu obligatio est: 1. ut die assignato, 2. in ecclesia parochiali, 3. ab ipso parocho 4. Missa celebretur; et si 1., 2., 3. observari non potuerit vel observatum non sit, nihilominus onus ad applicandam Missam maneat.

Hinc: a) si ipso die Missa celebrata non est, suppleri debet alio die. V. S. Alph. n. 326 et S. Congr. de Prop. Fide 11. Martii 1843. Concessit id unum Bened. XIV., ut Episcopus parocho valde pauperi

permittere possit, ut, si die Dominica majus stipendium pro Missa tunc dicenda offeratur, id faciat, suppleturus aliqua die intra hebdomadam.

b) Parochus ipse Missam pro populo dicere debet, sed non obligatur ad Sacrum solemne; quod alteri celebrandum committere potest. S. C. C. 25. Sept. 1847 et alias saepius ut 26. Jan. 1771, 18. Julii 1789.

c) Missa per se dici debet in ecclesia parochiali, ut populus interesse possit; at si propter speciale festum in aliquo sacello vel ecclesia filiali intra limites parochiae concursus populi fiat, licite ibi celebratur: V. *ibid.*

d) Si parochus impeditus est, quominus die obligato celebret, curare debet, ut per alterum in parochia Missa pro populo applicetur, etiam collato stipendio: quodsi tantum impeditur legitime, quominus *in parochia* celebret, potest *pro suo arbitrio* aut ipse in alio loco pro parochia sua applicare, aut alteri sacerdoti committere, ut in proprio loco pro parochia celebret, modo semper populus habeat in parochia opportunitatem audiendi Missam. Ita S. Congreg. 14. Dec. 1872, v. Acta S. Sedis vol. VII. pag. 191.

e) Obligatio realis semper *gravis* est; obligationem aliarum circumstantiarum *raro* omnino transgredi, non videtur grave peccatum; aliud dicendum, si saepius fit.

§ 3.

Obligatio celebrandi ratione stipendii accepti.

1. Quoniam ii, qui altari deserviunt, ex altari vivere debent vel 742
possunt, Ecclesia id semper pro licito habuit, ut stipendium accipi posset pro Missa, quae ex nullo alio titulo est debita, non tamen ut pretium, sed ex titulo sustentationis: quod a plurimis Concil. partic. recentibus pro axiomate statutum vides Coll. Lac. III. col. 497. 835; IV. 826; V. 851. Stipendium justum est lege episcopali vel consuetudine taxatum, ultra quod per se *exigi* nihil potest; potest accipi libere oblatum, vel etiam exigi si labor *extrinsecus* accedat.

2. Stipendio accepto seu stipendii contractu inito, sacerdos ex justitia tenetur Missam promissam applicare idque cum iis circumstantiis, quae a dante stipendium impositae sunt. Cf. Coll. Lac. III. col. 208, 498; V. col. 161 etc.

Praecipue curari debet, ut Missae dicantur tempestive, ita ut *diuturna dilatio pro gravi peccato habeatur*, nisi qui dedit stipendium in eam consentiat, vel S. Sedes facultatem diutius differendi concesserit. — Tempus igitur, intra quod oneribus Missarum manualium satisfaciendum esse Ecclesia non semel praescripsit, censetur spatium duorum mensium esse, si de singulis sacerdotibus agitur; si de communitate agitur, quibus Missae committantur, omnino brevius; item si de Missis pro recenter defunctis sermo est, multi dilationem unius mensis pro gravi habent; si vero pro urgente necessitate, dilatio paucorum dierum gravis esse potest. Cf. *Theol. mor.* n. 199, ubi etiam explicatur, cur S. Sedes diuturniorem dilationem *possit* concedere.

Aliae circumstantiae sunt locus celebrationis et Missae qualitas. 743
Ex quibus gravis esse potest circumstantia altaris privilegiati: nisi

sacerdos celebrans habuerit privilegium altaris personale. Quae circumstantia si neglecta fuerit, suppleri saltem debet applicatione alius indulgentiae plenariae; neque tamen antecedenter ita per se agere licebit.

Missae qualitas ex se gravis non habetur, nisi forte offensio dantis stipendium accedat, vel ab ea privilegium altaris, quod sacerdos lucrari debuerit, dependeat. — De cetero S. Sedes per se statuit, ut Missae postulatae in honorem alicujus Sancti satisfiat, quando celebrare illam liceat, solâ Missâ votivâ. Nihilominus ab offerente stipendium illa circumstantia sive expresse sive ex justa praesumptione condonari potest: quare tum sufficit sola intentio certum Sanctum honorandi, quod qualibet Missâ quoad substantiam fieri potest. Facilius etiam Missa diei applicari potest pro defunctis. *Theol. mor.* n. 201.

744 3. Sedulo observandae sunt *leges ecclesiasticae circa Missarum stipendia latae*, imprimis: 1) Ut omnino *tot dicantur Missae quot oblata sunt stipendia:* cf. severissimas leges Alex. VII. in thes. damn. 8 et 10, et Innoc. XII. Const. *„Nuper“*. Reducendi onera Missarum facultas per se Episcopis non competit. 2) *Ne pars stipendii accepti retineatur*, si cui alii sacerdoti celebratio committitur, nisi forte: a) excessus stipendii datus sit non ut pars stipendii, sed ut liberalis donatio intuitu ejus qui primo accepit; b) vel pro expensis quae ecclesia *pauper*, in qua Missae celebrentur, facere debeat, aliquid sed nihil ultra veras expensas detrahatur; c) vel et ille qui dedit stipendium, et ille qui tandem celebraturus illud accipit, pro utilitate certae causae piae in hanc diminutionem consentiant[1]. — Idem fere dic, si quis in favorem sacerdotum qui indigeant, suo labore suisque expensis Missarum stipendia colligenda et transmittenda curat; videlicet nihil obstat, quominus pro labore suo aliquam mercedem postulet. — 3. *Ne ulla cum Missarum stipendiis mercatura exerceatur:* de excommunicatione, quae in eam fertur, in *tract. de censuris* sermo erit. Cujus mercaturae species habetur etiam, quando bibliopolae stipendia colligunt, atque Missas celebrandas committunt sacerdotibus, quo ab ipsis facilius sibi libros emant. Verum si haec negotiandi ratio, cujus Missarum stipendia instrumentum quoddam sunt, abest, loco stipendii ipsius libros vel diaria dari, ut fit a sacerdotibus, qui sint moderatores libellorum periodicorum, non est prohibitum: ita S. Poenitent. 6. Oct. 1862. Cf. *Theol. mor.* n. 205.

§ 4.

Obligatio celebrandi ex obedientiâ imposita.

745 1. Celebrationem Missae praescribi posse ex justa causa, nemo est qui dubitet; applicationem ad certum finem imperari posse, nisi fiat ratione muneris vel beneficii ecclesiastici, aliqui negaverunt, eo

[1] Haec potissimum valent de Missis ex stipendio manuali celebrandis. Si enim de legatis vel fundationibus agitur, hae Missae aliquando prioribus acquiparari debent, aliquando non. Si sola exsistit fundatio ad certum numerum Missarum quotannis celebrandum, aequiparantur; si vero apparet, fundatorem voluisse certo cuidam sacerdoti favorem praestare, ille, si ipse impeditus est, Missam celebrandam alteri committere potest, collato stipendio communi, excessu sibi retento.

quod Ecclesia nequeat actus mere internos imperare. Sed quidquid est de illo axiomate, applicatio Missae complementum est celebrationis: quare imperari potest a legitimo Superiore ecclesiastico; verum *gravis* obligatio non debet facile supponi, atque in ipso illius potestatis usu ratio habenda est justitiae, ne sacerdoti, qui aliter stipendium accipere posset, damnum inferatur.

2. Omnes tamen concedunt, Superiorem regularium, qui pro monasterio stipendia accipere possit, posse plane obligationem *justitiae,* ideoque *gravem* in suos subditos transfundere, illis injungendo, ut oneri stipendiorum satisfaciant. Imo facilius etiam vi obedientiae religiosis injungi posse Missae applicationem seu intentionem, multis videtur. Tambur., *method. celebr.* l. 2 cap. 2 § 9. Cf. *Theol. mor.* n. 206 et 207.

Caput III.

De praeceptis liturgicis in celebranda Missa servandis.

Quum in omnibus sacris actionibus sacerdotalibus tum maxime in 746
sanctissima Missae celebrandae actione Ecclesia ad servandam et augendam devotionem et reverentiam summa cura adlaboravit.

Praecipua autem praecepta, quae tum in Rubricis tum in aliis SS. Pontificum et S. R. Congregationis decretis continentur, referuntur 1) ad externas circumstantias temporis et loci, 2) ad sacra utensilia pro Missae celebratione necessaria, 3) ad preces et ipsos ritus sacros in celebratione observandos.

Articulus I.

De tempore et loco celebrationis.

Circa tempus et locum celebrationis summatim haec statuuntur:

1. Licet quotidie semel sacerdoti celebrare, et communiter semel tantum. Excipitur festum Nativitatis Domini, quo in occidentali Ecclesia sacerdotibus singulis tres Missas dicere licet; et ex altera parte triduum sacrum majoris hebdomadae, in qua Fer. V. in Coena Domini et Sabbato Sancto solam Missam conventualem celebrari licet, Fer. VI. in Parasceve sola Missa praesanctificatorum permittitur, privatis Missis exclusis.

2. Ex necessitate datur aliquando facultas aliis diebus bis Missam celebrandi; aut in Coena Domini ex speciali ratione permittitur, ut a pluribus Missa dicatur.

3. Tempus celebrandae Missae est, nisi privilegium aliud quid permittit, ab aurora usque ad meridiem; exceptâ primâ Missâ in nocte Nativitatis Domini.

4. Tempus vero, quod in celebranda Missa privata impendendum est, ut cum decore et devotione fieri possit, spatio dimidiae horae circiter concluditur.

5. Pro loco celebrationis ex communis juris praescripto habenda sunt ecclesia vel publicum oratorium, benedicta vel consecrata non polluta neque exsecrata aut interdicta.

6. Episcopis ipsis atque variis religiosorum familiis latius extenditur facultas celebrandi: ut vero in domibus privatis privatisque oratoriis Missa dicatur, privilegium a S. Pontifice dandum requiritur; Episcopi id in sola necessitate pro singulis vicibus permittere possunt.

7. Locus proximus, ubi S. Missae sacrificium offeratur oportet, altare lapideum est, consecratum sive quoad totam mensam, sive quoad lapidem per modum portatilis altaris insertum.

Quae singula accuratius definienda sunt:

§ 1.

Plenior declaratio, in quibus diebus liceat vel non liceat celebrare.

747 1. Facultas celebrandi ter in festo Nativitatis D. N. est pro solis illis Missis, quae in Missali pro festo assignatae sunt. Quare: a) qui propter defectum visûs ex privilegio quotidie celebrat *de Beata*, non ter, sed semel tantum ita potest celebrare. b) Qui pro sacerdote post consecrationem inceptam deficiente supplere debeat ad sacrificium complendum, hanc Missam pro una ex tribus computare debet, ita ut praeter eam non jam tres, sed summum duas, aliis diebus nullam amplius celebrare possit.

748 2. Feriâ V. in Coena Domini generatim in iis tantum ecclesiis celebrare Missam licet, in quibus etiam reliquis diebus hebdomadae sanctae functiones liturgicae possunt peragi saltem secundum Rituale parvum Benedicti XIII.; verum in ecclesiis ruralibus, in quibus ne id quidem fieri potest, vel in quibus Fer. VI. in Parasceve et Sabb. Sancto functiones sacrae omnino omittuntur, per Episcopum singulis annis concedi potest, ut in Coena Domini Missa etiam sine cantu celebretur. — Imo praeter Missam solemnem in favorem infirmorum Episcopus permittere potest, ut in parochiis una Missa privata celebretur: quod idem aliquando aliis ex privilegio conceditur. — Si vero in Fer. V. in Coena D. incidat festum de praecepto, Episcopi est providere, ut in ecclesiis tot Missae celebrentur, quot sufficiant, ut populus possit satisfacere praecepto Ecclesiae. — Fer. VI. vel Sabbato Sancto si festum de praecepto inciderit quod non transferatur, abstinendum est ab operibus servilibus, obligatio assistendi Missae praesanctificatorum nulla est, assistendi Missae solemni in Sabbato cessat pro iis, qui nequeunt illi interesse.

3. Fer. VI. et Sabbato Sancto functiones ritu privato peragere non licet, sed saltem ad normam Ritualis parvi faciendae sunt. Pro Sabbato Sancto tamen facilius consuetudo id introduxerit, ut Missa parochialis, si cantata esse non potest, cum praecedentibus functionibus celebretur lecta; imo privilegio omnino speciali aliquando sacerdoti indulgetur, ut *Missa privata* incipiendo *„ab Ordine Missae“* celebretur.

4. Si forte propter necessitatem Viatici Feria VI. in Parasceve celebrandum sit, sumatur Missa, quae magis conveniat, i. e. Missa votiva *de Passione.*

§ 2.

De facultate binandi.

1. Generalis regula est, ut semel tantum in die sacerdoti celebrare 749
liceat. In trina vero celebratione festo Nativitatis Domini etiam pro singulis Missis stipendium accipi potest. *Theol. mor.* n. 212.

Speciale privilegium pro regnis Hispaniae et Lusitaniae atque regionibus subditis concessum vel extensum est a Benedicto XIV., quo sacerdotibus sive regularibus sive saecularibus liceat die commemorationis omnium defunctorum ter Missam celebrare pro defunctis: severa addita prohibitione accipiendi plus quam unum stipendium idque consuetum, saltem quatenus concessio ter celebrandi habeatur vi novae concessionis.

2. Aliae *causae Missam iterandi sunt solius necessitatis.* Ex ipso jure sine speciali facultate a S. Sede accepta licebit igitur bis Missam celebrare:

1) *pro necessitate Viatici,* si sacerdos post sumptam S. hostiam in sua Missa moneatur de moribundo, neque adsint particulae consecratae.

2) *Si unus sacerdos duas parochias canonice erectas administrandas habet, neque adest alius sacerdos qui celebrare possit,* parochus diebus Dominicis et festivis de praecepto in utroque loco celebrare potest vel debet: nisi forte ita provisum sit, ut populus utriusque parochiae facile in eandem ecclesiam convenire possit. Imo sic fieri potest, ut adsit obligatio etiam ter Missam celebrandi.

3) *Si populus ejusdem parochiae canonice erectae in eandem ecclesiam simul convenire non potest,* sive propter loci angustias, sive propter alias causas, licebit bis celebrari ab eodem sacerdote, quando secundus sacerdos non adest.

Causae autem illae 2) et 3) recognitioni Episcopi subjacent, ita ut illius sit definire, utrum secundus sacerdos requiri possit, an unus bina Missa satisfaciat. Verum si judicaverit, *bis ab eodem sacerdote* esse celebrandum, haec *in illis causis* non est facultas parocho personaliter data, sed facultas causae inhaerens: quapropter si pro parocho aegrotante vel impedito alius in repentino casu suppleturus est, ille sine nova facultate etiam bis celebrare potest.

3. Idem dici non potest, si agitur vel de districtibus qui non sunt 750
verae parochiae, vel de causis non iisdem, sed similibus tantum. Tum enim Episcopus ut facultatem binandi concedere possit, indiget speciali privilegio S^ae^ Sedis; atque facultas communicata censetur data esse personaliter parocho vel sacerdoti designato. — Quamquam aliquando clausulae apponuntur, quae gravem necessitatem postulent, vel Superiorum conscientiam onerent: haec, ut ipsa S. Sedes explicavit, nequaquam ita sumenda sunt, quasi non sufficeret causa similis vel etiam minor quam quae jure communi sufficit.

In omnibus autem casibus, quando pluries celebrandi facultas adest, exceptione in n. 1 tantum admissa, severe cavetur, ne pro secunda Missa liceat stipendium sumere vel obligationem ex justitia vel quasi-justitia

debitam pro extincta habere; solummodo si cum secunda Missa labor extrinsecus conjungitur, v. g. longioris itineris, hujus intuitu quaedam recompensatio admitti potest. *Theol. mor.* l. c.

§ 3.

De hora, qua celebrari liceat.

751 1. Tempus „ab aurora ad meridiem usque", quod a Rubrica pro legitimo praescribitur, sic intelligendum est, approbantibus S. Pontificibus Ben. XIII. et Clem. XII., ut Missa non sit *finienda* ante auroram, neque *incipienda* post meridiem: S. Alph. n. 341. Quare fere duabus horis ante ortum solis licet incipere; imo in regionibus septentrionalibus aurora diutius producitur, ita ut in hieme plus quam duabus horis ante ortum solis incipere liceat.

2. In nocte Nativitatis Domini non licet omnes tres Missas ante auroram dicere, ut ex diversis decretis contra multos veteres scriptores nunc decisum est: imo media nocte non est celebranda nisi una Missa, eaque solemnis, vel si lecta, quasi conventualis, assistente legitima consuetudine; Missae stricte privatae celebrari nondum possunt.

752 3. Generatim, qui sine privilegio multum, i. e. circiter per horam ante aut post tempus statutum celebrat, per se graviter peccat. Ex causa vero mediocriter gravi etiam id sine peccato fit, scilicet:

1) ratione Viatici conficiendi prorsus celebrari debebit, etiam statim post mediam noctem;

2) ubi mos rationabilis est opificibus praebendi opportunitatem pro Missa audienda, licebit, quando ad id necesse est, etiam hora tempus antevertere;

3) si die festivo solemne Sacrum protrahitur ultra meridiem hora et amplius, et consuevit post Sacrum solemne Missa privata celebrari, licebit etiam tum id facere pro populi commoditate, cujus notabilis pars aliter facile Missa careret;

4) si sacerdos die Dominico vel festo ex itinere impeditur, potest hora sive ante auroram, sive post meridiem celebrare;

5) ex rationabili causa in casu particulari Episcopus dispensationem concedere potest (— hinc etiam sibi ipsi id potest concedere), ut hora ante aut post legitimum tempus celebretur. Cf. de his omnibus S. Alph. n. 343 et 344.

In locis, ubi aurora per aliquod tempus non habetur, celebrari licet circa illud tempus, quo communiter homines ibi surgere solent.

753 4. Quod tandem ad obligationem recitandi ante Missam Matutini pertinet: id certum est, in privata recitatione hanc secundum leges hodie vigentes saltem non esse gravem obligationem; si ex mediocri ratione ille ordo non servatur, nullum est peccatum; alias aliquod veniale peccatum videtur esse. *Theol. mor.* n. 219.

5. Cum tempore et hora celebrationis nonnihil cohaeret tempus, quod in celebranda Missa impendendum sit. Igitur:

1) Communis sententia est, eum gravis peccati irreverentiae et scandali reum esse, qui Missam, etsi breviorem, infra quadrantem absolvat. S. Alph. l. 6 n. 400 cum Roncaglia, Quarti, aliis.

2) A culpa vero indecentis accelerationis per se immunis ille est, qui tempus $^1/_3$—$^1/_2$ horae in celebranda Missa impendat; nihilominus alii a veniali peccato vel potius a venialibus peccatis aut saltem a pluribus defectibus vix excusant eum, qui notabiliter infra semihoram Sacrum absolvat, nisi alia causa accedat; siquidem voluntarie impedimentum ponit, quominus eam devotionem per singulas Missae partes retineat, quae tantum mysterium summopere decet. Cf. Lacroix l. 6 p. 2 n. 559, Rogacci *de uno necessario* append. cap. 10 n. 13, ubi vitio vertitur, non explere semihoram in faciendo Sacro, etsi Missa sit ex brevioribus.

3) Notabiliter excedere semihoram, si coram populo celebratur, non convenit, ne adstantes taedio afficiantur.

4) Id vero praeterea notandum est, sacerdotem debere etiam notabile tempus in gratiarum actione impendere, tum ut aliis exemplo praeeat, tum ne sibi gratiarum coelestium copiam praecidat.

§ 4.

De loco celebrationis.

1. Loco sacro, in quo solo, excepto privilegio, celebrare licet, oppo- 754
nitur: locus profanus, interdictus, exsecratus, pollutus. *Profanum* voco, qui nullam consecrationem unquam accepit.

2. Quid sit locum, etsi alias sacrum, *interdicere,* ita ut non liceat amplius in eo celebrare, postea in tractatu de censuris explicabitur. Id unum addendum est, celebrationem prohiberi, sive vera censura interdicti lata fuerit, sive sola ‚cessatio a divinis' indicta.

3. Sacellum vel ecclesia sive benedicta sive consecrata *exsecrantur,* si parietes ex magna parte corruunt, ita ut suae destinationi apti non amplius sint, non vero si solum tectum corruit; item exsecrantur, si crustae interioris major pars simul ablata est, non vero, si paulatim restauratur, quamquam deinceps totaliter renovetur.

4. *Polluuntur* loca sacra 1) vulneratione seu sanguinis humani 755
effusione graviter injuriosa (sufficit tamen vulnus inflictum esse in ecclesia, etsi sanguis extra eam tandem effluat); 2) homicidio utcunque peracto, si modo letalis laesio in ecclesia ex parte laesi facta est; 3) effusione humani seminis, i. e. actu luxuriae completo, qui graviter peccaminosus sit sive ratione luxuriae, sive ratione sacrilegii, sive a viro sive a femina commissus; 4) sepultura hominis non baptizati (excipiuntur catechumeni et proles parentis baptizati) vel hominis excommunicati vitandi. Omnia illa facta debent esse notoria, antequam locus sacer censeatur pollutus.

5. Pollutâ ecclesiâ, polluta sunt loca annexa, sed non vice versa: quare pollutâ sacristiâ, ecclesiae tecto etc., ecclesia sacrata manet. — Pollutio aufertur *reconciliatione* sive solemni, sive minus solemni, prout locus *consecratus* erat, aut solum benedictus.

6. Locus stricte sacer non est sacellum privatum: in eo autem non licet celebrare, nisi ex concessione Sedis Apostolicae. Ex causa subitanea urgente etiam Episcopus concedere potest, ut in loco non sacro celebretur; imo fieri potest, ut id liceat sine Episcopo per epieikeiam.

§ 5.

De altari ejusque consecratione et exsecratione.

756 1. Distinguitur inter altare portatile et fixum. At haec, quae fit inter altaria distinctio, non in omnibus legibus eadem est. Si respicitur lex, quae prohibet usum altaris portatilis aut quae pro certi privilegii usu requirit qualitatem altaris fixi: altare portatile id tantum intelligitur, quod secundum totam structuram facile de loco in locum movetur, vel pro solo tempore celebrationis, maxime in loco per se profano, exstruitur; fixum vel ad modum altaris fixi illud altare dicitur, quod aut nullatenus de loco in locum moveri potest, aut difficulter tantum, atque ita saltem constructum est, ut mensa parieti conjuncta vel saltem ad eum inclinata sit et quodammodo cum illo cohaereat. sive tota mensa lapidea est consecrata, sive solum lapis consecratus mensae ligneae insertus est.

Si vero altare portatile et fixum distinguitur quoad eorum consecrationem et exsecrationem, altare fixum id solum dicitur, cujus mensa tota consecrata est atque cum stipite cohaeret, portatile omne id intelligitur, quod in solo lapide consecrato consistit, qui mensae inseri vel imponi potest atque adeo ab una mensa ad alteram transferri.

757 2. Exsecratur igitur altare quodlibet: 1) *defectu aut spoliatione reliquiarum;* 2) *laesione seu fractione sepulchri,* i. e. loculi, ubi reliquiae reconduntur; 3) *fractione sigilli,* i. e. illius lapilli seu operculi, quo sepulchrum reliquiarum tegitur; aut etiam sola hujus sepulchri apertione, quae fit removendo operculum, etsi statim reponitur et clauditur; 4) *qualibet fractura enormi,* quae a multis censetur adesse, si una ex crucibus lateralibus fracta et separata sit a reliquo lapide. — Altare *fixum* etiam 5) exsecratur, *si mensa a stipite separatur,* quia amittit formam sub qua consecratum est.

NB. Ut autem consecratio etiam altaris portatilis rite fiat, sepulchrum reliquiarum in superiore altaris parte excavari, non in parte transversali sive in latere sive in fronte exsistere debet, atque lapillo, non solum calce, caemento aliave materia claudi. Totum altare debet ex integro lapide consistere eoque duro et compacto. Ita S. R. C. saepius, inter alia 24. Nov. 1885. Cf. *Theol. mor.* n. 225 et 226.

Articulus II.

Sacra utensilia ad Missae celebrationem necessaria.

758 Ea, quibus ad celebrandam Missam sacerdos indiget, revocantur ad tria genera: vasa sacra, ornatum sacerdotis, ornatum altaris.

I. Vasa sacra, quae Ss. Sacramentum immediate continere debent vel in ejus usu necessaria sunt, requiruntur:

1. *calix cum patenâ consecrata,* idque sub gravi: materia cuppae calicis et patenae deberet esse argentum deauratum, vel *certae mixturae* aluminium;

2. *corporale ex lino vel cannabe,* legitime benedictum, etiam sub gravi;

3. *palla* benedicta et *purificatorium* ex lino vel cannabe confecta: in parte superiore pallae permittuntur texturae ex filo serico vel aureo, non tamen cranium vel simile quid repraesentantes.

4. *velum calicis et bursa* pro corporali (ex serico confecta secundum modum paramentorum sacerdotalium): *gravis* vero obligatio, modo irreverentia caveatur, pro rebus n. 3 et 4 notatis non potest ostendi;

5. *ampullae vini et aquae,* et *manutergium:* in quibus gravis obligatio solum respicit materiam aptam pro sacrificio et usu sacerdotis praebendam: optime sumuntur ampullae vitreae, licet adhibere argenteas.

II. Ornatum sacerdotis necessarium constituunt *paramenta* 759
sacra ab Episcopo vel ab eo, qui facultatem habet, benedicta, sc.: *Amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula:* quorum aliquod si omittitur, aut benedictum non est, peccatur; gravis vero materia non in qualibet sacra veste habetur, sed in alba, casula, atque etiam in stola saltem cum manipulo simul, ita ut cum casula vel alba non-benedicta ex sola necessitate *valde gravi* celebrare liceat.

Casula cum stola et manipulo sit, quantum fieri potest, serica vel etiam ex pretiosiore materia; saltem subserica vel tramoserica neque ex materia communi et vili, quae communi hominum usui inservit. Imo S. R. C. compluries reprobavit gossypium, linum, lanam; neque ejusmodi casulas admitti vult, nisi in pauperiore ecclesia, idque dum consumantur. — Alba et humerale debent esse ex lino vel cannabe ex decr. univ. 18. Maji 1819, quo tamen permittebantur haec indumenta ex gossypio, donec essent consumpta. — Cingulum potest esse ex lino, lana, serico, idque vel albi coloris vel coloris paramentorum.

Color paramentorum praescriptus quidem est, at non sub gravi ex se, sed summum per accidens, v. g. propter scandalum; reprobatur autem color flavus vel caeruleus, sed paramenta auro contexta admittuntur pro quolibet colore excepto violaceo et nigro.

III. Altare instrui debet: 760

1. *mappa triplici benedicta,* ita tamen ut, modo aliqua mappa habeatur, *gravis* defectus non adsit (S. Alph. n. 375 dub. 1. 2): per se debet esse confecta ex lino vel cannabe;

2. *missali* cum cussino (vel ex consuetudine cum pulpito), idque per se sub gravi: si quis autem omnia ex memoria recitare potest sine periculo errandi, pro una alterave vice compluribus scriptoribus probatur, licere ex sola etiam devotione sine missali celebrare, ita ut alius liber ad evitandam populi admirationem in altari ponatur;

3. *tabella* in medio altaris, secretarium appellata; quae, etsi in rubricis non enumeratur, ex sola decentia videtur requiri: S. Alph. n. 390 —; similiter dicendum videtur de pallio seu antependio altaris, quod consuetudo non ubique servat, modo aliter decentiae altaris satis provisum sit;

4. *candelabris cum duobus cereis accensis,* ita ut *omnis* luminis defectus omnino gravis materia sit;

5. cruce seu potius *crucifixo* in medio candelabrorum, quamquam sub veniali tantum: si SS. Sacramentum expositum est in altari, crucifixus potest apponi vel non apponi pro consuetudine diversa.

6. *campanula,* qua signum detur — etsi per se sub veniali tantum.

761 IV. In sacris utensilibus et paramentis, postquam rite perfecta et benedicta vel consecrata sunt, gravis defectus superveniens oriri potest tum propter exsecrationem, tum propter munditiae neglectum.

1. De neglecta munditia quidem teneri debet, grave peccatum esse, nisi forte necessitas in aliquibus rebus excuset, celebrare: 1) cum *paramentis notabiliter immundis vel laceris,* 2) cum *corporali valde immundo:* at notant scriptores, tantam immunditiam non facile occurrere.

Veniale peccatum idque ex gravioribus longe facilius committi posse ex tali neglectu, non est, quod moneam; idque valet praecipue pro iis, quibus *cura* harum rerum incumbit: nam alii inferiores vel alieni facilius excusantur, maxime si monitionem fieri non juvat vel non expedit.

762 2. Exsecrantur vasa vel paramenta, *si amittunt formam suam,* sub qua benedicta sive consecrata sunt, vel si facta sunt *inepta ad usum,* ad quem destinantur, vel si in iis reficiendis *magna pars nova* eâdem vice assuitur.

Hinc: calix exsecratur foramine vel fissura etiam tenuissima in fundo, contusione magna, fractione cuppae a pede (non sola separatione si, ut tornatilis, sine laesione separari potest), nova deauratione (non ita, si auratura ex magna parte detrita est). — Corporale exsecratur notabili laceratione, ita ut sacram hostiam cum calice convenienter continere non amplius possit. — Cingulum, si ita rumpitur, ut cingere hominem nullatenus possit; alioqui licebit commodi causa partem assuere sine nova benedictione. — Alba, si manica separatur, vel si magna pars ab ea dirumpitur. — Similiter casula, si notabili ruptione inepta evasit; alioqui sufficit, ut reficiatur, etsi forte *paulatim* ex majore parte renovetur, si modo in reparatione non dissolvitur.

3. Sacra paramenta et utensilia etsi non consecrentur, benedicendi facultas *sacerdotibus* per se non competit; possunt autem Episcopi hanc facultatem saepe delegare. — Praelati regularium ea benedicere possunt, sed pro suis ecclesiis tantum. Inter sacra utensilia sic benedicenda probabiliter etiam collocanda est pyxis seu ciborium, et lunula ostensorii; atque extra necessitatem practice id tenendum est: at quum multorum opinio sit (Suarez, Lugo, Vasquez, Sylvius, Sporer), quam S. Alph. (l. c. n. 385) dicit „non videri improbabilem", benedictionem non ex praecepto, sed ex decentia tantum requiri, aliquando mitius agere licet.

763 4. Pauca notanda supersunt de cultu sacris vasis debito.

1) Vasa sacra, quum sacras species continent, citra peccatum mortale tangi non possunt ab eo, qui non sit saltem in ordine diaconatûs constitutus.

2) Vasa sacra, dum S. Eucharistiam non continent, extra necessitatem a laicis tangi, veniale peccatum est: sc. calicem, patenam, ciborium, lunulam ostensorii, corporale, pallam, purificatorium post usum sacrum nondum lota.

3) Permittitur tactus harum rerum sacrarum tum ex consuetudine tum ex privilegiis: a) omnibus clericis tonsuratis, b) laicis regularibus sacristis, c) monialibus sacristis: S. Alph. n. 382.

4) De lotione fere idem dicendum est ac de tactu, exclusis tamen monialibus atque laicis sacristis: imo decentius fit a personis in ordine *sacro*, saltem subdiaconatûs, constitutis; quamquam probabile est, etiam primam lotionem a solo clerico tonsurato fieri posse (S. Alph. n. 287); a laico vero eam fieri, nisi justa causa excuset, *veniale peccatum* est (ib.). — Aqua lotionis in sacrarium mittenda est: quodsi in alium locum decentem effundatur, peccatum quidem est, nisi necessitas excuset, at ex se veniale peccatum tantum. Cf. *Theol. mor.* n. 227—237.

Articulus III.

Praescripta ipsum ritum sacrum celebrandi spectantia.

§ 1.

De rubricis generatim.

1. Rubricae, quae disponunt circa ea, quae ante vel post Missam 764
agenda sint, probabiliter non pro praeceptivis, sed pro directivis tantum haberi possunt, i. e. quarum violatio per se veri nominis peccatum non sit, minorem tamen convenientiam redoleat, nisi forte justa causa aliter agendi adsit, aut rubrica aequivalenter impleatur. S. Alph. n. 399.

2. Rubricae, quae res *intra Missam* servandas disponunt, generatim *praeceptivae* sunt, idque graviter aut leviter pro subjecta materia; attamen multi scriptores inter has ipsas rubricas quasdam esse censent, quae mere directivae sint, ut ex infra dicendis patebit.

3. Quod de rubricis dictum est, etiam observari potest de S. R. C. responsis: ex quibus, nisi praecipiendi seu sub peccato obligandi vis exprimatur, strictam obligationem non semper eruere licet.

4. Utrum vero defectus, qui sive in actionibus sive in precibus 765
praescriptis committatur, gravis sit an levis, multum pendet ab eo,

1) utrum *reverentia S. Sacramento ex sese*, an ex lege solum humana debita laesa sit;

2) utrum defectus occurrat in *nobiliore Missae parte*, vel in ea re, quam Ecclesia propter mysticam significationem maximi aestimet, an in alia;

3) utrum defectus *materialiter notabilis* seu in magna quantitate sit, necne.

Ceterum opinio communis DD. respicienda est.

Quare: 1) Orationes, quae pro praeparatione ad Missam vel gratiarum actione in missali et breviario habentur, non inferunt *praeceptum*, siquidem *pro opportunitate sacerdotis* dicendae dicuntur: modo alia ratione fiat praeparatio et gratiarum actio.

2) Orationes in recessu ab altari dicendae, i. e. „Benedicite“ cum precibus, verene ex praecepto imponantur, non constat: quare qui alias preces devotius recitat, hac commutatione non peccat. — Preces, quae in induendis vestibus dicendae sunt, communius habentur pro praeceptis sub veniali; quamquam etiam de hoc alii, ut Suarez, dubitant.

Intra Missam stricte sumptam, quae praescripta a rubricis inveniuntur, referri possunt sive ad qualitatem Missae, sive ad singulas partes et orationes recitandas, sive ad rituales actiones exercendas.

§ 2.

De qualitate Missae particularia quaedam.

766 1. Qualitas Missae de praecepto quidem est, at non de gravi, secluso scandalo et contemptu, vel nisi frequenter diebus vetitis Missae diei non convenientes dicantur. Cf. S. Alph. n. 420 cum innumeris auctoribus.

2. Missa in aliena ecclesia quaenam dicenda sit, generatim habeto ex hac regula: *Color alienae ecclesiae* ante omnia servandus est (intellige tamen, ritum semidupl. et inferiorem dici non habere colorem), quare si ille aliter servari nequit, etiam Missa ejus ecclesiae dicenda est: si vero color non obstat, dicenda *Missa celebrantis,* i. e. cum illius officio divino conveniens, nisi forte in aliena ecclesia concursus est populi cum solemnitate in foro.

NB. 1. Id quidem valet de Missis privatis; si vero cantatur Missa diebus Dominicis etc., haec prorsus fieri debet secundum calendarium ecclesiae.

NB. 2. Si celebrans officium de „Beato" habet, illius Missam sine *speciali* privilegio in aliena ecclesia dicere nequit, etsi color ecclesiae non obstat.

NB. 3. Si celebratur in sacellis privatis — idque etiam intellige de sacellis monialium — celebrans *suum* calendarium prorsus sequi debet: imo etiamsi officium est de *Beato,* cujus Missam in aliena ecclesia dicere non potest.

3. Missa, quae dicitur in aliena ecclesia, etsi ab officio celebrantis discrepet et ecclesiae, in qua celebratur, conformetur, tamen sumi non licet ex missali illi ecclesiae speciali, sed ex missali Romano atque secundum illius normam et ritum. Excipiuntur tamen quaedam missalia regularium, quibus indultum est ut uti liceat omnibus, qui in illorum regularium ecclesiis celebrant: quod cognosci debet ex ipsis privilegiis locorum, ubi celebretur.

§ 3.

De singulis Missae partibus atque orationibus.

767 Quamquam summâ curâ omnia secundum rubricarum normam recitanda sunt: tamen non omnis omissio materiam gravis peccati constituit. Pro dijudicanda gravitate maxime videndum est 1) in quanam Missae parte verseris, utrum in Canone, an in partibus accessoriis; 2) utrum quod omittitur, sit pars quaedam, quae in qualibet Missa occurrat, necne. Nam partem seu orationem, quae in qualibet Missa occurrat, omittere multo facilius grave peccatum est, quam partes extraordinarias; dein in Canone aliquam orationem omittere multo facilius gravis materia est, quam extra Canonem.

Quare communiter sic statuitur — (Vide S. Alph. n. 403 etc.):

1. Quamlibet orationem Canonis in se aliquo modo completam omittere, aut notabiliter mutare, ita ut sensus plane desit, grave pec-

catum est. — Utrum autem solum „Agnus Dei" vel similia omittere, grave peccatum ratione materiae sit, vere non videtur satis constare.

S. Alph. etiam pro gravi habet, omittere circiter decem nomina Sanctorum in Canone.

2. Omittere purificationem patenae (nisi forte inspexeris et nullam adesse sacram particulam videris), vel calicis, certe peccatum grave est propter gravem irreverentiam SS. Sacramento illatam.

3. Grave etiam est, omittere fractionem et commixtionem hostiae cum S. Sanguine, quia haec caerimonia semper pro gravissima habita est propter mysticas significationes, imo gravior quam infusio modicae aquae in vinum consecrandum.

4. Extra Canonem omittere alias partes integras, quae in omni 768
Missa occurrant, etiam pro gravi habetur, ut:

omissio confessionis cum omnibus, quae in principio Missae occurrunt;

omissio epistolae cum sequentibus tractu, graduali etc.;

omissio evangelii — non vero omissio ultimi evangelii; neque censetur gravis omissio, si in Sacro solemni sacerdos epistolam et evangelium, quae cantantur a subdiacono et diacono, privatim non recitet, siquidem potior pars hujus Missae est epistola et evangelium cantatum: at ne veniale quidem peccatum esse, non satis probabiliter dicitur, quum rubrica et decreta S. R. C. haec omnia a sacerdote submissa voce dici jubeant: S. Alph. n. 410 dub. 4;

omissio collectarum, quae sunt ipsius Missae propriae, aut etiam duas i. e. primam orationem cum ejus secreta sive cum ejus postcommunione omittere: omissio autem orationum, quae solum *commemorantur* vel ut *imperatae* dicuntur, non est *gravis,* licet materia omissa longe amplior sit;

omissio *complurium precum,* quae ab offertorio usque ad Canonem secrete dicuntur, gravis est, non tamen singularum omissio.

5. E contrario *veniale* peccatum est, omittere Gloria, Credo, spe- 769
cialia illa quae occurrunt festivis temporibus in Canone; neque censetur grave unam alteramve epistolam supperadditam vel secundum Sporer omnes supernumerarias in Missis Quatuor-temporum omittere, aut sequentias certorum festorum. — At a gravi peccato excusandus non videtur, qui in hebdomada sacra Passionem omittat, recitando solam ultimam partem, quae pro evangelio sumitur: quare si quis forte justo impedimento detineatur, quominus Missam tam longam dicere possit, devotione tamen aliave causa ad celebrandum impellatur, praestet aliam Missam e. g. votivam de Passione sumere, quam ex Missa illorum dierum Passionis historiam omittere. Nam illam votivam Missam sumere per se quidem veniale peccatum est contra rubricas, at ex causa mediocriter gravi licebit sine ulla culpa id facere.

6. Addere aliquid in Missa ex mente inducendi novum ritum, 770
grave peccatum est.

7. Ex importuna devotione aliquid addere, quod a forma Missae non discrepet, ut aliquam collectam, peccatum veniale non excedit. Imo S. Alph. putat n. 411, ex aliqua causa licere unam collectam in Missa addere, attamen satius esse rubricam servare.

8. In Sacro solemni, dum a choro cantatur, a ministris alias preces, e. g. officium divinum recitari, S. R. C. reprobat: at si est urgens ratio id faciendi, non videtur ullum peccatum esse. (In *Montis Regalis* 20. Martii 1869 ad XI: „Non esse interloquendum.“ Gard. n. 5430.)

9. Devotionis causa per modum suspirii oratiunculam jaculatoriam a sacerdote celebrante interponi, quando propter actiones a prosequendis liturgicis precibus impediatur — ut in elevatione, post sacrarum specierum sumptionem, vel dum finem cantûs exspectat — minus quidem convenire videtur, ita ut praestet, sola mente affectus divinos ciere, attamen pro peccato etiam veniali tantum id ducere non possumus.

10. Si quis ex errore et oblivione aliquid omisit: quando ex ipsa materia leve est, ne repetendo resumat; si aliquid notabile est, atque sine offensione aliorum — uti fit, quando ex iis, quae secreto recitantur, aliquid omisit, — omissa resumere potest, idque pro gravitate materiae tunc facere debet, quando *brevi* post, seu post pauca verba, errorem advertit.

Quare Gloria, Credo et similia ne unquam sacerdos resumat, neque epistolam, evangelium etc., si unum pro altero sumpserit, nisi forte ab initio falsae epistolae etc. errorem animadvertat.

771 11. Illa, quae alta voce recitanda praescribuntur, voce omnino submissa recitare per modum *secretae* recitationis: a peccato veniali non excusatur, nisi forte justa causa infirmitatis etc. adsit; at deprimere vocem, relicta tamen aliqua distinctione inter hanc et inter secretam recitationem, ex qualibet rationabili causa licet, imo si alii sacerdotes in propinquo celebrent, ipsa rubrica omnino monet, ut celebrans ita vocem moderetur, ne alios perturbet.

E contrario ea, quae secreto dicenda sunt, tam alta voce dicere, ut in magna distantia a populo audiantur, censetur tum grave peccatum, quando notabilem partem, praesertim Canonis, vel sola verba Consecrationis sacerdos ita pronuntiet. (S. Alph. n. 416 dicit, si ad 40 passus audiri possit sacerdos, sibi grave peccatum videri; sed, ait, „quis nisi mente captus hoc facturus est? deberet enim tunc toto conatu vocem elevare“.) Alias peccatur venialiter. At periculosius erratur, verba Consecrationis nimis secreto efformando, ita ut sacerdos ne se ipsum quidem audire possit, nisi forte strepitus sit causa, cur se non audiat; alioquin induceret periculum nullitatis sacramenti: S. Alph. n. 414.

12. Cum voluntaria distractione notabilem partem Canonis peragere, pro peccato mortali habetur; si fit in sola Consecratione, a plerisque idem dicitur, tamen non est ita certum.

§ 4.

Actiones rituales speciatim consideratae.

772 1. Ante omnia notandum est, sacerdotem non debere solum celebrare, sed requiri ministrum masculum, ita ut gravis peccati defectus sit aut *nullum ministrum* habere, aut feminam ministrare *ad altare*. Permitti tamen potest, ut femina, praesertim monialis, respondeat

tantum e longinquo. Si minister male pronuntiat, sacerdos, si commode fit, ipse suppleat.

Ex gravi necessitate licebit nihilominus sine ministro celebrare, videlicet approbante S° Alphonso:

a) ob conficiendum Viaticum; b) ut populus audiat Missam diebus praeceptis: verum tum saltem aliquis accedere potest, qui porrigat urceolos et similia, etsi nequeat respondere; c) ut ipse sacerdos diebus praeceptis satisfaciat obligationi audiendi Sacrum: quamquam si minister deest, sese etiam pro excusato habere potest, quando aliam Missam audire nequit; d) si minister, postquam sacerdos jam notabiliter processit in Missa, abscedat, neque brevi reversurus sit (Craisson n. 3683 approbans refert sententiam „maxime, si *facta oblatione* minister absqesserit").

2. Benedictiones, genuflexiones, inclinationes etc. in rubricis notatae sane res praeceptae sunt. In singulis omissionibus vel acceleratione per se venialiter peccatur; verum si *notabilis* fit deordinatio vel scandalum vel contemptus, peccatur graviter.

Quare qui propter infirmitatem similemve causam non omnia plene ad amussim observare potest, licite celebrabit; si notabilis defectus externi decoris inde oritur, dispensatio S^ae Sedis petenda est, v. g. in defectu pollicis vel digiti indicis, si capite cooperto celebrandum sit, et similia.

3. Praecipue vero quaedam de interruptione vel abruptione Missae 773
notari debent: abrumpitur, si sacerdos eam postea non prosequitur; si prosequitur, eam interrupit. Igitur 1) *abrumpere* Missam, saltem post inceptam consecrationem, nisi gravissima ratio urget, peccatum omnino grave est.

Sc.: a) Si incursus hostium immineat, aut alias periculum mortis aut S. Sacramenti profanationis adsit, sacerdos, sive unam sive duplicem consecrationem perfecerit, S. Sacramentum aut statim debet consumere aut fugiendo secum auferre, ut in loco tuto consumat, modo periculum in mora sit.

b) Quando, incepta consecratione, eaque aut certo aut dubie facta, sacerdos deficit: si post aliquod tempus, etsi paulo longius, vires resumpturus videtur, etsi jejunus manere nequit, exspectandum est, ut ipse sacerdos Sacrum suum postea perficiat. Si vero ipse perficere illud nequit, alter sacerdos inquirendus est, qui perficiat, resumendo ea, quae dubie tantum a priore perfecta sunt; atque si jejunus adest, ille Sacrum perficere debet, alioquin etiam non jejunus; imo in alterius defectu etiam sacerdos irregularis, excommunicatus etc. *debet* omnino Sacrum perficere, praemissa tamen contritione; quae quum semper, adstante divina gratia, suo tempore elici possit, non datur excusatio pro sacerdote excommunicato, qua declinet novum peccatum grave, nisi Sacrum illud perficiat, siquidem *legis divinae* est, ne sacrificium mancum relinquatur.

c) Si vero intra horam circiter compleri sacrificium non potuit, obligatio perficiendi S° Alphonso non amplius videtur esse (n. 355), quia probabiliter deest necessaria unitas actionis; attamen etiam post plures horas, v. g. 7, *licebit* prosequi, quia certum non est, deesse necessariam unionem.

774 2) Ergo *interrumpi* Missa a) debebit aliquando propter gravem necessitatem proximi, quando videlicet agitur de moribundo baptizando, absolvendo, homine sensibus destituto ungendo. Quare tum sacrae species reverenter includantur vel custodiantur, et postea sacerdos — si necessarium fuerit, etiam post aliquot horas — Missam prosequatur. Si vero consecrationem nondum inceperit, et diuturna interruptio, v. g. unius horae fiat, potius Missa denuo ab initio resumenda est, panis et vinum oblatum postea sumendum.

b) Quando necessitas ita gravis non est — v. g. si aegrotus sufficienter jam adjutus et sacramentis aliis instructus solo Viatico donandus est, sacerdos post consecrationem non ita debet abrumpere Missam, ut vestes sacras deponat; imo si aegrotus Viaticum jam antea sumpsit, nec vera *necessitas* nova exstiterit, ne ita quidem abrumpere debet, ut extra altaris conspectum divertat.

c) Ante offertorium licebit ex causa mediocriter gravi Missam interrumpere, vel etiam pro causa abrumpere et postea denuo ab initio Missam resumere, v. g. si sacerdoti celebraturo affertur nuntius, alium sacerdotem, qui postea coram populo Sacrum solemne habere debebat, impeditum esse, vel exspectari Principis adventum qui cupiat Sacro interesse.

Ceterum quum Ecclesia per specialem S. Congregationem etiam de minutissimis rebus, quae decorem et reverentiam SS. Missae sacrificii spectant, providere soleat: sacerdoti, ut Ecclesiae a Spiritu Sancto directae ejusque menti respondeat, nihil antiquius habere debet, nisi ut cum omni cura ipse in celebrando decorem et reverentiam servet, neque solum ea attendat, quae severe praecipiantur, sed etiam quae pro majore convenientia sint statuta et ordinata.

Tractatus V.

Sacramentum Poenitentiae.

775 Sacramentum poenitentiae necessarium est per accidens, videlicet pro iis, qui, ingrati erga Deum, post susceptam per baptismum sanctitatem, ex ea suâ culpâ exciderunt. Eos enim Deus noluit in interitu relinquere, sed Ecclesiae suae, i. e. Apostolis ejusque in sacerdotio successoribus potestatem contulit lapsos post baptismum denuo reconciliandi.

Atque haec est post potestatem in Ss. Eucharistiam altera potestas sacerdotibus collata, quae et eorum dignitatem commendat, et eorum obligationes auget et aggravat. Ex sacramenti enim poenitentiae natura potissimum oritur multiplicis scientiae necessitas, quo confessarius rite judicet de peccatis, de poenitentium obligationibus, de eorum dispositione atque eorum in sanctitate conservatione.

Hinc est etiam, quod theologiae moralis haec pars praecipue accuratiore tractatione indigeat, quo neo-confessarius in suis officiis

plenius instruatur. Quatuor sectionibus omnia complexurus sum tractando 1) de natura poenitentiae et ut virtus est, et ut sacramentum est; 2) de subjecto poenitentiae ejusque actibus; 3) de ministro poenitentiae atque diversis ejus officiis; 4) pro appendice de indulgentiis et jubilaeo.

Sectio I.

De natura Poenitentiae, qua virtus et qua Sacramentum est.

Cf. inter alios S. Thom. III. q. 84 seq., Suarez *in III. p. S^{i} Th.*, Lugo *de Poenitentia*, S. Alph. l. 6 n. 425 sqq.

Caput I.

Notio virtutis Poenitentiae.

776 Poenitentia omni quidem tempore necessaria fuit, ut homo, postquam peccaverit, cum Deo reconciliaretur. Christus vero eam ad Sacramentum evexit. Quare si sermo instituitur de poenitentia qua virtus et qua sacramentum est, non est haec distinctio rerum omnino diversarum; nam in poenitentiae sacramento virtus poenitentiae includitur, efficacitate aucta.

Virtus igitur poenitentiae habitudo animi est, qua quis dolet de peccato commisso, ex honesto motivo commotus. Nobis autem debet esse dolor ex motivo fidei conceptus; alioquin ad statum supernaturalem vel ad supernaturalem virtutem, quae sola ducit ad salutem, non pertinet.

Fides autem quam plurima subministrat motiva, ex quibus de peccatis dolere possumus. Et re vera quodcunque illud est, quod cum relatione ad Deum fide notum concipitur, ad genericum conceptum poenitentiae sufficit, sive est timor poenarum, sive amor singularum virtutum quibus peccata opponuntur, sive amor ipse divinus seu caritas; neque plus intelligitur, si poenitentia dicitur ad remissionem peccatorum omnino necessaria.

Nihilominus statuitur generatim etiam *specialis* quaedam virtus poenitentiae ab omni alia virtute distincta: quam alii sic concipiunt ut sit quaedam justitia erga Deum, qua homo conetur jus divinum per peccata laesum quodammodo reddere atque de injuriis Deo illatis Deum quasi vindicare; alii sic, ut concipiatur ex speciali honestate quae in eo conspiciatur, ut Deum habeamus placatum, nobis non infensum. Cf. *Theol. mor.* n. 251 et 252.

Caput II.

Institutio Sacramenti Poenitentiae a Christo facta.

Doctrina catholica per summa capita proponitur.

777 1. *Christus dedit Ecclesiae, i. e. Apostolis et eorum in hujus potestatis participatione successoribus, presbyteros intellige, potestatem remittendi et retinendi peccata post baptismum commissa.* Quod elucet ex Joan. 20,

22 et 23: „Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt“: — eam potestatem a potestate baptismi distinctam esse, tum locorum S. Scripturae collatio (Matth. 28, 19 et Marc. 16, 15), tum verborum nativa vis, quae etiam potestatem retinendi sive ligandi — id quod in baptismo nullatenus fit — clare enuntiat, tum Ecclesiae perpetua traditio indubie demonstrat.

778 2. *Haec potestas judicialis est, seu per modum judicii exercenda.* Quam veritatem, ut heterodoxi ipsi fatentur, summi momenti est stabilivisse. Verissime autem judicialem potestatem *in peccata* Apostolis collatam esse, non solum aperta Patrum testimonia a primis saeculis testantur — quae videre licet obvia apud dogmaticos — sed etiam ipse naturalis sensus verborum Joan. 20 evincit:

a) quia ipsa potestas remittendi peccata jam juridicam aliquam potestatem exprimit secundum formalem suam notionem; facultas baptizandi illum effectum exprimit *consequenter* tantum et *indirecte.* b) Maxime vero verbum „retinendi“ seu κρατεῖν hanc *judicialem* potestatem ostendit. Id enim potestatem *contra* poenitentem in causa peccatorum exprimit, qua pro causarum diversitate peccata tum quoad culpam ligantur, ita ut denuo deferri debeant ad tribunal ecclesiasticum, tum quoad reatum poenae homini quodammodo imponuntur.

779 3. *Exercitium hujus potestatis sacramentum est.* Nam finalis effectus illius potestatis est ut peccata *remittantur,* homo Deo reconcilietur: reliqua transitorie fiunt aut *modum* exercendae potestatis respiciunt. — Sed notum est, in hoc ordine reconciliationem hominis cum Deo non fieri nisi infusione gratiae sanctificantis. Ergo facile est enumerare omnia elementa, quae ad constituendum sacramentum requiruntur: a) *signum* seu *ritum externum,* b) idque *gratiae efficax,* c) *stabili lege a Christo institutum.*

780 4. *Sacramentum poenitentiae omnibus post baptismum graviter lapsis necessarium est necessitate medii,* ut habes ex Trid. sess. 14 cap. 2. Idque revera ex potestate retinendi, seu ligandi vel puniendi peccata sequitur. Nisi enim illi, qui causam necessario cum Deo componendam habent, i. e. qui peccatum mortale commiserunt, ad hoc tribunal se sistere *deberent,* potestas illa *contra* peccatorem agendi frustra esset collata atque suo fine prorsus careret. Ceterum universa traditio et praxis catholica idem demonstrant.

5. Partes hujus sacramenti sunt ex parte poenitentis: dolor, confessio, satisfactio; ex parte sacerdotis: causae poenitentium exceptio et discussio, et absolutio. Quia vero causae exceptio et discussio accusationem seu confessionem poenitentis complet cum eaque in unum coalescit, satis est enumerare ut *partes sacramenti poenitentiae* 1) *dolorem,* 2) *confessionem,* 3) *satisfactionem,* 4) *absolutionem.* Cf. Trid. sess. 14 cap. 3.

Caput III.

De partibus constitutivis Sacramenti Poenitentiae.

§ 1.

Quo sensu materia hujus Sacramenti sumatur.

1. Quum actus poenitentis, qui circa peccata commissa versantur, 781
a Tridentino „quasi materia“ vocentur, solemne est distinguere inter materiam proximam et remotam. *Proxima materia dicuntur illi ipsi actus poenitentis, remota materia vocantur peccata commissa, circa quae poenitens illos actus exercet.*

2. Theologorum autem non concors opinio est, utrum actus poenitentis sint vere materia intrinsecus sacramentum constituens, ad eam rationem, qua ablutio aquae intrinsecus elementum baptismi est, an latiore sensu ad sacramentum pertineant: aliis verbis, utrum actus poenitentis sint materia *ex qua* sacramenti, an solum materia sacramenti *circa quam* (sc. circa quam sacramentum versetur). — Rectius tamen prius illud dicitur. Ceteroqui practice vix quidquam horum interest, siquidem illi qui contrarium tenent, saltem habent actus poenitentis, dolorem et confessionem, pro conditione necessaria, sine qua sacramentum ne essentialiter quidem perfici possit.

3. At *non* omnes actus *eodem modo* materia sacramenti sunt. Satis- 782
factio solum eatenus ad sacramentum pertinet, ut sacramentum integritatem suam atque effectum completum habeat: pars *integralis*, non essentialis dicitur. Facultas quidem, qua confessarius poenitentiam congruam imponere potest, vel debet, potestati, quae in hoc sacramento exercetur, prorsus essentialis est: quapropter, ut postea fusius explicabitur, poenitens convenienti poenae sacramentali necessario sese subjicere atque ad eam solvendam se paratum declarare debet; realis autem solutio ad principalem sacramenti effectum producendum non pertinet.

Confessio seu accusatio sacerdoti facta principaliter materia sacramenti est: haec enim in se et per se ad judicium efformandum atque ita etiam ad hoc sacramentum constituendum est necessaria.

Dolor in se quidem pars est summopere necessaria; verum ad sacramentum intrinsecus constituendum *in se* quidem concurrit, attamen non *per se* ipsum, sed per accusationem seu externam sui manifestationem: siquidem dolor per se sensibile elementum non est, sed per aliquid aliud manifestari et sensibile fieri debet.

Summopere necessarius dolor est, quia non solum pars materialis sacramenti in eo collocatur, sed *etiam* rationem necessariae *dispositionis* habet. Qua dispositio necessaria internus dolor sufficit, qua sacramenti materia externus fieri debet. Ergo *non sub eadem prorsus ratione* materia est ac dispositio. Utrum autem re idem dolor esse debeat atque iisdem conditionibus vestitus, qui sit et materia ad validum sacramentum requisita et dispositio ad justificationem consequendam essentialiter necessaria, non omnes inter se conveniunt.

§ 2.

Quam late pateat materia Sacramenti Poenitentiae.

783 Materia, circa quam et actus poenitentis et judicialis actio sacerdotis versatur, sunt, ut supra dictum est, peccata post baptismum commissa, eaque materia remota vocatur.

1. Distinguitur autem 1) materia necessaria et libera, 2) materia certa et dubia, 3) materia sufficiens et insufficiens — quamquam haec non proprie dici potest materia.

Porro si materia „necessaria" vocatur, dicitur hoc sensu, ut, *si in homine adest,* necessario sacramento poenitentiae subjici debeat.

Libera materia ea dicitur, quae clavibus Ecclesiae subjici, et circa quam poenitens absolutionem sacramentalem recipere possit, sed quam neque ex necessitate medii, neque ex necessitate praecepti clavibus submittere debeat.

Certa materia dicitur, quae si adest, certo absolutio valida potest dari; *dubia,* si absolutio non certo circa eam dari potest.

Sufficiens materia est, quae ad essentiam sacramenti constituendam atque absolutionem valide recipiendam sufficiat, sive necessaria materia est sive libera; *insufficiens,* quae absolutionis sacramentalis causa esse non possit.

784 2. *Materia necessaria sunt omnia et sola peccata gravia post baptismum commissa nondum directe vi clavium remissa,* ita quidem, ut omnia et singula a poenitente necessario accusanda sint.

Videlicet omnis et quaelibet peccati causa cum Deo necessario componenda ad hoc tribunal sacramentale deferatur oportet, atque ita deferatur necesse est, ut potestas, prout a Christo collata est, plene in peccata possit exerceri (cf. n. 778 et 780). Atqui quodlibet peccatum grave eaque singula post baptismum commissa sunt ejusmodi causa: ergo omnia et singula declarari *debent;* nec potestas a Christo collata plene in illa peccata exerceri *potest,* scilicet proportionatâ poenâ ea vindicando et retinendo, nisi singula peccata gravia secundum numerum et species declarentur, quae nondum declarata sunt in hoc judicio. — Id autem de solis peccatis post baptismum commissis valet, quia de non-baptizatis, utpote qui foris sint, Ecclesia non judicat, eorum vero peccata non judiciali sententia, sed ablutione et regeneratione plene purgantur.

785 3. *Materia sufficiens sed libera sunt quaelibet peccata venialia, et peccata sive gravia sive levia jam directe per potestatem clavium remissa, etsi non secundum numerum infimasve species accusantur.* — Haec certo omnino constant ex perpetua praxi fidelium, quam Ecclesia non tantum non reprimit, sed promovet: quod propter Ecclesiae sanctitatem et infallibilitatem in doctrina morum non posset fieri, nisi haec praxis veritate niteretur. De constanti doctrina theologorum in hac re vide S. Alph. n. 427 post S. Thom. aliosque doctores. Quare S. Congr. Ep. et Reg. 1. Oct. 1839 in *Bajocensi* rectissime dicere potuit: „omnibus enim notum est, peccata praeterita et veniales culpas esse materiam sufficientem sacramenti poenitentiae" (Apud Bizzarri, *Collectanea* pag. 94).

Quousque autem extendi possit *generica tantum* accusatio, ut in ea sola nitatur absolutio, practice distinguere debemus casum necessitatis et alios casus. In casu necessitatis sufficit ut significet poenitens *se peccasse* seque de hoc dolere; alias, nisi conscientia poenitentis jam aliunde nota sit, dicatur saltem generica aliqua species virtutis contra quam peccatum sit, vel peccatum esse mortaliter: idque etiam si cautelae causa levibus defectibus adjungatur accusatio gravioris peccati praeteritae vitae, *sit autem tum revera saltem gravius peccatum, de quo certus sit dolor.*

4. *Materia insufficiens sunt omnes illi morales defectus, qui ad ra-* 786
tionem peccati non pertingunt. Quare de neglectu operis melioris, de neglectu divinae inspirationis circa opus supererogatorium dolorem quidem concipere possum, de eoque poenitere et Deum etiam placare, siquidem talis neglectus Deo ratio esse potest diminuendi actuales gratias et protectionem, nisi placetur, at causa absolutionis sacramentalis nunquam esse potest. Possum autem absolutionem recipere circa *illud motivum venialiter malum*, quod plerumque ejusmodi imperfectionibus subest.

5. *Ut autem quodlibet peccatum veniale in actu secundo sit materia sufficiens*, seu ut re ipsa materia proxima, quae circa peccata levia concipitur, sufficiens evadat, *necesse est, ut verus dolor de iis eliciatur:* quod in confessione peccatorum levium tum poenitent', tum confessario observandum est, ne quamlibet materiam, quae sufficere *possit* pro absolutione, etiam re ipsa pro sufficienti in concreto habeat. Idque etiam in ipsis illis peccatis omnino attendi debet, quae cautelae gratia adjiciuntur.

6. Accidere potest, ut confessarius incidat in poenitentes, qui nullius 787
peccati in specie mentionem faciunt, quamquam, ut absolvantur, petunt. Quare si poenitentem valde rudis ingenii esse confessarius viderit, indagare debet, num id oriatur vere ex defectu gravioris peccati, an ex nimia ignorantia vel etiam ex inveterata peccandi consuetudine, quae tantam mentis hebetudinem et salutis incuriam creaverit. Si prior causa est, proponat *ipse confessarius* statim quasdam leviores peccatorum species et interroget poenitentem, utrum neque post ultimam confessionem neque antea in hac vel illa materia peccaverit: proximum offenderit, iratus fuerit, inobediens, negligens in orando etc. Quod si annuit, excitato dolore et proposito cum reliquis actibus prout opus fuerit, absolvat; si vero nihil recordatur poenitens neque sponte aliquid ex praeterita vita addere potest, confessarius potius quam multum inquirat, statim dicat absolute: Eliciamus igitur dolorem de omnibus peccatis totius vitae, maxime contra caritatem proximi, de inobedientia etc. commissis et veniam a Deo petamus; quando poenitens annuit, etsi antea dixerat, se peccati non recordari, confessarius postquam in dolore etc. eliciendis poenitentem praeiverit, sub conditione absolvat, modo a diuturniore tempore poenitens absolutus non fuerit.

Si causa deprehenditur esse ignorantia veritatum maxime necessariarum, nunc statim, id quod saepe praestat fieri, aut postea, at ante absolutionem, instruendus est poenitens; si inveterata peccandi consue-

tudo et hebetudo mentis, cum magna patientia, sed etiam strenua severitate gravissimae peccati sequelae proponendae sunt atque in reliquis ad sacramentum necessariis poenitens juvandus est, ut ad absolutionem aut statim, si tamen capax reddi potest, aut post meliorem praeparationem recipiendam disponatur. Cf. quae optime notat in hac re Reuter, *Neo-confess.* n. 117 et quae postea dicturi sumus n. 891 sqq.

§ 3.

De forma Sacramenti Poenitentiae.

788 Forma sacramenti poenitentiae, in qua potissimum ejus vis consistit, sunt verba absolutionis. Circa quae haec pauca nota:

1. *Forma ex natura judicialis sententiae non merum deprecatorium sensum, sed assertorium habere debet,* seu indicativum. Quare etsi non semper et ubique verba illa assertoria in usu fuerint, semper *sensum* illum habebant.

2. Essentialia verba, ut *certo constet* de valore, sunt: „*absolvo te a peccatis tuis*“. Fortasse sola: *absolvo te,* vel: *absolvo a peccatis tuis;* sic tamen dicere nullatenus licet; neque omitti potest sine veniali peccato illud: „*In nomine Patris*“ etc.

Ut autem confessarius extra casum summae necessitatis ita, ut oportet, procedat, debet formam Ritualis observare, quod in brevioribus et frequentioribus confessionibus satis esse dicit pronuntiare haec:

„Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis — quod omittitur in confessione laici —) et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris † et Filii et Spiritûs S^ti^ Amen.“

Plenam autem formam, saltem in longioribus confessionibus, sic exhibet:

„Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.“

Deinde dextera versus poenitentem elevata dicit: „Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.“

„Dominus noster etc. ut supra.“

„Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.“ — Quam ultimam orationem etiam in frequentioribus confessionibus expedit non omittere.

Nutu, signis, literis absolvere velle, *certo* est *invalidum.*

789 3. Haec absolutio verbis concepta *in praesentem* proferri debet. Praesentiam videlicet requiri certissimum est apud omnes; at *qualis* debeat esse, non ita clarum est. Ea sine dubio debet esse, ut moraliter loquendo poenitens sit coram confessario, ita ut *ad eum* verba directa dici possint.

Quare 1) Ut certo constet de valore, confessarius et poenitens a) non debent esse in diversis cubiculis, quae nullo modo inter se com-

municent; b) neque, si in eodem loco versantur, nimia distantia ab invicem separati: S° Alph. distantia 20 passuum nimia videtur; at si notabiliter minor est distantia, valori non obest, S. Alph. n. 429; c) si praesentia talis, qualem explicavi, adest, non requiritur, ut confessarius re ipsa poenitentem videat vel sensu aliquo percipiat; dummodo eum praesentem esse sciat. S. Alph. ibidem.

2) Ut vero probabilis sit absolutionis valor, eaque in necessitate hypothetice tentanda, sufficit talis praesentia, ut, si impedimentum non esset, poenitentem aliquo modo percipere possem: ergo absolvere deberem, etsi *e longinquo* viderem aliquem labentem in undas et periclitantem, ruentem de tecto etc. Ib. cum Tamb. *de sacr. poenit.* (l. 5) c. 2 n. 13.

Hinc concludo, absolutionem per telephonium esse valde dubiam, si non certo nullam.

4. *Naturae judicialis sententiae non repugnat, quominus aliquando conditionate absolutio detur:* scilicet ita agi licet vel debet, si ex una parte gravis ratio est tentandi absolutionem, ne negata in periculum inducat poenitentem, ex altera parte ratio prudens est timendi, ut forte omnia ad sacramentum necessaria adsint. 790

Praecipuae autem occasiones, in quibus absolutio conditionate dari potest, aut pro necessitate poenitentis dari debet, hae sunt:

1) si dubium versatur circa vitam et mortem poenitentis — quamdiu non constat de incapacitate;

2) in dubio de sufficienti usu rationis in pueris et semifatuis — quando afferunt materiam *probabiliter gravem,* aut etiam aliquoties alias quia forte subjective graviter peccaverunt;

3) in dubio de morali praesentia poenitentis;

4) in dubio de absolutione rite data: (sc. pro ratione dubii et necessitatis *repetenda* est conditionate absolutio);

5) in dubio de jurisdictione confessarii, quando nihilominus occurrit gravis ratio dubie absolvendi;

6) in dubio de sufficienti materia, si dubitatur, utrum defectus vere pertigerint ad rationem peccati, ejusque talis, ut sufficiens dolor de eo versetur, atque alia materia certa difficulter potest haberi; vid. tunc *aliquoties* (S. Alph. putat, si dubium non de justo dolore, sed de materia remota sit, semel in mense id fieri posse) absolutio conditionate dari potest; *debet,* si simul prudens dubium est de materia necessaria, seu de peccato dubie gravi, quod poenitens nunc satis certo detestatur;

7) imo in dubio de sufficienti dispositione *necessaria* circa *mortalia* peccata, non semper quidem, sed aliquando conditionata absolutio dari potest, vel pro graviore causa dari debet: a) in periculo mortis, undecunque oritur; b) si poenitens bona fide putat, se satis esse dispositum et confessarius graviter timet, ne, negata aut dilata absolutione, poenitens in pejus ruat et ab omni sacramentorum frequentatione absterreatur, aut alterius sacramenti (ut matrimonii, confirmationis) *certa profanatione* delinquat. Debet tamen peculiaris ratio hujus timoris adesse: nam levius sic agere notam laxitatis non effugiet: cf. S. Alph. n. 432, IV. In articulo mortis autem maxime erit obligatio absolvendi.

Sectio II.

De subjecto Sacramenti Poenitentiae seu de actibus poenitentis singillatim consideratis, quae quasi-materiam proximam constituunt.

791 Subjectum poenitentiae est quilibet homo baptizatus, qui post baptismum peccatum commisit. Proxime capax fit per actus supra jam indicatos, quibus se tum ad sacramentum disponit tum ipse materiam praebet. De singulis igitur tum quatenus sunt dispositio justificationis, tum quatenus materia sacramenti sunt, tractari debet.

Praeter scriptores supra laudatos cf. Gobat, *Theolog. experiment.*, Tambur., *meth. conf.*, Elbel *de poenit.*, Sporer de eod., Lacroix l. 6 p. 2, Mazzotta et Reuter suis locis in sua theol. mor.

Caput I.

De Contritione.

§ 1.

De natura et efficacia contritionis.

Qua *dispositio* justificationis contritio prae reliquis consideranda est, atque ita illa est maxime omnium necessaria.

1. Contritio generice sumpta definitur *„dolor animi ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero"*: ita Trid. sess. 14 cap. 4. Est ergo ipse actus virtutis poenitentiae.

Dolor et detestatio in se quidem motus diversi sunt, ita tamen cohaerentes, ut in hac vita unus ab altero non separetur, si modo detestatio est peccati proprii, et dolor verus et efficax de peccato qua peccato concipitur. Quare dolor est affectus detestationem consequens: unde est, quod complures *dolorem* pro elemento praecipuo statuant, intelligentes dolorosam detestationem; alioqui potior pars est in detestatione utpote fundamento et radice doloris.

Propositum aliquo modo in detestatione continetur: qui enim id quod detestabile est in peccato detestatur, tam bene pro futuro, quam pro praeterito peccatum detestatur; haec autem peccati detestatio pro futuro tempore voluntatem non committendi continet, si detestatio est voluntas efficax.

2. *Contritio alia dicitur perfecta* (sive *contritio* presse sumpta), *alia imperfecta seu attritio, prout dolor et detestatio peccati concipitur ex motivo perfectae caritatis, aut ex quocunque alio motivo quod sit caritate inferius.* Sic enim ex certa jam theologorum doctrina tenendum est; ita ut motivum religionis, gratitudinis erga Deum disponat quidem facile ad perfectam contritionem, *in se* vero solam attritionem efformet. Ex quocunque autem attributo divino caritas informetur, quae ad dolorem de peccato moveat, vera semper contritio perfecta est.

3. *Contritio generice sumpta*, ut de virtute poenitentiae dictum est, 792
necessaria est necessitate medii illi, qui peccatum grave unquam commisit, idque sive ante sive post baptismum. Contritionis vero perfectae effectus ille est, ut hominem justificet ante sacramentum *re* susceptum. Attritio *cum* sacramento, neque sine illo, justificat, ut habetur ex Trid. sess. 14 cap. 4.

Inde sequitur, eum, qui graviter peccaverit, *absoluta necessitate* debere de peccato aut dolere contritione perfecta, aut cum contritione imperfecta sacramentum poenitentiae (vel baptismi) re suscipere; atque hanc obligationem urgere a) saltem in probabili mortis periculo.

At minime ad id tempus restringitur; sed b) post peccatum diu protrahi non licet, nisi homo sese in periculo gravi constituere velit in nova peccata gravia labendi, siquidem in statu peccati a novis peccatis moraliter loquendo homo non cavebit: quod confessarius erga poenitentem valde urgere debet, etsi non debeat injicere mentionem obligationis ex hoc titulo gravis, ut post lapsum statim conetur perfecta contritione dolere, imo pro opportunitate ad confessionem accedere.

Imo c) qui per plures annos reconciliationem cum Deo differat, ille saltem ex hoc capite solo novam erga Deum injuriam gravem committit: censeo autem, etiam breviore spatio id fieri.

Justificatio, quamquam etiam in. N Lege per contritionem perfectam fit ante sacramentum re susceptum, tamen adscribitur etiam voto sacramenti, quod eo ipso quidem adest, etsi homo nihil de eo cogitat; atque etiam relinquit obligationem suo tempore sacramentum re ipsa suscipiendi. — Quod quidem votum sacramenti (seu relatio ad sacramentum) in peccatis venialibus, ut remittantur, necessarium non est.

4. *Ut vero attritio debita sit praeparatio, qua per sacramentum* 793
poenitentiae peccata remittantur, quaedam relatio ad illud requiri videtur, ita ut aut eliciatur ex voluntate sese ad sacramentum praeparandi, aut sustineatur ex hac voluntate, vel ex dolore exsistente voluntas confitendi concipiatur. Nimirum haec aliqualis relatio in poenitentia magis quam in reliquis sacramentis propterea necessaria est, quia ibi est ipsius sacramenti quasi-materia, quae suam intentionem requirat. — Si vero dolor universalis conceptus erat, atque poenitens in confessione alicujus peccati oblitus, statim revertitur et absolutionem secundo petat, dolor prius elicitus sane sufficit pro hac secunda absolutione; quamquam pro abundantiore gratia recipienda praestat, ut brevi dolor iteretur.

Ceterum qui ex desiderio sese convertendi dolorem et voluntatem confitendi concepit, sane post aliquot dies etiam, si hanc voluntatem servavit, absolvetur rite vi doloris antea concepti; de confessione pro sola devotione facienda non idem dicere licet.

§ 2.

De dotibus contritionis.

De dotibus contritionis acturi, contritionem generice sumimus 794
prout et perfectam contritionem et attritionem sub se continet: nam proprietates, quae requiruntur, ut homo vi contritionis, sive perfectae

extra sacramentum sive imperfectae cum sacramento, veniam peccatorum consequatur, communes sunt. Revocantur doctrinâ in omnes fere catechismos receptâ ad quatuor.

1. Contritio debet esse interna et *vera,* eaque *formalis;* ergo non sufficit contritio vel attritio existimata. Neque sufficit dolor in altero actu fortasse implicite contentus: ita ut, si possibile sit, poenitentem elicere solum caritatis actum et, illo solo elicito, peccata sua accusare, is justificetur quidem vi caritatis, absolutionem tamen valide accipere non possit.

2. Contritio debet esse appretiative summa, ita ut poenitens peccatum supra omnia alia mala, quae in evitandis peccatis occurrere possint, detestetur atque *absolute* sub quavis hypothesi paratus sit non amplius peccare. Dummodo vero homo *absolute* sese avertat a peccato, comparatio cum aliis malis expresse fieri non debet, imo id imprudentissimum et periculosum est atque aptum ad exstinguendum dolorem et propositum antea rite conceptum. — Quare plerumque ejusmodi comparationes, si menti sese obtrudunt, potius positiva fuga excludendae sunt et generali illa voluntate superandae cogitando: gratia divina suo tempore mihi aderit, cum illa statuo absolute non peccare.

795 3. Contritio debet esse *supernaturalis,* i. e. tum ope supernaturalis auxilii divini, tum ex motivo supernaturali fide noto a poenitente concepta. Posterius elementum potioris momenti est, quum, homine faciente quod suum est, Deus in supernaturali ope ferenda non sit defuturus. Fides vero quam plurima motiva subministrat, quae praeter caritatis motivum revocantur ad peccati turpitudinem et ad peccati poenas. Turpitudo tam multiplex est, quam multiplex est pulchritudo virtutum et exigentia divinorum attributorum, quibus peccatum opponitur. Poenae sunt potissimum poenae alterius vitae, sive gehennae sive purgatorii; nam poenae temporales hujus vitae potius ansa esse debent, ex qua deprehendatur et timeatur divina justitia ultrix etiam post hanc vitam exercenda: alioqui prior conditio contritionis, ut sit super omnia, salva non fuerit.

796 4. Contritio *universalis* esse debet, si de peccatis mortalibus agitur, ita ut aut singularibus motivis singula et omnia peccata commissa, aut uno motivo universali omnia peccata commissa sive nota sive ignota comprehendantur: quod ultimum ut saltem adjungatur, omnino praeferendum est. Contritio igitur non est necesse, ut tam universalis sit sicut propositum: *hoc* extendi debet ad omnia peccata gravia sive commissa *sive non commissa.* In confessione venialium per se sufficit verum dolorem et propositum concepisse de uno alterove peccato, praecipue de graviore, potest enim unum sine alio remitti. Conandum quidem est, ut poenitens de *omnibus* peccatis, quae accusat, doleat; verum si in hoc defecerit, non peccat, quum absolutionem petat de iis, de quibus vere doleat.

797 5. Multum disputata est quaestio, quid sibi velit illud *initium dilectionis,* quo secundum Trid. sess. 6 cap. 6 ii, qui se ad justificationem praeparant, ferri debeant. Sive illum dixeris amorem concupiscentiae, sive affectum aliquem qui ad speciem caritatis pertineat, sed non sit ejus actus perfectus: illud practice satis certum est, qui cum

spe veniae doluerit vero et efficaci dolore de peccatis cum voluntate firma non peccandi de cetero, eum etiam in hunc dilectionis affectum, quicunque tandem necessarius sit, transiisse.

6. De necessitate actuum fidei et spei, et quo sensu hi sint necessarii, vide n. 654. Iis expresse eliciendis tum maxime adlaborandum est, si poenitens vel alias vix unquam eos elicuerit, vel si contrariis peccatis eas virtutes amiserit: adverte autem, amissâ quidem spe fidem nondum amitti, fide amissâ amitti simul etiam spem. — In aliis casibus sufficiunt illi spei et fidei actus, qui in pio accessu ad tribunal reconciliationis cum Deo et in supernaturali dolore *exercite* habentur.

§ 3.

De elemento dolorem consequente seu de proposito.

Propositum non peccandi de cetero ad contritionem tamquam ne- 798
cessariam poenitentis dispositionem pertinere, supra ex Trid. retulimus. At quale esse debeat, paulo fusius explicandum est.

1. *Propositum circa peccata gravia debet esse omnino universale; circa venialia peccata sufficit particulare propositum, sicut de dolore dictum est.*

Scilicet 1) sufficit circa unum aliquod peccatum gravius dolorem et propositum concipere, etsi non extendatur ad omnia peccata minora ejusdem speciei: quia quo graviora sunt peccata, eo magis displicent Deo, offendunt Deum, poenam graviorem merentur. Potest igitur homo vere detestari hujus gradûs malitiam, etsi non omnem minoris malitiae gradum et displicentiae divinae detestetur.

2) Sufficit a fortiori circa certam aliquam speciem vel genus, vel circa peccata certae virtuti contraria dolorem et propositum efficax concepisse, praecipue insistendo in iis, quae cum majore consideratione et malitia patrata fuerint.

3) Sufficit per se a fortiori concepisse dolorem et propositum circa omnia peccata plene deliberata, quum majoris malitiae sint, si modo in tam generali dolore et proposito firma et efficax voluntas inveniatur: atque circa peccata semideliberata seu subreptitia sufficit pro proposito concipere seriam voluntatem majoris diligentiae in eis evitandis adhibendae. — Ceterum ne tam generalis voluntas nimis langueat, practice omnino suadendum est, ut ex illo genere omnium peccatorum certa species singillatim sumatur, circa quam cum majore consideratione dolor et propositum exerceatur.

4) Passim etiam dicitur, per se sufficere dolorem et propositum habere de *frequentia* peccatorum, ita ut poenitens firmiter statuat, talem frequentiam saltem diminuere: in quo tamen a laxiore praxi caveri debet, atque id fere restringi debet ad peccata semideliberata, in quibus id idem est ac velle majorem diligentiam ad ea praecavenda adhibere.

2. *Propositum debet esse absolutum seu firmum, ita ut respondeat* 799
dolori super omnia concepto, nec sub ulla conditione homo a peccati fuga desistat, atque ita quidem, ut non velleitatem, sed voluntatem concipiat non amplius peccandi.

Verum haec conditio non dicit *immutabilitatem* propositi. Neque obstat necessario proposito timor relapsûs: si tamen in poenitente timor ille tantus est, ut de emendatione desperet, sane erigendus est in spem divinae gratiae, antequam possit absolvi.

3. Conandum est, ut poenitentes concipiant propositum sese emendandi *explicite*. Ita ante factum; idque tum ut certius constet de necessaria dispositione, tum etiam quo firmius haereat fructus poenitentiae et re ipsa sequatur emendatio. Ceteroquin absolute necessarium tum tantum videtur esse explicitum propositum, quando dolor non fuit ex universali motivo: nam si ex universali motivo fuit, jam in se continebat (implicite) propositum; si vero ex particulari motivo hujus vel illius malitiae tantum, ille dolor particularis propositum universale in se non continebat.

800 4. In quo casu particularis doloris accidere potest secundum gravium scriptorum sententiam, ut sit sacramentum poenitentiae *validum quidem, sed informe:* nimirum si homo bona fide haesit in illo particulari motivo doloris, sed oblitus est plane alterius speciei peccati gravis, ad quod dolor ille nequaquam extendebatur. — Quare tum practice non constat de obligatione illud peccatum denuo confitendi; erit tamen obligatio quaerendi certam reconciliationem cum Deo. Cf. *Theol. mor.* n. 274—300.

Caput II.

Confessio.

801 De confessione acturis, quae est praecipua pars materiae poenitentiae ut sensibilis, missis aliis dotibus, vix aliud nobis restat, nisi ut de sola *integritate* agamus. Nam etsi multae dotes passim afferantur, illae aut secundariae tantum sunt nec essentiales, aut ad dolorem et integritatem quodammodo revocantur. De dolore autem in cap. I. actum est.

Quae igitur majore explicatione indigeant, ad tria capita revocare possumus, distinctis articulis tractanda. Agemus:

1. de necessitate integrae confessionis ejusque ambitu:
2. de causis ab integritate excusantibus;
3. de mediis ad integritatem procurandam necessariis, sc. de examine conscientiae, et de confessionum praeteritarum suppletione et repetitione.

Articulus I.

De confessionis integrae necessitate et ambitu.

§ 1.

De necessitate et integritate generatim.

1. *Confessio eaque integra omnium peccatorum mortalium post baptisma commissorum est jure divino necessaria.* — Id enim sequitur ex judiciali potestate, quâ Ecclesia in peccata fidelium pollet. Nam ad judicialem sententiam judicialis cognitio causae requiritur; causa autem

necessario componenda est quodlibet peccatum grave, neque judicialis cognitio dari potest nisi ab ipso peccatore, qui reconciliationis tribunal debet implorare. — Eadem judicialis potestas Ecclesiae puniendorum peccatorum potestatem includit eamque proportionate ad culpam puniendi: quod sane manifestationem cujuslibet peccati gravis postulat.

802 2. *Integritas necessaria restringitur ad species infimas et numerum peccatorum, quantum morali aestimatione et diligentiâ fieri potest.* Nam accurata omnino notitia humanam aciem fugit; hinc melior norma, quâ objective statuatur, quid tandem strictae obligationis sit, statui nequit praeter eam, quam indicat Conc. Trid., ut confessio fiat secundum *speciem* et *numerum* peccatorum.

Inde tamen sequitur, eum, qui peccati a longo tempore patrati speciei ultimae non amplius recordetur, debere, quantum sciat, altiorem speciem dicere; imo qui tantum sciat, se mortaliter peccasse, sed quo peccato, nesciat, id ipsum debere fateri.

Qui nescit accuratum numerum, declarare debet, quoties *circiter* peccaverit; et si valde frequenter idem peccatum repetierit, ut accidere potest in peccatis *internis,* quoties circiter in hebdomada vel die peccaverit. — Imo si de consuetudinario sermo est, qui ne id quidem accuratius exprimere potest, debet plane sufficere — idque aliquando in ipsis peccatis externis, si modo ea, quae extraordinariâ circumstantiâ speciem mutarunt, distinctius addantur — ut ille indicet spatium temporis, per quod ejusmodi peccandi consuetudinem secutus sit. — Atque etiam de diversis speciebus peccatorum id sciendum est, esse eas accusandas, quae a peccatore ipso cognitae et subjective contractae sunt, non semper secundum normam, quam theologi secundum *rei* veritatem statuunt.

Si quis vero in confessione numerum quendam bona fide indicavit addendo „circiter", atque postea accuratius verum numerum invenerit, repetere eum numerum non tenetur, si verus numerus cum aliqua latitudine in numero indicato continebatur; si id non obtinuit, excessum debet declarare in sequenti confessione. Quare confessarius scire debet, qualis numerus in approximativo contineri censeatur. Secundum probatorum scriptorum sententiam dici potest, numerum *circiter* 5 exprimere 4—6; circiter 10, 8—12; circiter 30, 25—35; circiter 100, 90—110. Cf. *Theol. mor.* n. 301—305.

803 3. *Jure divino confessio omnibus graviter lapsis necessaria est aliquoties in vita, praecipue in mortis articulo:* quod plane sequitur ex iis, quae supra dicta sunt n. 780. *Jure ecclesiastico praescribitur confessio annua,* quâ per se etiam obligatio juris divini impletur; frequentior autem confessio valde suadenda est, imo per accidens aliquando plane necessaria fit.

§ 2.

De specifica peccatorum declaratione in confessione necessaria.

804 Ipsa *peccata,* non tantum specifica malitia in abstracto, declarari debent a poenitente. Quod ut melius intelligatur, enumero ea, quae praeter numerum indicari debeant.

1. Actus externus, qui internum actum in ratione peccati compleat, adeoque *in se* contra ordinem recti et morum regulam sit, in confessione exprimi debet: alioqui non recte exprimeretur *peccatum* commissum.

2. Effectus ex peccato secutus, qui actuali libertati non substet, per se non necessario est accusandus; per accidens autem accusari aliquando debet ratione reservationis peccati, vel censurae, si quando „*effectu secuto*" infliguntur, vel ut judicetur de obligatione restitutionis faciendae atque injustitiae commissae. Hinc *per se* non debet mors inimici accusari ab eo qui confitetur, se venenum propinasse: plerumque tamen per accidens etiam mors accusanda est; et sic de aliis damnis mediate causatis.

805 3. Circumstantiae (seu illae conditiones, quae actûs substantiam circumstant atque in ejus moralitatem influunt) speciem mutantes ideoque necessario declarandae cognosci debent ex diversis legibus et praeceptis, in quibus pertractandis etiam studuimus modos specifice diversos, quibus contra ea peccari possit, indicare. Praecipuae autem, quae attendi debeant, hae sunt:

1) Quaelibet circumstantia sive erroneae conscientiae sive scandali etc., quae *ex peccato ex se veniali efficiat mortale, aut vice versa.*

2) Circumstantia *personae peccantis,* a) quando relate ad objectum seu materiam peccati Deo consecrata est vel voto obstringitur, ut in rebus contra castitatem; b) quando matrimonio juncta contra castitatem deliquit; c) quando in eum, quem in peccatum induxit vel quocum in peccando cooperata est, superioritatem tenet, quae ad specialem curam spiritualem subditorum obliget.

3) Circumstantia *personae, quae peccando laeditur,* si forte haec laesio inducit laesionem honoris divini, juris tertii, reverentiae specialis vel amoris ipsi personae laesae debiti. Ita: laesio clerici; laesio castitatis cum persona Deo sacrata vel voto ligata; item cum persona cognatione conjuncta; odium contra proxime cognatos; inductio ad peccatum erga personam cui spiritualis cura ex officio debeatur.

4) Circumstantia *loci,* quando sacrilegium per hoc inducitur.

5) Circumstantia *temporis,* 1) si ipsum tempus ratio est, cur actio posita prohibita fuerit, v. g. ludi publici in die Parasceves; 2) si specialis injuria contra Deum additur, v. g. si quis statim post S. Communionem sumptam turpe peccatum committat; alioqui sola *diei* Communionis vel Dominicae circumstantia non censetur mutare, sed aggravare specificam malitiam.

6) Circumstantia *finis,* qui in se sit graviter peccaminosus.

806 4. Poenitentes, qui in circumstantiis id bene distinguere non possunt, quid speciem mutet, docendi sunt, ut ea exprimant, quae peccati malitiam multum augeant vel diminuant: cetera suppleat confessarius.

Verum confessarius habet jus interrogandi ea, quae, etsi non ad integritatem, tamen ad rectum judicium de statu poenitentis ejusque obligationibus necessaria esse duxerit: cui respondet obligatio poenitentis respondendi. Id imprimis valet de iis, quae spectant *consuetudinem* peccandi, *relapsum, occasionem proximam;* saepe etiam, quam-

quam non eâdem prorsus necessitate, de aliis circumstantiis notabiliter aggravantibus id valet. — Cf. *Theol. mor.* n. 307 sqq.

807 5. Defectus igitur sinceritatis in confessione committitur praecipue vel tacendo aliquid quod per se necessario aperiendum sit, vel falso negando id quod utcunque confessarius jure suo interrogaverit. In utroque idem committitur sacrilegium. Universim graviter peccat:

1) qui peccatum grave necessario declarandum reticet vel negat;

2) qui peccatum grave falso sibi imponit;

3) qui peccatum recenter commissum aut expresse aut aequivalenter fatetur ut peccatum antiquum jam antea declaratum, v. g. sub formula illa consueta: „Dein accuso me de peccatis praeteritae vitae"; aliud est, si in dubio relinquit, utrum sit peccatum recens an antiquum;

4) qui consuetudinem, relapsum, occasionem, de qua confessarius interrogat, falso negat, aut hanc declarationem, ne a confessario petatur, studiose declinat: quod intellige, si agitur de consuetudinario, recidivo, occasionario in sensu theologico, de quo infra.

6. Qui vero mendacium committit *in re levi,* per se graviter non peccat, si modo de aliis peccatis certo gravioribus verum dolorem afferat. Sed ejusmodi mendacia peccatum grave evadere possunt a) e falsa conscientia, b) ex eo, quod poenitens tantummodo alia venialia peccata accusat, quorum detestatio et odium per mendacium illud facile revocari potest.

Similiter, qui declinat responsum in re, quam confessarius non jure interrogat, aut non peccat cum quadam restrictione loquens aut, si cum mendacio respondet, per se venialiter tantum peccat: e. g. si poenitens negat peccatum antea commissum, sed jam confessione deletum, quod neque nunc poenitentem consuetudinarium vel recidivum facit; nam quum confessarius ad hanc confessionem jus non habeat, poenitens jure negare potest cum restrictione non pure mentali; etsi plerumque melius est, sincere id fateri, quod re factum est.

§ 3.

De peccatis dubiis.

809 Antequam statuatur, num et quando dubia peccata accusanda sint in confessione, varia dubia explicari vel eorum notiones in memoriam revocari debent.

1. Dubium versari potest aut a) circa actus peccaminosi exsistentiam, aut b) circa ejus gravitatem, aut c) circa illius confessionem institutam, aut d) circa eam circumstantiam, num sit peccatum post baptismum commissum, seu circa valorem baptismi peccatum praecedentis.

2. Dubium distinguitur aut negativum aut positivum, idque aut ex utraque parte, aut ex alterutra parte tantum. De quibus confer omnino, quae (P. I.) dicta sunt n. 37.

His praenotatis sint haec principia:

1. Peccatum, *pro* cujus exsistentia vel gravitate *non* habetur fundata ratio positiva; aut *contra* cujus exsistentiam vel gravitatem habetur fundata ratio positiva, etiamsi *pro* illa etiam fundata ratio ha-

beatur: non est necessario seu ex obligatione accusandum. Peccatum vero, *pro* cujus exsistentia vel gravitate fundata ratio positiva habetur, etsi non convincens, *nulla* autem vel levis ratio *contra* illam, accusari debet.

Aliis verbis: *Peccatum utrimque negative dubium, aut utrimque positive dubium, aut negative dubium ex sola parte affirmantis culpam, non necessario accusatur; accusandum est, si est positive dubium ex sola parte affirmantis culpam.* — Id tamen discrimen nota, si constet de actu peccaminoso, dubitetur de subjectiva malitia gravi ex parte advertentiae vel consensûs, tum generatim ex habituali poenitentis statu rem definiendam esse, ita ut qui laxâ utatur conscientiâ, confiteri debeat, qui omnino timoratâ, magis qui scrupulosâ, a confessione sit impediendus, qui medium teneat, hortandus quidem, sed non obligandus sit ad confessionem hujus dubii peccati. — Sed si tandem ut dubium aliquis bona fide confessus sit id, quod postea pro certo cognoscat, ad repetendam accusationem nequit obligari.

810 2. *Peccatum, de cujus gravitate constat, de cujus peracta confessione dubitatur, accusandum est, nisi satis probabiliter positive probetur, confessionem esse peractam.* — Nam quum constet de obligatione commissa peccata confitendi, poenitens probare debet, se satisfecisse; verum quaslibet obligationes, ut humano modo procedatur, sic interpretari debemus, ut sufficiat *probabilis* impletae legis probatio. Quare ille, qui diligens erat in excutienda conscientia et instituenda confessione, si postea non recordetur, se hoc et illud peccatum accusasse, id tamen praesumere debet.

811 3. *Peccata, quae post baptismum probabili quidem sed dubio modo susceptum commissa sunt, in sacramentali judicio accusari debent.* — Ita S. Sedes constanter tenuit et declaravit, quando agitur de reconciliatione hominis christiani acatholici, qui propter dubium baptismum conditionate rebaptizetur, eum scilicet omnia suae vitae peccata *integre* confiteri debere. Sic anno 1715 et recenter 17. Dec. 1868 ad Epp. Angliae. Vide decreta et theoreticam rei explicationem in *Theol. mor.* n. 320—322[1].

Ordo autem, quo singulae actiones fieri debeant, non est ita severe praescriptus; videlicet *confessio* antecedere vel sequi potest baptismum, *absolutio* tamen (post summariam accusationem resumptam) baptismum debet sequi: ita ex responso S. Officii mense Nov. 1875.

§ 4.

De peccatis oblivione sive alio inculpabili modo omissis.

812 Quamquam per se *omnia* peccata gravia post baptismum commissa accusari debent, tamen facile accidere potest, ut homo actuum suorum obliviscatur. Neque id aeternae saluti consequendae necessario obest. Quare Concilium Trid. sess. 14 cap. 5 scite dixit „oportere a poeni-

[1] Aliqui tamen, ut D'Annibale *Summula* III. 164, hanc integre confitendi necessitatem etiamnunc restringunt in aliis locis ad eos casus, in quibus prior baptismus quasi moraliter certo validus erat.

tentibus omnia peccata mortalia recenseri, *quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent*". Quod si fit, habetur confessionis integritas *formalis;* si omnia accusantur, quae re ipsa commissa sunt, dicitur integritas objectiva seu *materialis.*

Sine materiali integritate haberi posse integritatem formalem, etiam extendi debet ad quasdam alias causas legitimas, de quibus postea fusius sermo erit.

Ejusmodi autem peccata, quae ad formalem integritatem non spectant, in confessione inclusa esse intelliguntur, atque saramentali absolutione delentur, non directe quidem, sed indirecte.

Sed quia illa peccata non sunt *judicialiter* remissa *per se,* propterea postea si memoriae occurrunt, accusari debent: quae obligatio suspensa, sed non exstincta erat.

Haec accuratius definiuntur sequentibus principiis:

1. Peccata gravia oblivione omissa sunt et manent materia confessionis *necessaria,* seu obligatio confitendi objectiva eadem manet, atque antea fuit.

Huc spectat thesis XI ab Alex. VII. damnata: „Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere."

2. Haec obligatio autem neque ratione sui „quam primum" urget, 813
neque ratione Eucharistiae nunc sumendae statim impleri debet.

Ita saltem quoad peccata oblivione omissa S. Alphonsus n. 257 tenet; quam sententiam, utut contra quam plurimos antiquiores scriptores, sequi nobis licet; suadendum tamen *generatim* est, ut fideles, si ante S. Communionem peccati adhuc recordentur atque commode iterum confiteri possint, id majoris tranquillitatis causa faciant. Confessarius autem non satisfacit muneri suo peccatum hoc audiens tantum, nisi etiam absolvat, quia ut absolvatur directe, propterea accusandi obligatio est.

3. Si quaeritur, quando non solum consilii sit, sed plane oporteat eam obligationem impleri: dici debet, eam saltem exsistere 1) ratione periculi mortis, 2) etiam ratione alterius confessionis quae instituatur sive libere sive ex obligatione, ita ut in prima confessione quae fiat omnia peccata omissa debeant declarari, nisi forte etiam tum causa legitima excusans adsit.

Articulus II.

De causis ab integritate confessionis excusantibus.

I. Ut ea, quae praecedenti articulo postremum exposuimus, com- 814
pleantur: necessarium est, eas rationes videre, quae legitimae sint, cur peccatum aliquod in confessione omittatur. Universim haec teneri debent:

1. *A confessione integre peragenda nunquam excusat difficultas, quae dicitur confessioni interna sive insita, i. e. pudor et verecundia, etsi solummodo quoad praesentem confessarium adest:* quare aut confessio, si fieri potest, differenda est, aut alius confessarius adeundus, aut pudor pror-

sus vincendus. Id satis innuit Trid. sess. 14 cap. 5, quum „confessionis difficultatem ac peccata detegendi verecundiam“ negat ita gravem esse, ut a lege divina excuset. Cf. etiam Gury n. 497.

2. *Generatim excusat ea difficultas extrinsecus exorta sive per accidens cum confessione conjuncta, quando integra confessio impossibilis moraliter evadit seu grave omnino damnum poenitenti aut confessario causatura est:* qua difficultate cessante, lex integrae confessionis reviviscit.

815 3. *Ejusmodi difficultates autem recensentur sequentes:*

1) *extrema necessitas,* in qua pro circumstantiis sufficit quodlibet externum signum; praecipua cura tunc habeatur de *dolore,* si moribundus ratione et sensu adhuc pollet; alioqui properet sacerdos ad dandam etiam *extremam unctionem;*
2) *defectus loquelae,* sive ex ignorantia idiomatis, sive ex inopia facultatis loquendi; quare tum, qui nolunt adhibere interpretem, vel respective scriptionem, declaratis quantum possunt per signa peccatis, aliquoties absolvendi sunt;
3) *defectus temporis,* e. g. si milites pergere debent ad pugnam;
4) *periculum vitae,* si ex diuturna confessione contagionis periculum oritur; tunc enim post verum aegroti dolorem confessarius, auditis aliquot peccatis, confessionem succidat;
5) *periculum famae,* quando apud alios etiam praeter confessarium poenitens se prodere deberet: v. g. si sacerdos delaturus est Viaticum aegroto jam confesso quidem, sed sacrilege, qui nunc sincere dolet, sed longam debet retexere confessionem;
6) *periculum lapsûs seu scandali,* sive pro poenitente sive pro confessario juste timetur; sic accidere potest, ut in peccatis turpibus poenitens excusetur a diuturniore examine, confessarius ab interrogatione accuratiore. Sed si *confessarius* tam labilis est, nisi id sit in singulari casu per accidens, potius munere suo abdicare debet;
7) *periculum laesionis sigilli:* si e. g. — quod vix continget — confessarius praevideatur sigillum laesurus; aut si confessarius *suam* confessionem facere non possit, nisi alterius poenitentis peccatum indicet sive sigillum violet.

816 II. Specialis difficultas movetur circa confessionis integritatem, si ex ea alterius diffamatio apud confessarium oritur: num videl. haec etiam sit causa excusans ab integritate. Aliis verbis haec quaestio proponitur, num possim vel debeam peccatum confiteri, quod confiteri nequeam sine complicis apud confessarium diffamatione.

In qua re breviter haec nota:

1. Omnes consentiunt, si alius confessarius adiri possit, cui complex ignotus sit et maneat, apud *eum* confessionem esse instituendam, ut et lex integre confitendi, et fama proximi servetur.

2. Si peccatum, quod sine complicis notitia danda non possit declarari, non sit materia necessaria confessionis, non licet cum dispendio alienae famae illud peccatum declarare: nisi forte rationabilis utilitas poenitentis ex declaratione peccati sequatur et ex altera parte de complicis peccato ita gravi non agatur.

3. Si nihilominus haec illicita complicis manifestatio apud unum confessarium fiat, id grave peccatum ex se non esse, prorsus probabile est. Nam etsi permulti auctores id pro gravi habeant, tamen ex iis, quae de octavo decalogi praecepto circa diffamationem dicta sunt, contrarium concluditur.

4. Hinc etiam sequitur, causam mediocriter gravem utilitatis vel necessitatis ab omni prorsus culpa excusare; atque etiam obligationem potius alterum confessarium quaerendi, cui complex ignotus sit, non cum gravi incommodo urgere.

5. Si ergo necessarium vel utile fuerit facere confessionem apud sacerdotem, cui complex ex commissi peccati declaratione cognitus fit: et poenitentes generatim docendi sunt, ut nihilominus integre confiteantur, neque confessario abstinendum erit ab opportunis interrogationibus quibus statum poenitentis perspectum habeat.

6. Si quis vero poenitens in theologia versatus ipse sibi conscientiam fecerit secundum aliam opinionem, confessarius certe hoc ipsi permittat neque importunus sit apud eum suis interrogationibus, si forte ejusmodi causam subesse suspicari debeat.

7. Quae de complice dicta sunt, fere transferri possunt ad casum, quo aliena persona ansam dedit peccato vel objectum peccati fuit, si sine illius crimine indicato poenitens *sua* peccata gravia rite declarare nequit.

8. Ab hac causa, in qua complicis peccatum indirecte manifestatur, 817
prout proprii peccati integra confessio id postulat, toto coelo distat nominis complicis inquisitio, ut complex corripiatur. Quod *per se illicitum* esse, et natura instituti sacramentalis tribunalis, et positivae leges SS. Pontificum probant.

Hac de re Ben. XIV. plures Constitutiones edidit, quas Pius IX. in Constit. „*Apostolicae Sedis*“ confirmavit. Videlicet sub excommunicatione Romano Pontifici reservata prohibetur *doctrina,* quasi licitum sit passim a poenitente sub poena negandae absolutionis extorquere nomen complicis, quo ille corripi possit; idque in praxim deducere prohibetur sub poena ferendae sententiae suspensionis ab audiendis confessionibus aliisque pro arbitrio ecclesiastici judicis infligendis.

Attamen, quamquam per se nomen complicis inquiri non licet, possunt ejusmodi esse adjuncta, in quibus id sane liceat atque adeo sub poena denegandae absolutionis complicis manifestatio exigi debeat. Nimirum si confessarius simul alio munere, ut *Superioris,* fungitur, propter quod poenitens obligetur, ad ipsum auctores et complices peccati communi bono contrarios corrigendi aut puniendi causa deferre. Quod si obtinet, confessarius non qua confessarius, sed qua Superior notitiam complicis sibi dandam jure exigit. — Imo in illo casu, in quo poenitens propter commune bonum denuntiationem complicis facere debet, confessarius quilibet per se exigere debet, non quidem ut sibi, sed ut Superiori denuntiatio fiat. Quare si poenitens ex justa causa mavult per confessarium denuntiationem facere, sine dubio complicis nomen excipere potest; imo exigere, ut aut per se aut per alterum aut immediate denuntiatio fiat, etiam sub poena denegandae absolutionis pro re nata prorsus debet. Expedit vero, ut extra confessionem, quantum commode fieri possit, haec denuntiatio excipiatur; imo ut

detur notitia sigillo sacramentali non clausa, exigendum est. Cf. Lugo disp. 16 n. 432 seq., Ball. not. ad Gury II. 502.

Ad ejusmodi circumstantias Ben. XIV. ipse referre videtur, quum damnatam praxim describens dicat: „opiniones falsas et erroneas sequendo, *vel veras et sanas male applicando,* perniciem tam suis, quam poenitentium animabus consciscunt".

NB. Quomodo in peccato reservato, quando legitimus confessarius desit, integritas objectiva non sit necessaria, colliges ex iis, quae dicturi sumus infra n. 855 seq. *(de cas. reserv.).*

Cf. *Theol. mor.* n. 327—340.

Articulus III.

De mediis ad integritatem confessionis procurandam necessariis.

§ 1.

De examine conscientiae praemittendo.

818 Medium per se unicum hac in re est, ut ex parte hominis instituatur sufficiens propriae conscientiae discussio. Cujus obligatio non-nihil explicari debet.

1. *Requiritur per se sub gravi examen serium et diligens,* i. e. talis diligentia, qua in negotio gravi homines uti solent; non vero requiritur exquisita diligentia, quae confessionem nimis molestam et odiosam reddat, neque haec necessaria est, etsi aliquis addendo horas ad horas in examine judicat se accuratius etiam omnia sua peccata cogniturum esse.

2. *Diligentia igitur necessaria diversa est pro diversis poenitentium conditionibus,* scilicet:

1) pro *habituali vitae puritate:* quare qui moraliter certus est, se ab ultima confessione rite instituta peccatum mortale non commisisse, severe non tenetur ad aliud quam ut sufficientem materiam praebeat, de qua vere dolorem conceperit;

2) pro *temporis diuturnitate,* quod ab ultima confessione percurrendum est, absolute quidem longius, relativâ proportione tamen brevius tempus impendendum est;

3) pro *diverso ingenii acumine:* quare homines rudes non tantopere recogitare omnia debent, ut homines bene instructi; id enim iis impossibile est;

4) pro *diversa corporis valetudine,* ita ut infirmi seu graviter aegroti a conatu et virium contentione abstinere possint et debeant, postea, si supervixerint, suppleturi.

Hinc fit etiam, ut confessarius ipse possit et debeat defectum examinis in hominibus rudibus non raro supplere, neque facile debeat eos remittere, si modo *aliqualem* diligentiam adhibuerunt. Imo etsi defectu examinis vere peccassent, si confessarius tamen sibi dicere debet, se paucis interrogationibus id posse perficere, quod poenitens sibi relictus longo tempore: inutiliter eum remittet, sed studeat eum disponere ad dolorem de negligentia, et dein ipse ulterius examinet.

3. *Ut autem graviter peccetur examinis defectu, poenitens id etiam* 819
ut gravem defectum advertere debuit. Quod non ita facile evenit. Regulas aliquas practicas hac de re a Reuter, Mazzotta, Sporer etc. datas accipe:

Reg. 1. Qui conscientiâ neque nimis strictâ neque nimis laxâ utens post sui discussionem remorsum conscientiae clamantis seu „latrantis" non sentit quasi de culpabili negligentia, potest quietus esse.

Reg. 2. In *dubio* de negligentia gravi aut levi commissa, qui post institutam confessionem reperit, se plura peccata mortalia omisisse quam dixisse, *gravis* negligentiae reus est habendus; si multo plura confessus est, quam omisit, non gravem negligentiam commisisse censendus est.

Reg. 3. Qui, ab una alterave hebdomada confessus, numero incerto et dubio accusat peccata externa palpabilia, e. g. ‚ter quaterve commisi fornicationem', gravem suspicionem ingerit de negligentia examinis graviter culpabili.

4. Quo melius examen perficiatur, aliquem ordinem poenitens sibi 820
praestituere debet, sc. ut secundum ordinem decalogi, praeceptorum Ecclesiae et peculiarium statûs obligationum perpendat, quaenam peccata commiserit, in mentem revocando singula tempora (maxime extraordinarios dies etc.), loca, consortia, attendendo ad opera, verba, internos affectus.

Sporer n. 365 ex Gobat n. 498 approbans affert compendiosam praxim examinandi conscientiam a longiore tempore v. g. aliquot mensium vel medii anni pro eo, qui vitam potius uniformem egit: „ut nimirum poenitens consideret tria tempora 1) unum diem ferialem, quid in illo fecerit, 2) unum diem festum simili modo, 3) tempora extraordinaria itinerum, negotiorum, nuptiarum, conviviorum, occasionum etc."

Qui a brevi tantum tempore instituturus est examen, consideret cogitationes, verba, opera in ordine ad Deum, proximum, semetipsum.

Ceterum vide infra aliquam methodum, secundum quam confessarius in examinanda conscientia poenitentem juvare possit, praecipue eum, qui a longo tempore confessus non sit, aut generalem confessionem velit instituere.

§ 2.

De confessionum repetitione et de confessione generali.

Confessiones, in quibus defectus aliquis commissus est, aut sunt 821
invalidae aut incompletae tantum. Si incompletae tantum erant, sed validae, compleri debent, non repeti; si vero invalidae fuerunt, repeti debent, at pro confessarii diversitate diverso modo.

1. Obligatio *repetendi confessiones imponenda non est, nisi moraliter certo de earum nullitate constat;* consilium vero dari potest secundum regulas de confesssione generali n. 3. et 4. notandas. S. Alph. n. 505 *„cum communi sententia".*

2. *Haec repetitio ex integro fieri debet, si instituitur apud diversum confessarium:* si vero apud eundem fit, apud quem prius confessiones

institutae erant, integritas quidem, si deerat, distincta accusatione complenda est, circa reliqua peccata autem sufficit, ut confessarius retinuerit aut nunc resumat confusam de statu poenitentis notitiam, quam paucis omnino interrogationibus consequi potest: S. Alph. n. 502.

822 3. Confessio igitur generalis, quae est aut omnium aut multarum confessionum repetitio, aut necessaria est, aut utilis tantum, aut nociva: si necessaria, praecipienda est; si utilis, aliquoties consulenda; prohibenda, si nociva est.

4. *Praecipienda* est, si confessiones praeteritae moraliter certo nullae erant. *Utilis* et consulenda ex duplici causa esse potest: 1) si de nullitate confessionum non constat quidem, tamen grave dubium est propter frequentem relapsum similesque rationes; 2) si de valore quidem priorum confessionum prudenter dubitari nequit, attamen in specialibus adjunctis seu vitae conditionibus homo sese ad majorem fervorem in divino servitio disponere vult. — *Nociva* autem est apud eos poenitentes, qui, si recogitarent praeteritam vitam, aut periculum lapsûs sibi crearent, aut conscientia nimis stricta in anxietates et perplexitates conjicerentur; quare tunc, *nisi omnino constat* de priorum confessionum nullitate, nulla repetitio permittenda est, si vero de nullitate certo constat, cum moderata cura et sub confessarii prudentis auxilio repetitio instituì debet, et examen postea prorsus interdici.

823 5. In confessione generali non necessaria confessarius omnino leviore cura in interrogationibus contentus esse potest; imo etiam poenitentem monere expedit, *obligationem* omnia peccata accusandi non adesse. Attamen, si tandem ille vult generalem confessionem facere, confessarius etiam cavere debet, ne nimis properet, quum poenitentes tali modo securi non reddantur. Et quamquam saepe celerius res peragitur, si confessario totum negotium interrogando licet absolvere, tamen videri debet, placeatne ita poenitenti, atque huic semper opportunitas danda est dicendi, quae ipse examinando invenerat et memoriâ tenet.

6. Expedit igitur, ut confessarius, antequam confessionem generalem excipiat, cognoscat causam quae poenitentem impulerit. Dein, praesertim si est causa necessaria, confessarius animet poenitentem, idque in decursu confessionis aliquoties, ad magnam sinceritatem, atque plane caveat ab ullo admirationis signo edendo; imo saepe potius convenit ostendere, magis esse mirandum, quod non plura et graviora peccata occurrerint.

7. Duplex est methodus quoad ordinem in recensendis vel examinandis peccatis, prima ut omnino procedatur secundum ordinem decalogi, altera ut incipiatur a peccatis quae manifestatu difficiliora sunt et quorum pudet poenitentem, ne hunc angorem atque torturam diutius debeat sustinere. Verum e contrario etiam considerari debet, alios in decursu confessionis facilius ferre peccati etiam probrosi accusationem quam ab initio: quare confessarius viderit, quid in singulis confessionibus magis putet expedire.

824 Equidem hîc exhibeo interrogatorium, alteram illam methodum secutus.

Multa quidem pro circumstantiis relinquo supplenda[1]: multa etiam ex responsis acceptis a poenitente saepe evadent superflua. Interrogationes exhibeo tantum de speciebus, id supponens, de numero ubique etiam interrogandum esse, quoties sc. aut absolute, aut in mense, hebdomada, die. Incipio igitur a sexto praecepto.

In juventute forte seductus (a) es? — qua aetate? tactus, an pejora? cum puellis an pueris? tecum ipso? (sequelaene aderant, vel: tibine satisfecisti, vel: pollutio? in feminis, nisi ipsae clarius rem exprimant, saepe sufficit: ‚valdene excitata eras'?)

[NB. Postquam confessarius in genere cognoverit, usque ad impura facta perventum esse, interroget prius de actionibus, dein de sermonibus, tum de cogitationibus, et cogitationes et sermones resumens de desideriis.] Igitur: Postea acciderunt etiam pejora? Cum altero sexu? peccatum completum? evasitne praegnans? . . . (Si negatur: scisne, unde id acciderit? an erat tale peccatum, ut praegnans evadere posset? — alioqui de onanismo, vel abortu, sed caute.) Quoties alias tactibus peccasti (obscoenis? maxime si id negatur: vel ex prava intentione, vel cum voluptate? an sine prava intentione et superficietenus tantum in superiore corporis parte supra vestes?), amplexibus et osculis (cum mora et ardore, vel cum prava voluptate?). Cum eadem persona semper? etiam cum persona cognata, matrimonio (voto) obstricta? Estne in eadem domo tecum, an saepe visitasti? vis eam matrimonio tibi jungere? Acciderintne alia tecum, si solus eras? tactus an pejora? tunc etiam alia desideria? An aliud quid accidit? cum sodalibus pravis conversatus es? . . . (ut explicetur, si quid actum est cum eodem sexu.) Etiam postea de male gestis gavisus es eaque approbasti?

Alias etiam inhoneste locutus es? *sermones* miscebas? (de altero sexu?) an unum alterumve verbum tantum? idque *valde* obscoenum? sermones pravos ex prava libidine et intentione vel saltem cum scandalo praeviso, coram pluribus? an cum intentione seducendi, coram quot? (Si poenitens est matrimonio junctus: coram personis solutis? si negat: erantne sermones valde obscoeni? vel ex prava intentione?)

Quoties alias pravas cogitationes fovisti voluntarie (cum pravis motibus vel libidine, de altero sexu? . . .) — Quoties inter sermones et cogitationes processisti ad desideria? cujus rei? in quasnam personas? cognatas, matrimonio junctas? . . .)

(Si poenitens matrimonio junctus est): Etiam post matrimonium aliquid accidit? . . . prava desideria in alienas personas? . . . in matrimonio christiano more vixisti? (contra finem matrimonii? sed non semper interrogandum) si uxor est: virone obsecundas? (debitum conjugale non negasti?)

An nunc omnia peccata contra sanctam puritatem dixisti? Cogita, num quid te remordeat. Fortasse non amplius poteris confessionem generalem denuo instituere.

I. *praec.* An contra fidem voluntarie dubitasti? dubia aliis communicasti? Aliter contra fidem egisti, locutus es? coram pluribus vel quot? eosve seduxisti? Contra religionem et sacerdotes locutus es? Aliorum sermones audivisti, approbasti, promovisti? Pravos libros et ephemerides (contra fidem, an mores?) emisti, legisti, aliis legenda dedisti vel permisisti?

An unquam desperasti de salute et divina misericordia? . . . Praesumens de divina misericordia peccasti, in peccatis perseverare proposuisti?

---

[1] Si quis longiorem peccatorum catalogum desiderat, eum habet apud Lacroix l. 6 p. 2 n. 980—1140; Tambur., *meth. confess.* lib. 2 cap. 1—9 incl.

An superstitionem exercuisti? sortilegos adiisti? serio? (magnetismus? tabulae rotantes . . .) — Sacris rebus abusus es, vel irreverenter eas tractasti? Sacramenta indigne suscepisti? (. . . etiam extr. unctionem, matrim., confirm.)

II. Blasphema verba protulisti? (etiam mente blasphema?) — maledicta in alios congessisti? verba sacra cum ira in Deum dixisti? Contra Deum divinasque ordinationes iratus vel non contentus fuisti? idque manifestasti? Falsone jurasti? aut cum dubio periculove pejerandi? (consuetudo?) in judicio, et cum alieno damno? — Fecistine aliquod votum, quod non impleveris?

III. Diebus dominicis et festis semper totum Sacrum audisti? In ecclesia scandalose non egisti? Sine necessitate serviles labores exercuisti (diu? coram aliis?) — Expendantur et explicentur causae excusantes.

IV. Parentes suntne superstites? Graviterne eos offendisti? inobedientiâ vel frequenti vel in rebus gravibus? (contra eorum praeceptum familiaritatem cum altero sexu fovisti, periculosa consortia adiisti?) ex animo eos contempsisti? cum contemptu iis respondisti? ad gravem moerorem commovisti? injuriosis et asperis verbis eos allocutus es? iis maledixisti idque serio vel ipsis audientibus? . . . eorumne te puduit? curam eorum in necessitatibus habuisti? ultimam eorum voluntatem implevisti?

In famulatu heris fidelitatem servasti? non contemptim et asperis verbis eos gravi injuria affecisti? secreta non revelasti? famam apud vicinos non laesisti? An in rebus prohibitis obedivisti? In domo aliis, praesertim liberis, scandalo non fuisti? — (Similiter interroga de aliis Superioribus, num eos offenderit, et quare.) — (Ipsos heros vel Superiores vero): Curam famulorum egisti? malos famulos expulisti — vel si forte sat gravis causa eos retinendi fuit, cohibuisti et innoxios reddidisti? nil mali eis permisisti? eos ad officia religionis implenda induxisti?

(Parentes ipsi interrogandi): filiis providisti? correxisti et punivisti, cum prudentia tamen et sine ira? pueros non una dormire permisisti cum puellis? Scivistine semper, ubi et cum quibus conversarentur? Eos in religione et oratione ad Deum et B. Mariam V. instituisti? ad scholas pravas non misisti? Adultis non permisisti familiaritatem periculosam cum diverso sexu? si matrimonium intendunt, num solum cum sola esse permisisti? Nunquam coram liberis liberius locutus es? in nulla re scandalo eis fuisti? Cum conjuge pacifice vixisti? etc. . . .

V. Nunquam ira te abripi sivisti? Maledicta protulisti? Mala optasti proximo? ex animo? gravia? De aliorum malis gavisus es? Invidiam fovisti? Malum intulisti, aut inferre inferrive voluisti? Rixa? Ebrietatem incurristi? plenam? in eo statu mala perpetrasti, aut facere consuevisti? officia tua et familiae curam propterea neglexisti? (Occasio, consuetudo!)

VII. Proximum in re nulla laesisti? in emendo et vendendo? (Damnum, furtum? Num restituisti? facere saltem proposueras? cur nondum? . . .)

VIII. In re gravi mentitus es, cum damno alieno? Aliis detraxisti (quod narraveras, eratne falsum an verum? ignotum an notum?) coram pluribus? Aliorum sermones diffamantes approbasti auscultando et promovisti? . . . Secutane sunt alia damna? (Restitutio famae etc., et causae excusantes.) Temeraria judicia gravia voluntarie fovisti? cum aliis communicasti?

Praecept. Ecclesiae. Jejunia ecclesiastica servasti? (Cur non . . . edoceantur —) abstinentiam a cibis vetitis (carnes, carnes et pisces simul?) — (De Communione paschali et annua confessione fere aliunde constabit.).

Quaedam de vitiis capital. et peccatis alienis. Valde superbe cum aliis egisti? Pauperes dure et aspere repulisti? (Beati misericordes! . . .) Avarus divitiis inhiasti vel anxie possedisti? — De peccatis te jactasti? de quibus? — Aliis peccata suasisti? laudasti? mandasti? quum facile posses, non impedivisti?

Spectacula, choreae etc.? Ornatus muliebris inhonestus? ex prava intentione? aliave industria alios pelliciendi?

Obligationes statûs? . . . . Cogita paululum, num aliud quid habeas, quod conscientiam mordeat. Fortasse ultima confessio erit. Dein seria exhortatione et subjectis motivis poenitens ad contritionem peccatorum inducatur et propositum cavendi abhinc ab *omni* peccato saltem mortali.

Caput III.

Satisfactio.

Sacramentum Poenitentiae institutum est non solum ad remittenda, 825
sed etiam ad punienda peccata. Verum haec ipsa punitio ad id tendit, ut faciliore et efficaciore modo deleatur poena temporalis, quae plerumque post remissam *culpam* a peccatore solvenda restat, sive his in terris per poenalia opera, sive post hanc vitam in purgatorio. Opera enim in sacramento injuncta ex opere operato accipiunt majorem vim satisfactoriam, quam proprio arbitrio assumpta. Hinc est, quod satisfactio ipsius sacramenti pars dicitur, quae effectus sacramentales compleat atque integros reddat.

Summa doctrina circa obligationem confessarii poenitentiam imponendi, et obligationem poenitentium eam implendi hisce capitibus continetur:

1. *Tenetur confessarius in qualibet confessione, si poenitens poenae solvendae capax est, poenitentiam imponere aliquo modo gravitati et qualitati criminum proportionatam.* Trid. sess. 14 cap. 8. Quae tamen proportio, si *multa* adsunt peccata mortalia, sensu *omnino lato* sumi potest, ita ut sane non pro numero peccatorum poenitentia augeatur.

„Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.“

2. *Haec obligatio imponendi poenitentiam pro peccatis mortalibus nondum vi clavium remissis per se gravis est; atque ipsa illa poenitentia communiter res seu materia simpliciter gravis esse debet.* S. Alph. n. 506, idque prorsus ex verbis Trid. citatis sequitur. Et quamquam per se optimum est opera vitiis contraria imponere, tamen quodcunque opus bonum imponi potest, imo etiam opus jam aliunde praeceptum, ut Missa die Dominicâ audienda: hoc modo saepe poenitentia aliter nimis parva aliquatenus suppleri potest. — Ceterum gravis materia hîc ea est, quae fuerit gravis in lege ecclesiastica, v. g. recitatio rosarii 5 decadum, litaniae omnium Sanctorum cum precibus, et similia.

3. *Pro peccatis venialibus vel qualibet materia confessionis libera ob-* 826
ligatio quidem imponendi poenitentiam adest, at venialis tantum: ib.

4. *Pro peccatis venialibus seu materia libera confessarius, sive levem sive gravem poenitentiam injungit, eam sub gravi injungere nequit:* pro peccatis gravibus vero, si materiam levem injungit, etiam *tantum potest sub levi* injungere, si gravem, ea *sub gravi* per se injuncta est, potest nihilominus, si id expresse manifestat, eam *sub levi* injungere: quod ultimum raro tamen expedit. S. Alph. n. 517 et 518.

827 5. *Sunt autem complures causae, quae excusant, ne confessarius teneatur sive proportionatam, sive simpliciter gravem poenitentiam injungere: quae revocantur fere ad moralem quandam poenitentis impossibilitatem, aut ad ejus notabile bonum spirituale, quod ex mitiore poena injuncta oriatur.*

Videlicet: 1) casus gravioris morbi (moribundo vel levissima invocatio nominis Jesu, vel pro adjunctis nihil injungendum est); 2) iteratus reditus poenitentis anxii, ut denuo afferat materiam oblivione omissam (quo in casu etiam opera antea injuncta sic injungi possunt, ut valeant etiam pro poenitentia sacramentali novorum peccatorum). — Dein rationes, cur poenitentia simpliciter gravis quidem sit, sed minor quam numerus peccatorum alioqui mereatur, esse possunt: 3) magna contritio; 4) occasio jubilaei vel plenariae indulgentiae; 5) timor, ne poenitens acceptatam poenitentiam postea ex infirmitate spiritûs omittat; 6) fundata spes minore poenitentiâ poenitentem alliciendi ad frequentiorem usum sacramenti cum majore fructu spirituali; 7) tandem voluntas confessarii in se loco poenitentis partem satisfactionis assumendi, vel spes ipsum poenitentem mitiore poenâ *injuncta* perducendi ad majora opera *sponte* praestanda.

Ceterum secundum hodiernam Ecclesiae disciplinam confessarius non facile id committere debet, ut propter poenitentiam, quam poenitens sibi graviorem putet, eum sine absolutione dimittat, si modo bonam voluntatem in poenitente deprehendat. Melius enim est eum mittere in purgatorium, quam desperatione in gehennam detrudere. Quamquam rationabilem poenitentiam detrectare poenitenti sane non licet.

828 6. *Poenitens tenetur ad implendam poenitentiam acceptam, ita ut graviter peccet, si culpabiliter notabilem poenitentiam ejusve notabilem partem sub gravi obligantem omittat, aut diuturna dilatione ejus impletioni grave dispendium inferat.* S. Alph. l. c. — Gravitas autem per se aestimanda est secundum normam legis ecclesiasticae, ut supra dictum est. *Dilatio* gravis esse potest ex duplici causa: 1) quod inducatur periculum oblivionis vel impossibilitatis; 2) quod poenitentia ipsa determinato tempore imposita notabiliter diminuatur. Sic qui post mensem jussus redire ad sacramenta, id ad 2 vel 3 menses differt, certe graviter contra intentionem confessarii agit; non ita ille, qui loco 6^{tae} Dominicae 7^{mâ} redeat. Aliae circumstantiae aggravantes prudenti judicio aestimandae relinquuntur.

829 7. *Aliud est detrectare poenitentiam, aliud rogare, ut minuatur. Posterius licet poenitenti, si sibi videatur gravior.* Generatim confessarius levare potest poenitentem eo quod 1) ad quaedam opera aliunde nondum debita adjungat pro poenitentia ea, quae jam aliunde debita sunt, vel 2) dicat poenitenti, licere omnino, injuncta opera — si de precibus quidem agitur — absolvere etiam tempore Missae dominicalis. Si vero

confessarius nolit acquiescere, poenitens vero gravem causam habet: hic absolutionem quidem recipere non potest, potest tamen nova instituta confessione integra tentamen apud alium confessarium facere. — Si quis poenitens autem acceptam poenitentiam postea experiatur sibi graviorem, *commutationem* rogare potest. Quae commutatio fieri potest a quolibet legitimo confessario — nisi agatur de poenitentia propter peccatum reservatum imposita — at solummodo vi absolutionis sive *paulo antea datae*, sive postea *dandae:* repetitio confessionis non requiritur, sed sufficit *statum poenitentis* cognovisse, vel etiam solum poenitentiam, si commutatio fiat in opus fere aequale. Cf. *Theol. mor.* n. 365 et 366.

8. Qui poenitentiae impositae non amplius recordatur, debet, si de gravi re agitur, ad confessarium redire, si hoc non est ita difficile atque supponi potest, confessarium adhuc recordari: alioqui — practice ergo *saepe* — ad nihil tenetur, quia repetendae confessionis obligatio non est. Optime tamen agit, si in sequenti confessione rem declaret et confusam sui statûs notitiam det confessario, quo *omissam* poenitentiam possit supplere.

Pro appendice subnectam catalogum aliquem poenitentiarum, quae utiliter 830
imponi possint. Convenit enim saepe delectum quendam eorum operum expedite mente retinere.

Jejunium (quamquam non frequenter expediet plenum jejunium imponere), vel aliquoties partem coenae vel jentaculi sibi subtrahere; abstinere a certo cibo, a vino et potu inebriante. — Aliae corporis macerationes difficilius etiam imponi, adque adeo permitti nonnisi cum magna prudentia possunt. — Expansis brachiis (privatim) aliquam orationem fundere (sed brevem, ne noceat sanitati); genibus flexis orare; mane statuto tempore statim surgere; abstinere ab inutilibus colloquiis, ludis etc.

Eleemosynam dare; invisere infirmos, hospitalia, pauperes; iis servire; humilia opera, etsi pauca, exercere.

Rosarium, litanias omnium Sanctorum, lauretanas recitare: — in honorem quinque vulnerum 5 Pater et Ave recitare — viam crucis peragere (at aliquando parcendum est vano pudori) — mane et vespere SS. Cordi et B. Virgini sese commendare recitando pauca Pater vel Ave — conscientiam quotidie excutere et contritionem elicere per certum tempus, ut per semiquadrantem — ex libris piis aliquod caput legere (e. g. ex Thoma Kempensi . . .) — meditationem aliquam instituere (saltem attente legere, et post quamlibet sententiam ruminari, e. g. de novissimis, de decalogo, de passione Domini aliisve mysteriis vitae Christi) per semihoram, vel saltem quadrantem; — actus fidei, spei et charitatis quotidie per aliquod tempus elicere — Missam devote audire — concioni interesse vel christianae doctrinae — statutis diebus ad sacramenta redire: quod si nequeat fieri, saltem die Dominica coram crucifixo sese praeparare, ac si accedatur ad Sacramenta, atque proposita bona coram crucifixo renovare cum imploratione divini auxilii (idque per spatium praescriptum, saltem horae quadrantem). — Mane et vespere quotidie renovare proposita in confessione concepta, neque superficie tenus, sed serio, atque in honorem modo SS. Cordis, modo B. Virginis, modo aliorum Sanctorum firmiter servare, implorando eorum adjutorium — ad pulsum horologii auditum per aliquod tempus oratiunculam jaculatoriam ex animo dicere (at simul indicetur poenitenti, si neglectum fuerit, postea simul toties dici posse oratiunculam, quoties omissa sit: quod etiam nota de aliis poenitentiis, quando tempus fixum fuerit).

Quae autem poenitentiae eligendae sint, pendet tum a conditione poenitentis, tum a peccatis commissis, quibus sint et poena et *medicina*. Quare convenit quidem, ut avaris et injustis eleemosyna et misericordiae opera, superbis humilitatis opus et propriae vilitatis consideratio, desidibus frequens oratio et exercitatio, luxuriosis et sensualibus mortificatio quaedam imponatur vel ad preces impositas adjungatur. Verum id etiam tene, ferventem et frequentem orationem contra quodlibet vitium esse remedium. Similiter frequens doloris et propositi renovatio, sacramentorum frequentatio contra quaelibet peccata hominem defendit. Insuper eleemosyna et misericordiae opera, teste S. Scriptura, Deum propitium reddunt, exstinguunt poenae peccatis debitae reatum atque gratiam perseverandi facilius conciliant. Quare quo debiliores sunt poenitentes aut minus ferventes ad toleranda duriora, eo magis haec leviora illis commendari et imponi debent.

Ceterum confer, quae postea dicuntur sect. III. cap. III. de remediis contra relapsum.

Sectio III.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

831 Quamquam in praecedentibus multa jam tangere debuimus, quae ministrum hujus sacramenti spectant: tamen speciali sectione ejus munera eaque gravissima porro tractanda sunt. Id praestabimus tractantes 1) de potestate confessarii, 2) de potestatis hujus exercitio 3) de muneribus confessarii accessoriis, 4) de applicatione diversarum confessarii obligationum et munerum ad diversa poenitentium genera.

Caput I.

De Potestate ministri Sacramenti Poenitentiae.

Praeter scriptores supra laudatos consuli possunt: Laymann *de poenit.* tr. 6 c. 10 et 11; Mazzotta tr. *de poenit.;* Scavini cap. *de poenit.;* Reuter, *Neoconfessarius;* S. Alph., *praxis conf.;* Tappehorn, *Verwaltung des Bussacramentes;* quam plurimi scriptores *de theol. pastoral.:* Benger, Schuech, Gassner, Amberger etc.

Articulus I.

De notione Potestatis ordinis, jurisdictionis, approbationis.

1. *Ad administrandum sacramentum poenitentiae duplex potestas requiritur, ordinis et jurisdictionis.* Nam quia *judicium* est, propterea exerceri nequit, nisi *a judice:* sed quia *sacramentum* est, propterea nequit administrari, seu cum gratia conjungi, nisi ab eo, qui ex Christi institutione ut minister instrumentalis a Christo ipso assumitur ad gratiam supernaturalem hominibus communicandam. Porro id fieri non posse nisi a *sacerdote*, qui speciali ordinatione consecratus sit, S. Scriptura et constans Ecclesiae traditio docet. Quod hic ex dogmate sumimus.

2. *Potestas autem ordinis essentialiter innititur in charactere sacerdotali*, et consistit in aptitudine, vi cujus ritus illi sacri a Christo instituti, si peraguntur, *valide* in nomine Christi, seu ut actus gratiae efficaces peragi possint. — In ordinatione igitur sacerdoti non tam datur potestas judicialiter remittendi peccata, quam potestas, qua, *si judex fuerit* et circa peccata judicare possit auctoritative, id jam facere possit *sacramentaliter*, i. e. potestas per gratiae infusionem peccata delendi.

3. *Jurisdictio vero confertur per deputationem, sive in ipso ali-* 832
quo munere hierarchico inclusam, sive specialiter collatam. Nam qui ex publico munere ecclesiastico secundum divinum jus instituto subditos habent, quos regant et judicent, eo ipso *ordinaria potestate* loco Christi in sacro tribunali jurisdictionem exercent; alii potestate a proprie dictis Superioribus communicata seu *delegata*, ita ut in exercitio potestatis et quoad liceitatem et quoad valorem ab ipsis Superioribus dependeant.

4. Quamquam ex natura rei quilibet, qui ordinariam potestatem habeat, eam alteri communicare potest: nihilominus suprema auctoritate ecclesiastica, a qua tandem omnis jurisdictionis exercitium atque valor pendet, ita constitutum est, ut nemo delegatam jurisdictionem in S. poenitentiae tribunali exercere possit — saltem quoad confessiones saecularium — nisi *approbationem* ab Episcopo acceperit. Quo factum est, ut delegatio ab iis, qui Episcopo inferiores sunt, data seu danda fere inutilis evaserit. Imo consuetudo id induxit, ut cum „approbatione" plerumque simul jurisdictio detur et dari censeatur. Nihilominus pro aliquibus casibus utramque probe distinguamus oportet. Trid. sess. 23 c. 15 *de ref.*

5. *Approbatio in se nihil aliud dicit, nisi testimonium auctoritativum,* 833
quo aliquis sacerdos declaretur aptus, qui jurisdictionem sacramentalem exercere possit. Aptitudo autem seu idoneitas tum a doctrina, tum a morum honestate sumitur. Quae aptitudo adesse debet vel prudenter existimari, ut *liceat* approbationem dare: at aptitudinis defectus approbationem, si data est, non facit irritam, sed retractandam. Cf. *Theol. mor.* n. 469—471.

Articulus II.

De jurisdictione ordinaria.

1. *Qui jurisdictione ordinaria potitur, potest subditorum suorum* 834
confessiones ubique excipere eosque absolvere: haec enim jurisdictio cum munere seu officio conjungitur illudque sequitur, atque cum eo exspirat. Trid. l. c.

2. Jurisdictionem ordinariam habet Romanus Pontifex in universam Ecclesiam, atque eam in semetipsum cuilibet sacerdoti delegare potest. Cf. *Theol. mor.* n. 474.

3. Juris divini est, ut Episcopi habeant jurisdictionem etiam interni fori in suos dioecesanos, cum subordinatione ad Romanum Pon-

tificem: jure ecclesiastico Vicarii generales eadem potestate fruuntur, et sede vacante Vicarii capitulares. Omnium horum jurisdictio a Romano Pontifice *limitari* potest.

4. Ex jure *ecclesiastico* parochi ordinariam jurisdictionem in suos parochianos habent: quare eos etiam extra propriam parochiam, imo dioecesim, absolvere possunt; non ita vicarii, capellani, nisi *loci* Ordinarii facultas accedat.

835 5. Eodem jure ecclesiastico Praelati regulares in suos subditos illa ordinaria jurisdictione potiuntur; Legati pro sua Provincia, Cardinales vero pro sua ecclesia intra limites valde angustos. Subditi vero intelliguntur ii, qui in dioecesi, parochia domicilium vel quasi-domicilium habent (cf. ea, quae de legibus dicta sunt circa subditos et peregrinos). — Hinc Episcopi et parochi jurisdictio imprimis *localis* est, secundario personalis, sc. respicit *eos*, qui in certo loco habitationem fixerunt: jurisdictio praelati regularium imprimis *personalis* est, et secundario tantum locum certis limitibus circumscriptum respicit.

6. Parochi *per se* quidem approbati sunt pro solo loco seu oppido suae parochiae; at fere ubique consuetudo id habet, ut tum parochi, tum eorum adjutores approbati et jurisdictione interni fori instructi censeantur pro tota dioecesi. — Imo ubi vidente et tacente Episcopo mos est, ut in confiniis dioecesium parochi vicini diversarum dioecesium se adjuvent, eorum jurisdictio et approbatio tacite ad haec loca extenditur.

836 7. Circa parochorum iteratam ad examen revocationem S. C. Conc. haec statuit. 1) Si agitur de parochis ab Episcopo *antecessore* institutis: successores posse, „superveniente *rationabili causa*, etiam ex officio, etiam extra visitationem, examinare parochos ad ecclesias parochiales approbatos“; etiam „parochos regulares“ sic examinari posse: imo Rota Romana decrevit, sufficientem causam rationabilem esse „libitum et *solam conscientiae quietem* Episcopi“. 2) Si agitur de parochis ab eodem Episcopo jam examinatis, S. Congr. voluit: a) „posse Episcopum examinare parochos et rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest *vehemens suspicio de illorum imperitia;* b) posse Episcopos ad hujusmodi examen procedere extra visitationem; c) ad dictum examen faciendum haud necesse esse, ut judiciales probationes imperitiae praecedant; d) eos vero, contra quos suspicio imperitiae non vigeat, ad examen revocari non posse“ (15. Jan. 1667 et 22. Sept. 1668. Cf. Ben. XIV. *de synodo dioec.* l. 13 c. 9 n. 21).

8. Quid *capellani militares* possint sine approbatione Episcopi loci, quando milites ibi steterint, non unâ regulâ definiri potest. Per se eos potestate frui absolvendi, negatum est a S. C. C. 6. Martii 1694 et 29. Jan. 1707. Nunc tamen non semel Capellano militari majori vel Episcopo militari amplissima facultas etiam libere delegandae jurisdictionis collata est: quare ipsa facultas a S. Sede data in casibus occurrentibus debet inspici. Cf. *Theol. mor.* n. 372—378.

Articulus III.

De jurisdictione delegata et approbatione illi conjuncta.

§ 1.

De delegatione et approbatione ordinario modo facta.

1. Ante omnia animadvertendum est, *requiri pro sacerdotibus de-* 837
legatis[1], *ut valide absolvant saeculares, approbationem Episcopi dioecesani loci illius, ubi confessiones instituantur,* nisi speciale privilegium S. Sedis aliud permittat. Id habetur clare ex Const. Innoc. XII. 19. Apr. 1700 „*Cum sicut*", confirm. per Constitutionem Ben. XIV. „*Apostolica indulta*" 5. Aug. 1744: „Confessarii tam saeculares quam regulares, quicunque illi sint, . . . nullatenus confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et Episcopi dioecesani loci, in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt." Eaque approbatio debet vere *data* esse, non sufficit petita, nec praesumpta.

2. *Approbatio* sicut plene et illimitate dari, ita etiam *certis quoad locum, tempus, personas limitibus circumscribi, aut etiam revocari potest;* idque, si sine praevio examine datur approbatio, ad arbitrium; aliter ex justa causa; nequit tamen Episcopus omnibus ejusdem conventûs religiosi confessariis approbationem revocare inconsulta S. Sede: Clemens X. Const. „*Superna*". — Circa jurisdictionem vero, quum naturalis ordo postulet, ut inferior et delegatus judex potestatem a suo Superiore habeat idque per se ab immediato, neve recipi *possit* potestas nisi in eos, qui vere subditi sint illi, qui potestatem alteri tribuat, haec observanda sunt:

3. *Confessarii saeculares accipiunt et approbationem et jurisdictionem* 838
sive a suo Episcopo, sive ab Episcopo, in cujus dioecesi confessiones excipiunt, ad absolvendos eos, qui in illo loco subditi sunt.

4. *Confessarii regulares, si modo adsit approbatio ex parte Episcopi loci accepta, jurisdictionem ad audiendas confessiones saecularium accipiunt a S. Pontifice,* mediis suis Superioribus, qui jurisdictionem ex parte S. Pontificis ipsis communicare debent, ita ut in conferenda suis subditis jurisdictione non potestate propria agant, sicut agunt Episcopi in deleganda sua jurisdictione, sed tamquam S. Pontificis

---

[1] Hoc loco noto, quae generatim de delegatae potestatis duratione tenenda sunt:

1. Si data est ad certum tempus vel pro certo negotio, potestas, elapso tempore vel confecto negotio, finitur.

2. *Morte concedentis exspirat:* a) si data „ad arbitrium *Nostrum*", b) pro causa particulari sive ad gratiam tertio *concedendam,* sive in re odiosa nondum inceptâ causâ.

3. *Morte concedentis non exspirat:* a) si data est ad arbitrium *Sedis,* vel omnino indefinite, b) pro causa particulari ad communicandam gratiam jam *factam* sive in re odiosa causâ jam inceptâ. Quare tum potestate uti licet, nisi successor eam revocaverit.

commissarii. Quare quod ad *jurisdictionem* spectat, confessarii regulares quoslibet fideles saeculares absolvere possunt, accedente approbatione Episcopi loci.

5. *Nihilominus*, nisi pro aliquo ordine specialis lex a S. Pontifice lata obstet, *confessarii regulares possunt cum approbatione etiam jurisdictionem ab Episcopo loci accipere*, sicut confessarii saeculares, eaque hodie fere semper intentio Episcoporum est, quando regulares pro excipiendis confessionibus approbant. Sciendum tamen est, in *generali* facultate non includi potestatem absolvendi a reservatis casibus; sed haec semper exprimi debet: imo videri debet, num etiamtunc aliqui casus specialiter reservati excipiantur. — Quando vero Episcopus Superiori cuidam regularium concesserit facultates pro certo negotio v. g. missionum aliis communicandas, easque Superior re ipsa *generali modo* alicui ex suis subditis communicet, censentur *omnes* facultates communicatae, quas Episcopus concesserat, quia Superior censetur merum instrumentum Episcopi esse.

839 6. Peregrini, i. e. qui extra dioecesim sui domicilii vel quasi-domicilii exsistunt, sine ulla difficultate absolvuntur a confessario regulari, quum subditi sint ejus, a quo confessarius regularis jurisdictionem delegatam habet, sc. R. Pontificis: ex consuetudine tamen a quolibet confessario etiam saeculari absolvuntur, sive dicas eos absolvi per *sui* Episcopi potestatem, sive dicas, eos absolvi per potestatem ab Episcopo loci datam.

7. Vagi, quoniam certum territorium pro domicilio non habent, proprie solum R. Pontificem spiritualem Superiorem habent, et ex ejus sive expressa sive tacita delegatione absolvuntur ab omnibus confessariis approbatis in iis locis, ubi exsistunt; at neque ullibi ab alio, quam ab approbato confessario loci possunt absolvi. — Difficultas aliqua exsistit circa navigantes, a quo sint absolvendi. In periculo igitur a quolibet sacerdote absolvi possunt; alioquin a sacerdote approbato ab Episcopo loci, unde navis solverit, sive primae stationis, sive intermediae, idque dum vel navigatio finita sit vel navis diutius in aliquo portu sistat ad homines atque merces dimittendos et suscipiendos. Cf. *Theol. mor.* n. 379—386.

8. Cardinales, domestici R. Pontificis, Reges et Principes possunt sibi eligere aliquem ex approbatis confessariis, atque ab eo ubique absolvi; *Romae* Cardinales et Episcopi quemlibet idoneum sacerdotem sibi suaeque familiae eligere possunt, eumque secum educere pro confessario. — Insuper Episcopi possunt etiam extra propriam dioecesim *suum subditum* sibi pro confessario eligere; si vero ipsorum subditus non est, debet esse in loco approbatus.

§ 2.

De delegatione, quae fit extraordinarie et per accidens.

840 Modus delegatae potestatis, quem hîc considerandum suscipimus, ille est, qui potestatem absolvendi dat *supplente Ecclesiâ*. Quod etiam aliquando fit in dubia jurisdictione, de cujus usu etiam pauca exponere

debemus. Quum autem non idem sit, Ecclesiam supplere, et sacerdotem licite absolvere, ante omnia haec notanda sunt:

I. In certo defectu potestatis, etiamsi Ecclesia forte suppleat, potestatem exercere, prorsus illicitum est.

II. In dubio potestatis defectu, maxime si Ecclesia certo supplet, eam exercere, pro diversis causis et adjunctis licere potest.

Quae ut melius intelligantur, distincte exponendum est:

1) Quid hoc sit, Ecclesiam supplere.

2) Quid discriminis sit inter dubiam et probabilem jurisdictionem et quomodo Ecclesia in illa suppleat.

3) Ex quanam causa jurisdictione dubiâ vel probabili uti liceat.

I. Quaestio: quid hoc sit, Ecclesiam supplere. 841

Huic quaestioni verbis Lessii respondeo (*de justitia et jure* l. 2 cap. 29 n. 65 et 68): Si dicitur Ecclesia seu supremus judex (R. Pontif.) supplere, „jus ipsum confert jurisdictionem extraordinarie ad singulos actus", et: „Ecclesia jurisdictionem extraordinarie propter bonum commune *in ipso actu* suppeditat."

Hoc igitur discrimen est inter jurisdictionem, quae vere jam habetur, et eam, quae exercetur supplente Ecclesiâ, ut ille, qui habet jam jurisdictionem, *ante actionem* (confessionem aliamve causam) *susceptam* facultate valide agendi polleat, idque plurimum habitualiter, ille vero, qui tantum supplente Ecclesiâ absolvit aut aliud agit, in singulis actibus *consequenter ad causam susceptam* vel confessionem inchoatam, *ut eam perficiat*, ab Ecclesia potestate donetur, sed finita causa illico potestate iterum destituatur. Quando ergo ante actionem susceptam *probabiliter* jurisdictio jam habetur, Ecclesia, *si* supplet, *hypothetice tantum* supplere debet, sc. si illa jurisdictio, quae *putatur* adesse, revera nulla est; in hac enim sola hypothesi potestate ab Ecclesia supplente collata opus est, ut actus jurisdictionis validus fiat.

II. Quaestio: quid discriminis sit inter dubiam et probabilem 842
jurisdictionem, et quomodo Ecclesia in illa suppleat.

Probabilis jurisdictio communi usu ad solam probabilitatem juris restringitur; *dubiam* autem vocamus eam, cujus incertitudo in dubio vel probabili aliquo *facto* nitatur et quae etiam consequenter ad actionem inceptam dubia manet. Ita saltem ad confusionem evitandam verba semper intelligimus, atque ita etiam S. Alphonsus distinguens longe aliter de dubia atque de probabili jurisdictione loquitur.

Igitur *probabilis* jurisdictio (i. e. probabilitate juris) adest, quando antecedenter ad confessionem aliamve causam susceptam jurisdictio, secundum juris interpretationem non certam quidem, tamen vere probabilem, habetur, id quod praecipue in dubia extensione aut revocatione jurisdictionis contingere potest. In ejusmodi autem *probabili* jurisdictione secundum S. Alph. l. 6 n. 573 moraliter certo Ecclesia *dat* jurisdictionem pro hypothesi, si revera antecedenter desit. Id S. Doctor ex communi doctrina et tacito consensu Superiorum Ecclesiae arguit.

At de jurisdictione, quam vocamus *dubiam* (in dubio facti), nequaquam idem judicium ferri, invenias ab auctoribus quam plurimis aut expresse dictum aut indubie supposítum: cf. *Theol. mor.* n. 388; quare

nec tacitum Ecclesiae consensum certo sumere licet, et jurisdictio actionisque valor *dubius manet.*

843 Ergo breviter sub uno conspectu ponamus causas, in quibus Ecclesia suppleat:

1. Si, qui exercet potestatem, suae potestatis *titulum coloratum* habet, et simul *error communis* est, ita ut defectus verae potestatis communiter ignoretur. — Titulus coloratus dicitur ille Superioris actus ex se aptus, quo vera potestas conferatur, attamen propter essentialem aliquem defectum occultum invalidus. — Ecclesiam tunc supplere, ex ipso jure ab Ecclesia condito vel approbato habemus. Ita ex l. „*Barbatius*“ ff. *de offic. praet.* jure R. civili, et ex cap. „*Infamis*“ caus. 3 q. 7 (c. 1.), quod ab omnibus juris canonici scriptoribus pro legitima norma habetur.

2. Si sine titulo colorato solum error communis adest, multi quidem putant, Ecclesiam propter commune bonum, cui potissimum publica auctoritas provideat, etiamtum supplere; at quum nullam legem ecclesiasticam habeamus, quae id fieri statuat, neque consensus Doctorum adsit, totum dubium manet.

3. Si neque titulus coloratus est, neque error communis, sed paucorum tantum: Ecclesiam supplere, nulla probabili ratione defenditur, sed communi consensu negatur.

NB. Errorem vero communem ut distinguas ab errore paucorum, non id considerari debet, utrum multi an pauci eum adierint, qui legitima potestate destitutus erat; sed utrum pauci multive defectum potestatis cognoverint, an potius eum potestate legitima praeditum esse putaverint.

4. In jurisdictione antecedenter juris probabilitate probabili, moraliter certum est (sensu utique latiore), Ecclesiam hypothetice supplere.

5. In jurisdictione dubia dubio facti 1) Ecclesia hypothetice non supplet, si error est paucorum; sed quoniam plerumque error communis erit, addo 2) dubium manere, num in errore etiam communi Ecclesia hypothetice suppleat.

844 III. Quaestio: ex quanam causa jurisdictione dubia vel probabili uti liceat.

1. Non licet, ut jam supra monui, scienter uti potestate ex solo titulo colorato oriunda, etsi Ecclesia certo suppleat: qui vero defectum sui tituli, re ipsa colorati tantum, ignorat, quum valide egerit, postea nihil resarcire debet.

2. A fortiori non licet illi, qui omni potestate ejusque titulo destitutum se novit, propter solum errorem communem agere, tum quia *usurpat* potestatem, quam non habet; tum quia eos, quorum interest ipsius actum validum esse, periculo atque damno exponit.

3. Sed dubia potestate vel jurisdictione etiam in sacramento poenitentiae, *etsi dubia manet,* licet quidem uti, at *ex causa valde gravi* tantum, vid. quando necessitas absolvendi urget, et melius est aliquem dubie absolvi, quam absolvi nullatenus. Neque tum sine monitione aut cautela poenitentem dimittere licebit, ne propterea quod putet se certo absolutum esse, periculo salutis exponatur: nisi forte haec ipsa monitio censeri debeat in ruinam poenitentis esse.

S. Alph. n. 571 recenset sequentes casus: 1) si urget praeceptum annuae confessionis; 2) si poenitens debeat celebrare vel communicare, nisi infamiae notam incurrere velit; 3) si sacerdos teneatur celebrare ex obligatione.

4. Si vero probabilis jurisdictio sensu supra explicato habetur, 845
quum morali periculo valor absolutionis non exponatur, licebit ea uti: nisi excipias casum, quo moribundus certiore modo absolvi possit. Nam eam certitudinem *latum*, quae in communi vitae cursu pro actionibus humanis sufficiens censetur, in mortis articulo, quando aeterna salus proxime periclitatur, prudenter majorem reddere volumus vel debemus.

Videlicet pro articulo (vel *periculo*) mortis propter diversas legis Trid. (sess. 14 c. 7) et Rit. Rom. explicationes *probabile* est, sacerdotem non-approbatum habere, etiamsi adsit approbatus, jurisdictionem ad moribundum absolvendum. — Quare *praeceptum* confitendi satis certo implebitur confessione apud quemlibet sacerdotem non indignum. Verum si adest approbatus, quo *securior* fiat absolutio tamquam *medium salutis*, id faciendum est, ut denuo instituatur *aliqua* confessio apud illum, vi cujus absolutio recipiatur.

Deesse autem censetur confessarius approbatus, non solum si physice abest, sed etiam 1) si tandem inceptâ jam confessione supervenerit, 2) si nolit confessionem excipere, 3) si poenitens eum horret atque periculum sacrilegae confessionis incurrit.

De cetero deficiente alio sacerdote idoneo etiam sacerdos excommunicatus, schismaticus, haereticus in mortis articulo absolvere potest et, saltem si requiritur, debet: de quo jam nequit dubitari. Cf. *Theol. mor.* n. 392.

§ 3.

De illa jurisdictione delegata, quae lege speciali regitur.

Trid. Conc., quum, ut jurisdictio delegata valida exsisteret, prae- 846
scripserit approbationem Ordinarii, ut supra jam notatum est, de solis confessionibus *saecularium* haec dixit. Restat igitur, ut videamus, quodnam jus servandum sit 1) quoad confessiones regularium et eorum, qui regularium obedientiae subsint, 2) quoad confessiones monialium.

Punctum I.

De jurisdictione in regulares eorumque familiares.

1. Praelati regulares, sive Superiores locales, quamquam in suos subditos jurisdictionem plenam atque etiam in foro interno habent eosque in sacramentali confessione absolvere possunt, tamen tenentur alios confessarios constituere, ne ad confessionem apud se peragendam subditos cogant, quibusdam casibus exceptis, qui videndi sunt seq. § *de casuum reservat.*, et alias in ordinum constitutionibus. Cf. Clem. VIII. decret. *„Sanctissimus“*, de quo infra n. 858.

2. *Confessarii a Superiore regulari deputati sine ulla alia approbatione ipsos religiosos absolvere possunt.* Deputari seu delegari autem possunt non solum sacerdotes regulares, sed etiam sacerdotes saecu-

lares, licet ab Episcopo non approbati, nisi forte specialis constitutio certi ordinis obstat. Mazzotta *de poenit.* disp. 2 Q. 1 cap. 3 § 2 ex sent. comm. — Et revera quoad regulares itinerantes haec est regula apud plures, non tamen omnes religiosos, ut 1) apud regularem socium itineris idoneum, si adest, confiteri debeant, vel apud confessarium monasterii ad quod devertantur; 2) ut alioqui possint confiteri apud quemlibet sacerdotem idoneum, etsi non approbatum ab Episcopo loci, quippe cui det Superior religiosi jurisdictionem.

847 3. Ii, qui in monasteriis ex *Superioris* deputatione absolvi possunt, sunt *non tantum ipsi religiosi cum novitiis, sed etiam ii saeculares, qui in monasterio seu collegio „sunt vere de familia et continuo commensales"* Clem. X. *„Superna"*, non autem ii, qui suis expensis vivunt, etsi monasterio pro mercede labores suos locaverunt.

4. *Probabile est, familiaribus adnumerari posse alumnos convictores* qui plene sub obedientia religiosorum vivunt atque in collegiis educantur: ita tum ex complurium scriptorum interpretatione vocis *familiares*, tum ex facultate aliquibus familiis religiosis expresse data et communicatione latius extensa.

5. Id vero discrimen statuendum videtur, ut religiosi ipsi et novitii per *solos* confessarios a Superiore regulari deputatos vel cum ejus permissione absolvi possint, familiares autem sive ab illis sive a confessariis extra monasterium ab Episcopo deputatis. Dein familiares esse desinunt, quum primum non amplius sunt sub vera obedientia et auctoritate regularium.

Punctum II.

De jurisdictione et approbatione pro confessione monialium.

848 1. *Pro confessionibus monialium ex constitutionibus SS. Pontificum specialis omnino approbatio requiritur*, quae data non censetur generali approbatione pro omnibus Christi fidelibus; neque approbatio pro uno monasterio secum trahit approbationem pro omnibus monasteriis, etsi ejusdem ordinis: v. Greg. XV. *„Inscrutabili"* — Clem. X. *„Superna"* — Ben. XIV. *„Pastoralis officii"* et *„Pastoralis curae"*. Neque danda esset haec specialis approbatio ultra triennium, ut leges Eccl. per se volunt.

2. Specialis approbationis necessitas, quatenus ex his SS. Pontificum decretis oriunda, restringitur ad moniales stricte dictas intra clausuram viventes; *per se* non 1) ad congregationes religiosas sine clausura Papali institutas, neque regulariter 2) ad moniales cum licentia extra monasterium degentes refertur: v. Mazzotta l. c. § 3.

3. *Potest autem Episcopus a communi approbatione etiam quaslibet mulierum congregationes, conservatoria eximere:* quod si fecit, ejus statutis omnino standum est, neque tunc illae mulieres, eo quod extra suum monasterium ad aliquem confessarium accedant, ab eo absolvi possunt, siquidem id communiter accidit, ut extra domum versari possint. Atque ita hodie fere consuevit fieri: saltem in Anglia, America Sept., in multis Germaniae locis.

849 4. *Monialibus, pro quibus specialis approbatio requiritur vi statutorum SS. Pontificum, bis terve in anno exhibendus est confessarius extra-*

ordinarius, cui omnes quidem praesentare se debent, confiteri non debent: Ben. XIV. „*Pastoralis curae*": imo *etiam alias*, si quaedam monialis id ex justa causa petere videatur, ut etiam recenter dixit S. C. Reg. et Ep. 27. Sept. 1861. — Si quas vero alias pias mulieres Episcopus exemit ab ordinaria approbatione confessariorum, prorsus convenit, imo S. Sedes id vult, ut eodem modo aliquoties in anno confessarius extraordinarius iis exhibeatur, atque id illae mulieres postulare possunt.

5. Offerri debet ille extraordinarius confessarius, si moniales *exemptae sunt*, a praelato regulari, cui sunt subjectae, Episcopo *approbante:* si exemptae non sunt, ab Episcopo. Praelato negligente, oblatio ad Episcopum devolvitur; quodsi etiam Episcopus muneri suo desit, Cardinalis Poenitentiarius Major a monialibus requisitus supplebit. (V. Gury-Ball. not. ad II. 566; Ben. XIV. Const. „*Pastoralis curae*".)

6. Imo circa confessarium extraordinarium id statutum est: 1) ut praelati regulares, quibus moniales subjectae sint, non semper exhibeant confessarium sui ordinis, sed saltem semel in anno confessarium aut saecularem aut alterius ordinis regularem exhibere debeant;

2) si praelati regulares id negligunt, aut si generatim statutis temporibus extraordinarium confessarium deputare omittunt, Episcopo *semper* conceditur facultas eligendi aliquem aut ex clero *saeculari*, aut ex clero regulari *alterius ordinis*. Cf. Ben. XIV. Constit. cit.

Articulus IV.

De jurisdictionis limitatione seu casuum reservatione.

Trident. Concilium ex natura judicii, sub cujus forma sacra- 850
mentum poenitentiae institutum sit, quasi necessariam conclusionem deducit potestatem, qua polleant Rom. Pontifex vel Episcopi (adeoque ii qui quasi-episcopali potestate utuntur), sibi certa peccata atrociora reservandi. — Si autem sive naturam sive praxim reservationis casuum penitius inquirimus, plura accuratius sunt consideranda.

§ 1.

Quid requiratur, ut casus sint reservati.

1. *Nemo peccata reservare potest, nisi subditorum suorum:* nam nisi in aliquem ejusque peccata potestatem habet, eum cogere non potest, ut ad se vel specialem delegatum peccata deferat.

2. *Reservatio, quamquam directe versatur circa peccata subditorum, tamen etiam recte dicitur afficere confessarium ejusve potestatem*, quam vel jam exsistentem et ordinariam restringit, vel conferendam seu delegandam restricto tantum modo contribuit.

3. *Ut peccatum sit reservatum,* 1) ex natura rei, ut pleno sensu reservetur, debet esse *mortale* idque *certo;* ex consuetudine Ecclesiae debet 2) esse *externum*, et 3) secundum speciem et actum debet esse *completo sensu* illud peccatum, quod in lege reservationis exprimitur.

4. Reservatio ex diverso fine fieri potest, tum ut poena delin- 851
quenti infligatur, qui cogatur ad subeundum illud onus comparendi

coram Superiore ejusve speciali delegato, tum ut ipsa causa, peccata graviora puta, maturius discutiatur et recognoscatur, quum non cuilibet, sed delectis tantum confessariis illa peccata dijudicanda committantur. Qui posterior finis, si historiam reservationis consideramus, potior videtur fuisse; tamen aliquando priorem finem re ipsa praevalere, fatendum est. — Quare, nisi satis constet de alio sensu Episcopi reservantis, secundum hodiernam praxim in simplici reservatione etiam ea peccata includuntur, quae sine cognitione reservationis commissa sunt.

5. *Reservare igitur possunt* certa peccata: 1) pro tota Ecclesia *Rom. Pontifex;* 2) *Episcopi* pro suis dioecesibus (Provinciale Concil. pro tota provincia); 3) *praelati regulares* aliique jurisdictionem quasi-episcopalem habentes relate ad suos subditos: nihilominus omnes praelati Papa inferiores in hoc reservandi facultatis exercitio Papae sunt subjecti.

852 6. Sequitur ergo: 1) Peregrinos per se non incurrere reservationem loci, ubi peregre exsistunt; imo ex benigna Ecclesiae concessione absolvi possunt a peccatis *in sua patria* reservatis, nisi a) in fraudem legis, i. e. ut declinent judicium sui Superioris, se alio transtulerint, vel b) peccatum utrobique, i. e. in loco confessionis et in patria peregrini reservatum sit.

2) Regulares sacerdotes, ita disponentibus RR. PP., omnino debere attendere reservationem dioecesanam: id enim ordo hierarchicus servandus videbatur requirere.

3) Summum Pontificem impedire posse, quominus alii Praelati sibi ad libitum peccata reservent. Ita revera cautum est relate ad Praelatos regularium: de quo infra. Relate ad Episcopos eorumque reservationem dioecesanam generalis quidem lex non exsistit; attamen non semel S. Sedes innuit, non esse nimia peccata, sed summum 10 vel 12 eaque atrociora, reservanda. Cf. *Theol. mor.* n. 402—409.

§ 2.

De casuum reservatorum absolutione.

853 1. A casibus reservatis absolvere possunt *ordinaria* potestate: 1) qui reservationem statuit, atque ejus in munere successores; 2) eorum Superiores: — delegata autem potestate ii, qui a reservante, ejusve successore aut Superiore specialem facultatem obtinuerunt.

2. Episcopi eorumque delegati possunt communi jure absolvere: 1) omnes poenitentes a casibus papalibus *occultis*, exceptis iis, qui *speciali* modo R. Pontifici reservantur: v. Trid. sess. 24 *de ref.* cap. 6 *„Liceat“* et Const. Pii IX *„Apostolicae sedis“;* poterant idem 2) quoad poenitentes ab adeundo Pontifice R. impeditos in casibus papalibus *omnibus*, sive occultis sive publicis: v. S. Alph. l. 7 n. 84, Corp. jur. can. cap. *„Eos qui“* 22 *de sent. excomm.* in 6[1]. — Si vero aut Episcopi aliquid amplius possunt, aut alii in casibus papalibus aliquid valent, id repetendum est ex speciali facultate a S. Sede data.

[1] Ita usque ad novissima tempora; nunc quid S. Officium statuerit, vide infra n. 857[a].

3. Reservatio cessat non solum 1) legitima confessione et ab- 854
solutione ab eo, qui sive ordinariam sive delegatam potestatem habet collatam, sed plerumque etiam 2) confessione invalida apud legitimum Superiorem facta, si modo peccata reservata manifestata sint; 3) confessione, quam absolutio valida per legitimum Superiorem secuta est, etsi ex inculpabili oblivione peccatum reservatum est omissum. Ita ex probabili doctrina S. Alph. n. 597.

4. Reservatio in articulo mortis cessat, ita ut a quolibet confessario absolutio legitime dari queat. At quando erat *censura R. Pontifici* reservata *specialiter*, onus *postea* coram legitimo Superiore comparendi, si aegrotus convaluit, remanet *per se;* alias potest manere ex adjunctis propter satisfactionem etc. praestandam.

5. Extra articulum vel periculum mortis etiam aliquando 855
absolutionem dare potest alius confessarius ei, qui casus quidem reservatos habeat, sed Superiorem adire nequeat. Videlicet propono *primum* normam antiquam ipso jure scripto sancitam, quam cum S. Alphonso hucusque theologi communissime tenuerunt atque illustrarunt. *Dein* proponam normam nuperrime a S. Officio indicatam, ex parte severiorem, ex parte benigniorem, quae jam norma *universalis evasisse* videtur, et quam sine dubio in suum favorem quilibet statim assumere poterant, ulteriore promulgatione non exspectata.

A. Norma in Corpore juris contenta.

1) qui impeditus est *longissimo tempore sive perpetuo* (5 annos et ultra), absolvitur ab inferiore sine ullo onere;

2) qui impeditus est *longo* tempore (a 6 mensibus usque ad 5 annos), absolvitur quidem, sed cum onere, sese postea, cessante impedimento, sistendi Superiori;

3) qui impeditus est brevi tantum tempore, a casibus reservatis nunquam absolvitur, at si necessitas urget recipiendae sacramentalis absolutionis, absolvi potest ab aliis peccatis, ita ut etiam reservata peccata indirecte remittantur, remanente tamen reservatione aut etiam *censurâ*. — Aliud in impedimento longi temporis; tum enim censura aufertur sive absolute sive ad reincidentiam, et consequenter peccatum directe absolvitur; idque etiam fieri in peccato sine censura reservato, probabile est.

6. Ut autem sciatur, *quinam habiti sint impediti*, notavi haec ex 856
S. Alphonso l. 7 n. 89: Generatim non fuisse obligationem adeundi R. Pontificem ejusve tribunal S. Poenitentiariam per literas, nisi forte agas de casu, quem ex natura rei non possit incurrere, nisi qui sit inter impeditos, (sume excommunicationem R° Pontifici reservatam contra moniales vel religiosos speciatim latam); sed impeditum eum esse habitum, qui personaliter se sistere nequibat R. Pontifici vel Poenitentiariae, si agebatur de casibus Papae reservatis, eum qui Episcopum adire non poterat, si agebatur de casibus episcopalibus vel ad Episcopum devolutis. — Hinc patet, raro aliquem ita fuisse impeditum, ut a simplici confessario absolute absolvi potuerit, siquidem ex doctrina practice tenenda causa prius devolvebatur ad Episcopum.

Qui tamen *nunc* impeditus erat, quominus Episcopum adiret, atque indigebat absolutione, sed ita constitutus, ut ab Episcopo onus recipere deberet postea se nihilominus R° Pontifici sistendi; ille jam tum a

simplici confessario statim ita absolvi poterat, ut solum onus postea R. Pontifici sese sistendi imponeretur: (quod nunc ex n. 857[a] certum est.)

Verum etiam si quando obligatio non fuerit per literas causam componendi, ita tamen fieri expedit, ut nimirum onus personaliter comparendi penitus auferatur.

857 7. Praestat autem hîc ordinem illorum recensere, qui secundum S. Alphonsum pro impeditis, vel perpetuo impeditis habeantur, quominus Romanum Pontificem adire possint (l. 7 n. 88), vid. ii, qui aut 1) sui juris non sunt in suscipiendo itinere Romano, 2) qui ob pauperatem impensis ferendis impares sunt, aut 3) viribus debiles ac propterea labori illi ferendo impares. Et quamquam propter mutatas conditiones itinerandi non plane eadem impedimenta pro justa causa haberi possunt, quae justa censebantur prioribus illis temporibus, tamen ex illis quilibet facile colliget, quae, si lex n. 857[a] allata abesset, etiamnunc justum impedimentum haberi possent. A Sancto Alphonso igitur atque aliis pro perpetuo impeditis habentur sequentes, si modo eorum conditio per quinquennium saltem eadem mansura est:

1) Filii familias; 2) regulares (excepto excessu criminis enormi); 3) senes septuagenarii vel sexagenarii; 4) servi: 5) pauperes, nisi assueti sint mendicando vitam vagabundam ducere; 6) carceribus damnati et similes; 7) infirmi et debiles; 8) cura obstricti sive publici muneris sive alendae familiae, quae sine gravi detrimento alieno deponi nequeat; 9) mulieres, nisi forte in speciali casu expresse contra mulieres statuta sit reservata censura, ut in violatione clausurae, quo in casu recursus haberi debebat per literas ad S. Pontificem; 10) impuberes; „denique, quicunque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali vel temporali suo vel suorum".

857a **B. Norma a S. Officio d. 23. Junii 1886 proposita.**

1) Sublata distinctione inter breve, diuturnum et longissimum sive perpetuum impedimentum, S. Officium *vult recursum per litteras;*

2) verum etiam sine distinctione diversi gradûs impeditorum in casu necessitatis *permittit absolutionem ad tempus seu ad reincidentiam* a censuris etiam specialiter reservatis. En tenor decreti:

„Quaesitum est ab hac S. Congne Rae et Univ. Inquisitionis: I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem?"

„II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad Emum Sae Poenitentiariae Praefectum pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, (praeterquam in articulo mortis), ad obtinendum absolvendi facultatem?"

„Fer. IV. die 23. Junii 1886 Emi ac Revmi Patres Cardinales in rebus fidei Generales Inquisitores, suprascriptis dubiis mature perpensis, respondendum esse censuerunt":

„Ad I: Attenta praxi Sae Poenitentiariae praesertim ab edita

Constitutione Apostolica s. m. Pii IX, quae incipit ‚*Apostolicae Sedis*', Negative."

„Ad II: Affirmative; at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, injunctis de jure injungendis a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem."

„Fer. IV. die 30. Junii 1886. Sanctissimus resolutionem EE. PP. approbavit et confirmavit."

Josephus Mancini, S. R. et U. Inquis. Notarius.

Loco sig.

Appendix.

853 Quid juris sit relate ad *regulares in casibus reservatis*, praestat hîc uno conspectu exhibere.

Clem. VIII. decreto a S. Congregatione, ipso jubente, ad omnes ordines regularium transmisso 26. Maji 1593 haec statuit (v. illud decr. in Bullar. Romano inter Constit. Urbani VIII. Const. 26):

1. Ut nemo ex regularium Superioribus, *nisi accedat post maturam discussionem consensus Capituli generalis, aut resp. provincialis*, sibi reservet peccata, nisi sint sequentia aut aliquot eorum:

1) Veneficia, incantationes, sortilegia.
2) Apostasia a religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa monasterii seu conventûs fiat egressio.
3) Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.
4) Proprietas contra votum paupertatis, quae est peccatum mortale.
5) Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.
6) Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.
7) Falsificatio manûs aut sigilli officialium monasterii aut conventûs.
8) Furtum de rebus monasterii seu conventûs in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.
9) Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.
10) Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personae.
11) Malitiosum impedimentum aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

2. Ut non liceat Superioribus regularium confessiones subditorum 859
audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte *ac* proprio motu id ab iis petierint.

3. Superiores in singulis domibus deputare debent aliquos confessarios, qui a non-reservatis absolvant, et quibus *communiter* etiam committatur absolutio a reservatis, si ipsi in casu occurrente id expedire judicaverint, ita ut, si judicent coram Deo, Superiorem severius agere

in deneganda hac facultate, ipsi nihilominus a casu reservato absolvere possint: (potest tamen causa occurrere, in qua ita agere non valeant.)

4. Superior tamen potest pro certis peccatis gravem poenitentiam determinare, quam confessarius imponere teneatur.

His conforme est, quod etiam S. C. Ep. et Reg. 16. Aug. 1866 statuit et Pius IX. approbavit, ut in *parvis domibus* unus saltem confessarius statuatur, qui *habitualiter* potiatur facultate in reservata.

Caput II.

De confessarii potestatis atque muneris essentialis exercitio.

Essentiale munus, quod confessarius in suo officio exercet, officium *judicis* est. Alia officia, quae occurrunt, in tribunali poenitentiae accessoria vocari licet, non quod *minoris* momenti sint — sunt enim momenti maximi —, sed quod dirigantur ad judicis munus tandem rite exercendum et ab hoc compleri debeant.

Porro judicis est: causam recognoscere, meritum rei ad sententiam rite ferendam seu poenitentis dispositionem inquirere, sententiam dicere.

§ 1.

De causa recognoscenda.

860 *Causa recognoscenda peccata sunt a poenitente commissa,* in qua sacerdos et causam Dei agere debet divinae justitiae ordinem servans, et causam hominis ejus cum Deo reconciliationem procurando. Hinc

1. *Confessarius opportuna interrogatione supplere debet, si prudenter judicat, a poenitente quaedam dictu vel cognitu necessaria omitti.*

Quae quidem obligatio 1) *in se* gravis est: attamen in longa serie confessionum facilius videtur admitti posse materiae parvitas, quam in ipso poenitente; 2) obligatio secundaria tantum est, seu in defectu poenitentis: quare a) interrogari non tenentur ii, qui instructi et diligentes videntur esse, ut sacerdotes, religiosi aliique qui bene norunt suas obligationes et timoratae conscientiae sunt, nisi ex actuali confessione ansa graviter suspicandi de oblivione vel de integritatis defectu sumatur; b) qui interrogari debent, interrogandi sunt secundum suum statum et conscientiam, non semper ad apices theologiae; c) interrogatio modesta et discreta esse debet, ne scandalo sit poenitenti; imo, si quod dubium oriatur, num forte ex interrogatione ulteriore poenitens peccata discat, tenenda est regula: melius est, in multis deficere, quam in uno abundare et scandalo esse.

861 2. *De peccatis auditis eorumque malitia confessarius sibi aliquod judicium efformare debet.* Quamquam relativam malitiam aestimare per se quidem deberet, tamen id adeo urgendum non est; id, cujus maximi interest, est hoc, ut distinguatur inter peccatum veniale et mortale, et inter diversas species mortalium peccatorum. — Id tamen facit confessarius, si habitualem scientiam harum rerum habet et peccata, ut facta sunt, audit: sufficit enim, *directo* judicio specificam malitiam co-

gnoscere, non requiritur judicium *reflexum.* — Imo defectus vel error in hac re non reddit confessionem invalidam.

Dein notari debet: in dubio mortalis et venialis peccati inquirendum quidem est; quando vero ex aliis signis, ut habituali statu poenitentis satis perspecto, moralis certitudo habetur, necesse non est, ulteriore inquisitione majorem certitudinem haurire — quamquam offendi nemo potest, si confessarius propter accusationem non satis accuratam melius inquirit.

3. *Post judicium in audiendis peccatis efformatum memoria distincta sane non amplius requiritur;* sufficit ea peccatorum memoria, ex quâ confessarius congruam possit imponere poenitentiam, si modo certus sit de justa dispositione.

4. Si igitur in decursu confessionis aliquid necessario inquirendum occurrit, confessarius jus quidem habet statim interrogandi; sed quia interruptio poenitenti saepe gravis est, si memoriae fidere potest, differat interrogationes ulterius: si vero tandem aliquando ante finem totius accusationis interrogare quaedam debet, notet sibi ultimum peccatum, quod poenitentis memoriae postea suggerat, quo ille filum accusationis retexere possit.

§ 2.

De dispositione poenitentis inquirenda.

1. *Post recognitam causam absolutio danda vel deneganda maxime* 862
pendet a debita dispositione: de qua eo magis confessarius inquirere debet, quod haec simul sit sacramenti materia. — Verum natura hujus sacramenti id secum fert, ut morali quadam aestimatione hac in re confessarius contentus esse debeat, ne reddat sacramentum odiosum. Quapropter alii quidem dicunt, confessarium de recta dispositione, i. e. de dolore et proposito, *moralem quandam certitudinem* debere habere, alii tamen dicunt sufficere prudens judicium, seu ut ipse S. Alphonsus l. 6 n. 461 explicat, „prudentem probabilitatem sine contraria prudenti suspicione indispositionis“: quodsi haec gravis suspicio adest, quid et quomodo agendum sit, infra dicetur.

2. *Prudens autem judicium de poenitentis dispositione imprimis hauritur ex ipsa sincera poenitentis declaratione, nisi haec aliunde suspecta reddatur,* ita ut grave praejudicium contra ejus dispositionem exsurgat.

3. *Quando igitur ex adjunctis tale praejudicium grave seu gravis suspicio contra poenitentem ejusque dispositionem habetur: ad poenitentis assertionem pro adminiculis probandae dispositionis accedere debent alia quaedam argumenta plus minusve gravia, quae ad talem suspicionem sive minuendam sive penitus tollendam apta sint.* Quae a multis vocantur „signa doloris extraordinaria“. Attamen in re aliqua *extraordinaria* insistendum non est. Neque quodlibet horum signorum — quae infra habes assignata — in quibuslibet adjunctis certam probationem facit.

4. *Casus praecipui, in quibus contra poenitentis dispositionem grave* 863
praejudicium facile exsistat, sunt sequentes ex sententia S. Leonardi a Portu Mauritio:

2789126534.

1) si poenitens semper eodem modo aut pejore relapsus est, ita ut nullum vestigium neque spes ulla emendationis appareat;

2) si poenitens sat frigide tantum respondet se dolere, praecipue si jam saepius relapsus est;

3) si poenitens revertitur cum iisdem peccatis neque remedia a confessario indicata adhibuit;

4) quando poenitentes sunt, qui totum studium in satisfaciendo suis passionibus collocaverunt;

5) quando accessus ad sacramentum non fit nisi jussu parentum, magistri, aut ex mera consuetudine festorum dierum, aut ex humano respectu;

6) quando poenitens peccata sua temere excusat, vel cum confessario contentionem atque altercationem instituit, a fortiori quando jactantiam de peccato commisso prae se fert;

7) quando poenitens recusat rationabilem poenitentiam sive medicinalem sive vindicativam;

8) quando poenitens magnum affectum ad peccatum ostendit, aut magnam utilitatem magnamve voluptatem ex peccato hausit.

864 5. *Plane indispositus est ille, qui aut dolore supernaturali, aut vero proposito certe caret:* praecipue igitur quilibet, qui gravem aliquam obligationem implere recusat, v. g.:

1) qui peccandi occasionem proximam atque liberam dimittere non vult;

2) qui inimicitias vel odium deponere, reconciliationem instituere renuit;

3) qui restitutionem vel reparationem necessariam non vult facere;

4) qui artes peccaminosas relinquere recusat;

5) qui ad habitum pravum corrigendum se adlaboraturum esse non vult promittere;

6) qui remedia *necessaria* non admittit;

7) qui scandalum, quod aliis praebuit vel praebet, auferre paratus non est.

865 6. *Dubie dispositus* non dicitur ille, qui tantum non omnino certam, at vere probabilem justae dispositionis probationem affert; sed ille, *contra quem grave praejudicium ex positivis indiciis adest, quod* aliquatenus quidem, sed *non cum satisfactione dissolvit*, ita ut fundata ratio supersit eum pro non satis disposito habendi.

7. *Signa, quae majorem et specialem probationem doloris vel propositi, si qua requiritur, subministrare possunt*, ex S. Alphonso l. 6 n. 460, Reuter, *Neoconf.* n. 177 et aliis haec habentur:

1) dolor major per lacrymas, suspiria manifestatus, — quamquam nec lacrymis nec suspiriis semper fidendum est;

2) extraordinario motivo ad confessionem instituendam inductum esse, v. g. repentina amici morte, concione etc.;

3) ad confessarii exhortationem meliorem peccati cognitionem et detestationem concepisse;

4) peccata diu celata nunc tandem confessario manifestare;

5) numerum peccatorum notabiliter minuisse, quando circumstantiae eaedem manserant —: non vero quando poenitens morbo similive causa a peccando impeditus fuit;

6) restitutionem re ipsa fecisse, occasionem sustulisse, aliamve difficilem obligationem implevisse;

7) intuitu confessionis bene instituendae sponte auxisse preces, dedisse eleemosynas, jejunium aliave opera bona suscepisse;

8) sponte a confessario apta remedia inquirere, remedia indicata libenter suscipere, vel si antea indicata nondum erant, eorum usum sincere promittere;

9) poenitentiam difficilem libenter admittere, atque ad satisfactionem Deo praestandam sese offerre;

10) saepe ipsa spontanea confessio, non ex praecepto Ecclesiae, neque parentum aliorumve auctoritate et jussu, neque ex sola consuetudine instituta, sufficiens signum erit.

§ 3.

De sententia ferenda sive absolutionis sive retentionis peccatorum.

1. *Absolutio generatim danda est, idque communiter sub gravi, si* 866
poenitens certo dispositus est. Nam tunc certum jus habet suscipiendi sacramentum, quod Christus pro fidelibus eorumque spirituali utilitate instituit; idque eo magis, quod confessarius poenitentem admittens ejusque confessionem excipiens ex quasi-contractu sese obligavit ad sententiam secundum Christi institutionem ferendam. — Idem generatim, licet non cum tanto rigore, valet in confessione peccatorum venialium.

2. *Absolutio deneganda est iis, qui sunt certo indispositi, donec dispositionem bonam ostendant.* Imo si de dispositionis defectu certo constat, confessarius semper grave sacrilegium committit, si — quaecunque tandem necessitas poenitentis est — sacramentalem formam, prorsus in vanum, proferre conatur.

3. *Absolutio differenda est iis, qui sunt plane dubie dispositi secun-* 867
dum ea, quae § prace. explicata sunt: nisi forte gravis ratio urgeat, cur sub conditione absolutio proferri possit, vel pro adjunctis debeat.

Scilicet 1) dubie dispositi absolvi omnino debent sub conditione in articulo mortis: de quo ne potest quidem ulla controversia excitari.

2) Imo id etiam conceditur communiter atque a S. Alph. n. 432, IV approbatur, posse sub conditione poenitentem dubie dispositum conditionate absolvi, si ipse bona fide putat se satis dispositum, atque gravis ratio est timendi, ne propter negatam dilatamve absolutionem in pejus ruat, i. e. aliud sacrilegium committat, aut omnino a sacramentis alienetur. — Tunc enim post diligentem conatum adhibitum confessarius pro prudentia et zelo suo recordari debet misericordiae Christi Domini, cujus instrumentum est, qui „calamum quassatum non conteret et linum fumigans non exstinguet“. Is. 42, 3.

3) Alias vero, quando gravis ille timor non est, dubie dispositis tamdiu differenda absolutio est, donec melius se dispositos probaverint: quod praecipue evenire potest in consuetudinariis recidivis atque occasionariis.

4. *Praeterea differri debet absolutio* iis, qui actu quidem satis dis- 868
positi sunt, at a) *publicum scandalum removere debent;* id enim tollendum est, antequam ad S. Eucharistiam admittantur et communiter

etiam ante absolutionem; b) *qui publici peccatores utcunque fuerunt*, donec sese emendatos etiam publice exhibuerunt — nisi forte pro *absolutione* aliquando mitius agere expediat ad eorum majus solatium majoremque spiritualem utilitatem; c) qui *utcunque gravem aliquam obligationem uno actu implendam* implere debent, saepe cogendi sunt, ut ante ipsam absolutionem id faciant, e. g. magnam restitutionem, cum inimico reconciliationem, occasionis remotionem.

Ceterum in hisce adjunctis regula bona est: si notabiliter gravius est poenitenti redire quam obligationem suam gravem implere, ne jubeatur redire, sed statim absolvatur, nisi forte fidem datam jam fregerit; si autem gravius est illam gravem obligationem, ad quam tenetur, implere, quam redire, differatur absolutio. At in hoc negotio confessarius difficultatem relativam seu subjectivam poenitentis perpendere debet, quae in removenda peccandi occasione propter inveteratam consuetudinem vehementisque passionis affectum saepissime gravissima est: ad quam superandam atque ad vim sibi inferendam poenitens dilata interim absolutione urgeri debet, secus facile propositi atque promissi obliturus. (Cf. Reuter, *Neoconfess.* n. 34.)

869 5. *Quoniam vero inter certam et plane dubiam dispositionem multi gradus et differentiae exsistunt, fieri potest, ut poenitens ejusmodi dispositionem praebeat, quae tam certa non sit, ut debeat statim absolvi, sed quae neque tam dubia sit, ut absolutio debeat negari vel differri.*

Quare pro majore vel minore dubio, quod contra poenitentem rationabiliter concipitur, ex diversis adjunctis relapsus praecipue vel occasionis peccandi, aliquando poenitens absolvi absolute poterit, sed non debebit. — In iis igitur casibus confessarius ut medicus videre debet coram Deo, quid magis expediat poenitenti, eum absolvi, an ad tempus absolutione carere. Ad quod discernendum rationem prorsus haberi oportet indolis poenitentis atque temporum locorumque, in quibus vivimus, conditionis. Quando enim fides potius languet, atque poenitens vix ad confessionem instituendam adduci potuit, periculosum est absolutionem differre, ita ut haec ipsa ratio esse possit, cur *dubie* disposito secundum modo dicta absolutio detur. Hinc fit, ut saepe nostro tempore confessarius paulo magis in dandam absolutionem inclinare debeat, quam prioribus temporibus, ubi fides vivida erat, fieri debuit. Atque id etiam notandum est, si poenitens tandem absolute dispositus sit, dilationem generatim debere esse brevem.

Caput III.

De obligationibus confessarii accessoriis.

870 Triplicis generis obligationes accessorias in confessario statuere licet: 1° quae spectant debitam praeparationem, qua se paret ad tantum munus; 2° quae spectant ipsum exercitium excipiendarum confessionum; 3° quae exceptas confessiones subsequuntur.

Articulus I.

De debita praeparatione ad munus confessarii.

Praeparatio alia est quae mores excolat, alia quae mentem instruat. De priore in hac paragrapho, in sequenti de posteriore.

§ 1.

De caritate et patientia.

Alio loco jam actum est de morali conditione non ad solum poenitentiae sacramentum, sed ad quaelibet sacramenta administranda, de statu gratiae dico, in quo minister versari debeat. De hoc igitur nunc non amplius locuturi sumus. Sed in poenitentiae sacramento confessarius multo magis ex suo conferre debet, ut rite peccatores ad Deum reducat; atque imprimis caritate et patientiâ magnâ se instruere debet, ne deterreat vel repellat peccatores, vel eos quos lucrifacere debeat et possit, in peccatis relinquat vel profundius in ea conjiciat.

Consideret igitur serio, se personam agere Christi, qui laboribus et sudoribus atque ipso divino sanguine peccatores et speciatim hunc ipsum, qui coram se genuflectat, poenitentem quaesierit, gratiâ suâ invitaverit atque eo usque perduxerit, ut inciperet tandem peccati vincula rumpere, et se Domino suo iterum reddere. Ne ergo eum ejusque salutem contemnat, qui Christo tanti steterit, sed potius ipse sanguinem et vitam ipsam pro eo fundere paratus sit. Quid enim Deo magis acceptum sibique magis utile et meritorium agere potest, quam Christo cooperari in animarum salutem! Haec si perpenderit, instructus erit contra omnes defectus, in quas humana levitas atque inconstantia possit conjicere; cavebit vel minimum impatientiae signum (quod ceteroqui facile poenitenti os clauserit, atque sacramentale sigillum violaverit); cavebit studium partium, sensualitatem, respectum humanum, nimiam accelerationem. Ipsos duros peccatores emolliet, et si quando asperius loqui necesse sit, misericordia erga poenitentem linguam acuet ita, ut eum non laedat, sed solo dolore contra peccata cor ejus scindat.

§ 2.

De scientia et prudentia.

Quanta scientia necessaria sit in confessario, ut rite munus suum 871
obeat, leviter inspicienti diversa ejus munera patebit. Declaremus haec fusius:

1. *Tenetur confessarius sub gravi ea scire, quae ad munus suum sine gravi errore exercendum scitu necessaria sunt.* Hinc ante omnia scire debet:

1) quomodo ex propriis motivis eliciendi sint actus fidei, spei, caritatis, attritionis et contritionis, quia in his omnibus actibus eliciendis poenitenti saepe praeire debet;

2) quandonam et quaenam peccata distinguantur numero et specie, quae sint mortalia, quae venialia: videlicet ut haec distinguere possit secundum communia principia, etsi non ita in causis difficillimis;

3) ea quae communiter requiruntur ad valorem actuum, ad contractus, matrimonia, et quae illa impediunt;

4) causas restitutionis faciendae aut ab ea excusantes; diversorum hominum secundum diversos status officia et obligationes;

5) limites suae potestatis, casus reservatos atque censuras;

6) quomodo dignoscere possit poenitentis dispositionem, quibus remediis eum muniat, qualem poenitentiam imponat, quos et quando absolvat.

872 2. *Quare rerum ad confessiones audiendas spectantium exquisita quidem scientia non requiritur, sed sufficit mediocris.* Neque requiritur, ut in omnibus etiam difficilioribus rebus statim solutionem dare possit, modo sciat, quo se melius instruat. Igitur in rebus intricatis confessarius scire saltem debet: 1) ubi et quando dubitare debeat, 2) ubi quaerere possit consilium et pleniorem rei instructionem.

3. *Necessaria illa scientia sufficit et requiritur, ut sit relativa ad poenitentes, qui confitendi causa accedunt.* Quare qui exponitur ad audiendas confessiones in loco, quo undique omnis generis poenitentes confluunt, majorem omnino scientiam habere debet, quam ille, qui solum rudium et hominum simplicium confessiones excipiendas habet. In necessitate autem posse vel etiam debere adhiberi sacerdotem parum instructum, ex ipsa re patet.

4. In dubio de sufficienti scientia sacerdos non raro acquiescere potest Superioris judicio, i. e. tum, quando huic Superiori subditus bene perspectus est; quod communiter facilius accidit sacerdoti regulari, at etiam in sacerdote saeculari occurrere potest, quando Episcopo aut alteri prudenti viro ex diuturna consuetudine et indoles atque ingenium et scientia ipsius cognita sunt.

5. *Quamquam naturale judicium naturalisque prudentia multum juvant ad confessarii munera bene exercenda, tamen sine solida doctrina nihil prosunt,* imo saepe confessarium exponunt periculo temere rem definiendi contra omnia sanae doctrinae principia. Quare Ecclesia tantopere commendat imo praecipit collationes casuum conscientiae. Qui vero congenita prudentia non adeo praestat, eo magis sese exercere debet, atque casuistarum solutiones pervolvere et expendere, quo judicium suum acuat atque principia applicare addiscat.

Articulus II.

De obligationibus in ipsa confessione occurrentibus.

§ 1.

De obligatione monendi et instruendi poenitentes.

873 Instruendi obligatio diversa est, prout poenitentis error vel ignorantia in diversa re versatur.

1. *Si ignorantia est in iis, quae ad sacramentum poenitentiae vel etiam Eucharistiae suscipiendum scitu necessaria sunt, instructio statim dari debet.* Ergo:

1) si ignorantia est in rebus fidei necessitate medii certo vel probabiliter necessariis; 2) si poenitens ignorat actum supernaturalis do-

loris vel necessitatem eum sacramento poenitentiae *praemittendi:* de quo omnino et clare moneri debet; 3) si ignorat realem Christi in Ss. Eucharistia praesentiam et sacrificii rationem. — Sufficit tamen, haec omnia a poenitente capi, atque necessarios actus cum confessario praeeunte hîc elici, etsi memoria labilior sit, si modo postea melius et stabilius instruatur.

2. *Si poenitens* ea quidem scit, et fide tenet, quae medii necessitate scitu necessaria sunt et quae requiruntur ad sacramenta, quae recepturus est, sed *in doctrina christiana aliter valde ignarus et rudis exsistit: confessarius, si parochus est, ex officio sive ex justitia opportunitatem ei praebere debet melioris instructionis acquirendae;* si parochus non est, haec cura per se ipsi non incumbit, nisi aliquando ex caritate, at semper monendus est poenitens de *obligatione* melioris instructionis capiendae, imo de peccato negligentiae, quam fortasse commisit, accusando et detestando, atque de sincera emendationis promissione. Quod si praestatur a poenitente, absolutio nunc potest dari.

3. *Si ignorantia in re particulari versatur, ex qua immineat alicujus* 874
legis objectivae violatio, suprema regula discernendi, num et quid moneri debeat, poenitentis bonum spirituale est, ita tamen, ut imprimis ratio habeatur universalis seu communis boni, quod procurare seu ad quod conferre ipse debeat. Hinc instructio seu monitio fieri *debet:*

1) si poenitens est in ignorantia graviter culpabili; 2) si ignorantia brevi cessabit vel culpabilis evadet (sc. *ordinarie* quidem statim monendus est, at perpendendae sunt circumstantiae); 3) si ignorantia versatur circa prima principia, vel ansam dat contrahendae pravae consuetudinis postea difficulter curabilis; 4) si ignorantia periculum formalis peccati creat, v. g. in occasione proxima persistendi, quae, si ut talis cognosceretur, evitaretur; 5) si instructio certo non est nocitura; 6) si silentium confessarii positivam approbationem rei malae contineat; 7) si poenitens habet id pro peccato vel gravi peccato, quod non est, siquidem melius est multorum venialium peccatorum occasionem aliquam exsistere, quam unius peccati subjective mortalis; 8) si damnum commune vel scandalum grave et imminens impendet (sc. generatim facienda est monitio, etsi fortasse non statim habeat fructum: si tamen de omni utilitate monitionis desperatur, non est cur fiat, nisi lex positiva eam absolute praecipiat).

In aliis igitur circumstantiis, si prudenter timetur, poenitentem 875
ex monitione e materiali tantum peccato lapsurum esse in peccatum formale, adeoque vix monitis obsecundaturum: monitio omittenda est. At hîc praeoccupari debet difficultas ex hac doctrina facile oritura, quomodo poenitens satis dispositus sit, qui putetur non obsecundaturus praecepto gravi, si illud cognoverit. Responsio non est ita difficilis. Poenitens paratus quidem esse debet ad implendas omnes obligationes graves, quas cognoverit, atque hîc et nunc eum sic dispositum reperire debet confessarius: sed nihilominus prudenter timeri aliquando potest, ne, gravi et difficili obligatione cognita, difficultate terreatur et propositum generale, quod habuit et retinet, *tunc mutaturus sit. Praesens* enim difficultas facile mutare potest voluntatem;

neque requiritur ad absolutionem, ut peccator nunquam mutet voluntatem, sed ut voluntas hîc et nunc bona sit.

Hinc est etiam, quod S. Alphonsus, *Prax. conf.* n. 39 monet, imprudenter aliquando moneri rudes de graviore malitia adulterii, incestûs, quam hucusque ignoraverint, eo quod, si relabantur, revera tum gravius peccent.

§ 2.

De obligatione remedium afferendi contra relapsum.

876 Nisi confessarius studeat poenitentes contra relapsum praemunire, fere oleum et operam perdet, neque fideliter munere suo fungitur.

Quod ut rite effici possit, 1) radices et causas peccatorum investigare debet, 2) indolem et ingenium poenitentis introspiciat oportet.

Afferam breviter ea, quae Lacroix l. 6 p. 2 n. 1825 omnino ad rem proponit.

I. Remedia universalia ad praecavenda peccata et ad profectum faciendum.

1. Praecipuum et universale remedium ad omnia vitia exstirpanda et inserendas virtutes est humilis et frequens oratio cum magna fiducia in Deum. — Quare omnino inculcandum est poenitenti, ut tempore tentationis *statim* oret et cum multo fervore atque constantia divinae gratiae auxilium imploret. Poenitentes magis pii inducendi sunt, ut sibi familiarem reddant usum precum jaculatoriarum atque frequenter per diem pia aspiratione ad Deum utantur.

2. Multum juvat, imo necessarium est, frequenter renovare propositum non peccandi, atque circa observationem propositi conscientiam discutere. Quare poenitens saltem mane non obiter, sed serio proponat cavere a peccato, imo saepius in die hoc propositum repetat, vespere vero examen conscientiae per aliquod tempus instituat, non perfunctorie, sed percurrendo singula diei tempora vel actiones, atque sincerum dolorem de omnibus peccatis eliciat.

3. Frequens confessio; quae post lapsum in peccatum mortale *statim* assumatur, alias statis temporibus fiat.

4. Frequens accessus ad S. Communionem, at cum debita praeparatione et gratiarum actione.

5. Fuga malorum sociorum, et conversatio cum piis et benemoratis; praesertim *pro circumstantiis* fuga cauponarum, saltationum, ludorum scenicorum, vel certorum dierum profanae solemnitatis.

6. Lectio piorum librorum.

7. Meditatio veritatum aeternarum, et vitae Christi et Sanctorum.

8. Recordatio frequens Dei ubique praesentis.

9. Recordatio novissimorum secundum S. Scripturam (Eccli. 7, 40): „In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.“

10. In poenam relapsûs assumere voluntariam poenitentiam, eamque jam praevie constituere. Quod remedium summopere commendandum est non tantum contra peccata gravia, sed etiam contra leves defectus vel solas imperfectiones, si quis ad perfectionem adspirat.

Quae poenitentia semel statuta assumi debet, ne inconstantia damnum non leve inferat.

11. Specialem devotionem exercere erga SS. Cor Jesu, erga B. Mariam Virginem, erga Angelum custodem: quae ut melius exerceatur, pauca quaedam statuenda sunt pia opera, quae in hunc finem *constanter* fiant. Melius est enim pauciora constanter agere, quam plura sine constantia et ordine, sed secundum genium et transitorias consolationes.

12. Fiducia et perseverantia etiam post relapsum semper retinenda. Nihil magis vires spirituales corrodit, quam animum despondere, atque propter frequentes relapsus emendationem pro difficiliore vel quasi impossibili habere. Quod certe ex aliis remediis male adhibitis oritur, atque in occulta quadam superbia fundatur. Quare abjecta omni fiducia, quam homo in se ipso ponat, eo major fiducia in Deo Deique auxilio collocanda est, qui, quo frequentiora et graviora peccata commissa fuerint, eo magis hominem lege sua pungit atque urget, ut tandem aliquando a peccatis desistat, atque semper ad auxilia danda paratus est.

II. Dein particularia remedia contra singula vitia consulenda 877
confessarius sibi comparabit tum ex exemplo Christi et Sanctorum in oppositis virtutibus; tum ex effatis S. Scripturae contra singula vitia; tum ex exercitio virtutum vitiis oppositarum commendando, ita ut superbus in operibus humilibus, avarus in eleemosynis, gulosus vel luxuriosus in abstinentia vel mortificatione etc. sese exerceat.

Articulus III.

De obligationibus confessionem subsequentibus.

Una obligatio per se atque semper ex confessione excepta oritur, 878
obligatio strictissimi secreti seu sigilli sacramentalis; altera per accidens oriri potest, videlicet corrigendi errores, qui commissi sint.

§ 1.

De secreto sacramentali seu sigillo confessionis.

Punctum I.

De ipsius sigilli *obligatione.*

Sigillum confessionis sive sacramentale sigillum obligatio est sub secreto servandi ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt. Quam obligationem eamque strictissimam adesse, nemo est qui neget. Sed ejus originem atque conditionem diligentius inspicere convenit.

1. *Obligatio sigilli sacramentalis est ex lege divino-naturali, ecclesiastica lege confirmata:* Later. IV. cap. 21.

2. *Obligatio haec semper spectat ad virtutem religionis; ad virtutem justitiae potest duplici ratione spectare,* ratione famae non laedendae et fidelitatis servandae.

3. *Obligatio religionis parvitatem materiae per se non admittit,* nisi forte *in indirecta laesione* periculum valde remotum sit; obligatio ju-

stitiae eam admittit, si videlicet res narrata in se est parvi omnino momenti.

4. Quare *sigilli sacramentalis obligatio*, si totaliter respicitur, in eo *discrepat ab omni alio secreto*, quod 1) parvitatem materiae non admittat, 2) quod secreti obligatio etiam erga eum ipsum urgeat, qui confessus est, seu quem secretum respicit, 3) quod nulla unquam exceptio admitti possit, quae a servando secreto eximat, ne gravissimum quidem et commune damnum. — Hinc sacerdos utcunque interrogatus de rebus confessionis, per se interrogantem plane repellere debet; verum si aliter nequeat suspicionem contra poenitentem repellere, omnino dicere vel etiam jurare debet, sibi hanc et illam rem a poenitente dictam non esse. Haec enim necessaria restrictio mentalis, nunquam *pure* mentalis est, neque poenitens peccata sua sacerdoti dixit ut huic homini, sed ut Christi locum tenenti: respondere autem tantum potest et debet de iis, quae ut homo cognovit.

879 5. *Obligatio sigilli, sicut ex omni confessione saltem inchoative sacramentali oritur, ita etiam restringitur ad eam.* — Oritur ergo ex peccatorum narratione, quae confessario ideo fit, quo expeditius postea formalis confessio instituatur; sed non oritur ex narratione peccatorum ex fine omnino alio facta; neque oritur ex confessione *ficta*, ad decipiendum confessarium facta; scienter laico facta; ex conscientiae manifestatione Superiori extra confessionem data, licet hîc strictissima oriatur secreti obligatio.

6. *Neque licet in materia sigilli probabilitate uti contra poenitentem:* nam quum primum vere probabile fuerit, sive facto sive jure, subesse sigilli secretum, id rigorose servandum est. Cf. *Theol. mor.* n. 456—458.

Punctum II.

De *objecto* sacramentalis sigilli.

880 Objectum sigilli est: 1) quidquid est materia confessionis sive vera sive putativa; 2) omne id, quod ad materiam confessionis in concreto declarandam servivit; 3) omne id, cujus manifestatio materiae sigilli manifestationem secum trahat, vel confessionem odiosam reddat.

Igitur **objectum sigilli in specie** sunt:

1) Quodlibet *peccatum mortale* non tantum in individuo, sed etiam omnino in genere, sc. poenitentem graviter peccasse.

2) Peccata *venialia quaelibet in individuo*, seu secundum speciem suam, imo etiam in genere dicere, poenitentem venialia peccata graviora commisisse, aut eum de novo peccata venialia perpetrasse, et similia. Sed generice id tantum dicere, poenitentem venialiter peccasse seu solum venialia peccata confessum esse, non continet laesionem sigilli, siquidem ipse poenitens confitendo re ipsa omnibus id dicit, se *aliquod* peccatum saltem veniale habere: quod de cetero nullum hominem cavere omnino posse, fide certum est, nisi speciale privilegium divinae gratiae receperit, quod collatum esse, de sola B. M. V. constat.

3) *Poenitentia imposita*, nisi sit adeo levis, quae pro levissimis peccatis injungi soleat: nam gravior poenitentia innuit, graviora peccata esse commissa.

4) *Peccatum complicis*, siquidem cum peccato poenitentis intime conjungitur, atque ad ejus concretam declarationem sive necessario sive libere complicis mentio facta est.

5) *Omnes circumstantiae peccatorum* aut eorum *objecta*, quocunque tandem modo objecta horum peccatorum erant, v. g. homicidium, de quo poenitens gavisus sit; duellum, cujus fuerit spectator; crimen alienum, quo ad iram, vindictam motus sit. Verum si objectum peccati est factum seu crimen publicum, etsi confessario per accidens ignotum, saepe ex modo dicendi satis concludi potest, poenitentem illius publici facti notitiam potius supponere vel praevie dare, quam sigillo claudere velle, si modo confessarius non dicat, se *ex* confessione ea scire.

6) *Defectus*, qui ad explicandum peccatum dicuntur, ut *illegitimitas*, quacum poenitens v. g. ordines suscepit contra ecclesiasticam legem irregularitates statuentem.

7) *Conditio, status* poenitentis ex se potest quidem objectum sigilli 881
esse, quatenus hujus statûs conditionisque declaratio necessaria est ad peccata secundum infimas species declaranda; attamen de hac re idem illud observa, quod ad 5) de facto publico alieno dictum est.

8) *Scrupuli* vel *scrupulositas* poenitentis potest diverso modo cognosci et intelligi: et pro diversa hac cognitione aut materia sigilli est, aut materia naturalis secreti. Nam a) scrupuli, quae putat poenitens fuisse peccata, *directe* objectum sigilli sunt; b) scrupuli, in quibus non satis secutus sit consilium sui directoris, vel in quibus patet, plures imperfectiones vel venialia peccata esse commissa, *indirecte* ad sigillum pertinent; c) alias tandem scrupuli ad secretum naturale pertinent, quod eo gravius urget, quo magis connectatur cum confessione.

9) Dein: *virtutes* et *dona divina* per se sigilli objectum non sunt, at possunt esse objectum strictissimi secreti naturalis et commissi; si vero ipsa illa Dei dona manifestantur tamquam objectum, circa quod peccatum commissum fuerit, quatenus sic tantum manifestantur, objectum sigilli sunt secundum n. 5).

10) *Peccata in ipsa confessione* a poenitente commissa *per se* et *directe* materia sigilli non sunt: attamen plerumque eorum manifestatio *indirecte* sigillum violat, quia indicat adfuisse graviora peccata accusata. V. g. contumelia, impatientia erga confessarium a poenitente commissa plerumque indicant, a confessario poenitentem acrius esse correptum, ac proin eum gravius aliquod peccatum dixisse: quod innuere, sigilli violatio est. — Si vero constet, impatientiae causam fuisse confessioni plane extraneam, eam aliis indicare, sigilli violatio non sit, fortasse tamen peccaminosa famae detractio. — Cf. *Theol. mor.* n. 459—461.

Punctum III.

De sigilli *subjecto.*

Obligatio sigilli eos omnes respicit, qui utcunque sive legitime 882
sive illegitime ad notitiam materiae sub sigillo sacramentali communicatae pervenerunt. Juvat singulos enumerare, ad quos ut haec notitia deveniat, facilius fieri potest.

1. *Confessarius, qui confessionem excepit;* non ita per se sacerdos, ad quem aliquis literas misit, quae materiam suae conscientiae tractant. Communicatio enim illa per literas non est per se sacramentalis confessio: quamquam strictissimum secretum naturale et commissum inde oritur.

2. *Superior, ad quem sive poenitens sive confessarius* (ex licentia poenitentis) *pro casu reservato similive causa recursum habuit sive verbo sive per literas.* Videlicet ille Superior cum confessario ipso unum quoddam tribunal facit, ad quod poenitens pro confessione confugere *debet,* et viam per literas jure suo eligere potest.

3. Similiter literae, quas confessarius cum licentia poenitentis ad hunc dirigit in materia confessionis, prorsus notitiam sigillo sacramentali clausam continent. Quare *quicunque praeter poenitentem sine ipsius licentia eas legat,* sigilli sacramentalis violationem committit.

4. *Ille, qui ad confessionem peragendam a poenitente ut persona intermedia adhibitus est,* ut interpres, aut scribens peccata pro poenitente, qui aliter confiteri nequeat.

5. *Ille, quem confessarius ex licentia consulit,* aut utcunque notitiae ex confessione habitae participem reddidit, nisi forte poenitens *ampliorem* concessit facultatem.

6. *Ille, qui sive casu, sive ex consulto audivit alterum peccata sua sacramentaliter confitentem:* hoc autem ex consulto seu advertenter facere, jam continet sigilli violationem.

7. *Illi, quibus confessarius sive advertenter sive inadvertenter rem ex confessione notam narraverit.* Imo rectissime docet Suarez, si quando revera concionator coram tota multitudine sigillum violarit, *omnes* ita ad sigillum teneri, ut ne inter se quidem de re audita loqui possint.

883 8. Legens chartam, in qua poenitens peccata sua scripsit, aliquando ad sacramentale sigillum obligatur, aliquando ad solum secretum naturale.

Ad sigillum tenetur: 1) si e manibus confessarii, cui eam poenitens confitendi causa tradidit, eripuerit; 2) si confessarius eam amiserit, in confessionali reliquerit, quia haec notitia non est nisi *confesssarii* notitia ad alios casu extensa, confessarii vero notitia est sigillo clausa; 3) si poenitenti, quum confitetur, eripiatur vel e manibus elapsa sit: tunc enim eam legere est *invadere* confessionem poenitentis; 4) si poenitenti scriptio necessarium medium est confessionem integram faciendi, ante ipsam confessionem chartam legere, est sacramentalem notitiam invadere, atque ita sigillo obstringi; 5) idem dic in omni casu post confessionem, *antequam* charta sic ad poenitentem rediit, ut eam *libere* servaverit, quum destruere potuerit.

Si igitur 1) poenitens confessione peracta chartam libere reliquit, abjecit, non destruxit: qui eam invenit et legit, secreti naturalis laesionem gravem committere potest, non sigilli laesionem. Aut si 2) poenitens omnino pro suo libitu peccata sua conscripsit, illud scriptum ante sacramentalem confessionem legere gravissimi secreti naturalis laesionem continere potest, et per se continet, non vero sigilli laesionem. Cf. S. Alph. n. 650.

Punctum IV.

Quo modo sigillum sacramentale violari possit.

1. Violatio sigilli est quaelibet *communicatio* sive narratio earum 884
rerum, quae sub sigillo continentur, sic facta, ut simul notitia personae detur, aut re ipsa quidem non notitia personae sed periculum eam cognoscendi vel objectiva personae determinatio adsit; et quilibet *usus* rerum sub sigillo clausarum, qui aptus sit ad reddendam confessionem odiosam vel onus incommodumque poenitenti creandum vel suspicionem erga aliquem suscitandam.

2. Si immediate et per se materia sigilli narratur simul cum persona poenitentis, *directam* habes sigilli violationem: si ex materia sigilli narrata periculum tantum oritur cognoscendae personae, vel incommodi ei excitandi, *indirectam* sigilli violationem habes.

3. *Indirecta* sigilli violatio materiae parvitatem eo sensu admittere potest, quod leve peccatum videtur esse, 1) si cum narratione vel *usu rei* sub sigillo sacramentali cognitae periculum cognoscendae personae admodum leve conjungitur; 2) si confessarius loquens ex notitia confessionis de peccatis in certo loco, urbe vigentibus, gravamen *admodum leve* loco illi ejusque incolis contra institutum sacramenti creet neque diffamatio ullius momenti censeri debeat. Attamen in dubio, num haec adeo levia sint, pro malitia gravi standum est.

Ex quibus facile infertur: 885

1. Violatio sigilli est, si de notorio fure dico, eum *sua furta* cum magna contritione confessum esse. Ita ex *communi* sententia Lugo disp. 23 n. 61, Reuter, *th. mor.* p. 4. n. 378. Contra sigillum non est dicere: ille (notorius fur) peccata sua confessus est, non exprimendo, *quaenam* peccata sit confessus: cf. eosdem auctores l. c.

2. Violatio sigilli est, si duo confessarii, apud quos idem poenitens peccata sua confessus est, inter se de poenitentis peccatis loquuntur.

3. Violatio sigilli est, cum ipso poenitente de confessione loqui, nisi ipse incipiat, neque tunc debet sermo institui nisi *de ea particulari materia,* de qua poenitens loqui coepit.

4. Generatim sigilli violatio est dicere, me hunc vel illum poenitentem non absolvisse, quia communiter aliquod grave peccatum atque poenitentis indispositio innuitur. — Imo Lugo l. c. n. 85 dicit, etsi poenitens dicat, se non fuisse absolutum, omnino falsum esse, tunc confessarium idem dicere posse. At res pendet a diversis circumstantiis.

5. Loqui indeterminate de peccatis in confessione auditis, ita ut nullum periculum cognoscendae personae aut suspicionis contra aliquos concipiendae subsit, non est contra sigillum: attamen 1) cavendum est a scandalo laicorum, qui facilius putare possunt subesse sigilli violationem, imo ab ipsa confessione possunt deterreri; 2) cavendum est, ne facilius putetur omne periculum abesse.

6. Loqui de peccato vel vitio regnante in tali loco vel urbe, violatio sigilli non est, si locus resp. parochia est satis ampla (S. Alph. dicit 3000 catholicorum circiter) et agitur de criminibus, quae, utpote publica, novam diffamationem loco non inferant; est contra sigillum,

si 1) ex peccatis narratis et modo narrationis civitas diffamationem patitur, 2) communiter, si locus satis angustus est. Verum in hac re videtur id patere, quum certi limites, qui gravem violationem sigilli ab omnimoda liceitate distinguant, accurate definiri non possint, posse aliquando nullum, aliquando gravem, aliquando levem notitiae sacramentalis abusum seu violationem adesse.

7. Post paucorum confessiones auditas unum prae aliis extollere, aut dicere: audivi tale peccatum; periculum contra sigillum et facile quidem gravem violationem continet.

8. Si sine violatione sigilli confessarius necem sibi paratam effugere seu evitare nequit, aut sacrilegium objectivum non potest evitare: haec potius pati aut permittere *debet*, quam sigillum violare. Attamen in confessione potest vel debet poenitentem monere, ipsum obligari, ut facultatem utendi hac notitia concedat.

886 9. Superioribus prorsus non licet uti notitia ex confessione habita ad externam gubernationem vel ad quidquam agendum, quod poenitenti ullo modo odiosum sit, seu quod si agi licere sciatur, confessionem odiosam vel gravem reddat. Quare propter confessionis notitiam Superior non potest mutare dispositionem etiam sola mente factam: potest vero accidere, ut in confessione id poenitenti declarare debeat, sibi in mente fuisse ita et ita disponere, nunc vero ipsum poenitentem obligari, ut sibi det licentiam ab hoc proposito resiliendi. Cf. Clement. VIII. 26. Maji 1593 „*Sanctissimus*“ (in Bullar. C. 26. inter Constit. Urb. VIII.). Et ita in similibus non licet propter confessionem alii confessario quidquam in odium poenitentis agere.

In hunc finem confer propositionem 18. Nov. 1682 ab Innoc. XI. damnatam: „Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non-usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.“ — Ergo non licet uti confessionis notitia cum ullo gravamine poenitentis, etsi ex non-usu malum longe majus, imo maximum, sequatur, neque — ut expresse addit S. Inquisitio — ulla proprie dicta revelatio requiritur, ut notitiae confessionis usus illicitus evadat.

Si vero neque ullum revelationis periculum, neque ullum gravamen poenitentis sequitur: notitiae sacramentalis usus non est illicitus, e. g. poenitenti se benevolum exhibere, pro eo orare, directionem spiritualem aliorum addiscere, *in genere* ex notitia confessionum in concionibus directionem sumere, sed caute et citra omne periculum vel scandalum.

Neque propter sigillum impeditur confessarius, quominus utatur notitia aliunde habita contra poenitentem. Sed ut evitet omnem suspicionem et scandalum, expedit vel necessarium erit, poenitentem de hac ipsa re monere, ne putet, agi cum sigilli violatione.

10. Loqui cum poenitente in proxima confessione de materia priorum confessionum, non censetur esse contra sigillum: at ne id quidem *sine causa* fieri debet; aliter id ipsum grave esse potest poenitenti. — Imo post absolutionem datam antequam poenitens recessit a confessario sive e confessionali, si quae dicenda occurrunt, sine sigilli laesione dici possunt, quia sacramentale judicium moraliter adhuc perdurat.

11. Sigilli obligatio quum sit in solum favorem poenitentis, ipse 887
isque solus ejus obligationem remittere aut relaxare potest: sed licentia omnino *libere data,* nullatenus ne per reverentiam quidem quasi extorta esse debet, ut sine sigilli violatione loqui possim. — Quando igitur licentiam prorsus libere dedit poenitens, relate ad complices aliosque *sigilli* obligatio nulla est; attamen communis caritatis et justitiae lex, ne v. g. fama aliena laedatur, prorsus adhuc subsistere potest, atque eo gravior, quo facilius suspicio violati secreti sacramentalis sacramento odium creet.

12. Quaeritur etiam, num et quando sigilli violatio committatur, si dicat confessarius, se peccatum grave religiosi hujus vel illius ordinis audivisse. Qua in re ut judicium rectum feratur, videndum est 1) utrum ex natura peccati, quod narretur, aliqua ordinis diffamatio sequatur necne; 2) coram quibus sermo instituatur, siquidem inde multum pendet diffamatio; 3) utrum aut ex ipsa narratione aut ex adjunctis suspicio cadat in incolas paucarum domorum. Ex his omnibus concludi tandem debet, utrum gravis sigilli violatio sit, an levis, an nulla. Nullam esse, non ita facile accidet.

§ 2.

De obligatione corrigendi defectus in confessionibus exceptis commissos.

Quamquam commune est omnium, qui munus aliquod gerant, ut 888
post munus gestum ea corrigere et emendare debeant, in quibus erraverint, atque ita aliis etiam sacramentis administratis ea obligatio ministro incumbere potest: tamen, quae alias ad illam obligationem spectant, satis intelliguntur, modo ad ea, quae de repetendis sacramentis dicta sunt, attendas; sed in sacramento poenitentiae, in quo propter diversa confessarii officia facilius et gravius errari potest, quaedam monita de praecipuis erroribus emendandis exponantur oportet.

Verum antea opus est, distinctio diversorum defectuum attendatur.

1. Defectus vel error committi potest *circa substantiam* sacramenti, aut circa sacramenti *accidentia.*

Ad substantiam pertinet *valida absolutio.* Ad accidentia pertinent tum ea, quae munera confessarii accessoria spectant ut medici, doctoris, tum quae muneris quidem principalis sunt, i. e. a confessario *ut judice* fiunt, at in parte sacramenti non essentiali, sed integrali tantum, v. g. poenitentiae impositio, interrogatio ad integritatem spectans, monitio recta vel falsa de restitutione, ejusve omissio.

2. Defectus commissi possunt *conjungi cum gravi damno* sive poenitenti sive alteri orituro, aut esse sine gravis damni periculo.

3. Defectus vel error accidere potest *ex gravi culpa* confessarii, aut *sine ejus culpa saltem gravi.* Quando scilicet culpa *gravis* abfuit, etsi non omnis negligentia et levis culpa, error tamen potius inter *inculpabiles* numeratur, quam inter *culpabiles,* quia plene voluntarius non erat.

4. Defectus vel error potest aut *positive* committi, i. e. aliquid agendo, aut *negative,* i. e. silendo seu omittendo id, quod agendum erat.

Quibus praenotatis, haec statuenda sunt principia: 889

1. *Error utcunque commissus circa valorem sacramenti reparandus est ex justitia et secundum regulas justitiae:* quare si cum gravi culpa erratum est, reparatio fieri debet, etiam cum incommodo relative gravi.

2. *Error circa accidentia commissus positive item ex justitia reparari debet et secundum justitiae regulas:* i. e. quoad reparationem idem dic, ac modo in n. 1; imo si graviter peccatum non est, at neglecta est correctio adhibitu facilis, fieri potest, ut restitutio sub gravi urgeat.

3. *Error circa accidentia commissus negative, ex caritate reparandus est, sive culpabiliter sive inculpabiliter est commissus, quamquam pro graviore culpa graviore etiam obligatione secundum caritatis regulas.* Quare hi errores saepe in subsequenti confessione tantum reparandi sunt, neque extra. — Verum si quid extra confessionem reparandum est, sane necessaria est licentia poenitentis, ut loqui liceat: quae peti potest indicando, esse quid ex confessione loquendum, quod ipsi gratum vel necessarium fuerit; sed si licentia denegatur, confessarius loqui nequit. — Absolutio autem omissa vel invalide data dari potest postea poenitenti inscio, modo praesumi possit, novum peccatum non intercessisse.

Caput IV.

Diversarum confessarii obligationum ad diversa poenitentium genera applicatio.

890 Hanc materiam tractandi propria sedes in pastorali theologia est, quam nostra aetate ut distinctam disciplinam tradunt, et quam alii in practicis confessarii instructionibus explicare consueverunt. — Propria ascesis et experientia, prudentia christiana atque lumen Spiritûs Sancti enixe implorandum in multis dirigere debent, ne omnes unâ viâ ad christianas virtutes et perfectionem cogantur, sed ratio habeatur diversae indolis cholericae, sanguineae, phlegmaticae, melancholicae, ratio etiam diversi statûs animae habitualis et conscientiae affectionis, atque diversae statûs et vitae conditionis. — De his igitur nobis diutius loqui fas non est, sed solummodo ea breviter tractaturi sumus, quae pro *diversa dispositione* poenitentis circa *absolutionem* confessario difficultatem facere possunt.

Articulus I.

De difficultate confessarii deprehendendi necessariam instructionem.

§ 1.

De confessione puerorum.

1. Imprimis videat confessarius, num puer habeat sufficientem usum rationis, ut intelligat quid agat. Nam si hoc valde dubium est, eo quod in ipsa confessione alienis rebus se occupet, socios circumspiciat, clathris ludat — nisi aliis indiciis hanc praesumptionem defectûs rationis diluerit — eum non absolvat, nisi conditionate *in casu necessitatis.*

2. Si alioqui satis instructus est, sed prae puerili levitate minus attendat: in hoc confessarius imprimis incumbat — quod generatim quoad pueros et puellas tenerae aetatis observare debet — ut *cum iis* verum supernaturalem dolorem cum proposito eliciat. Imo generatim ante ipsam confessionem ad pueros hac de re verba faciat, si tamquam parochus vel vicarius eos communiter ad confessionem admittit.

3. Caveat, ne pueri falsa conscientia imbuantur, id habentes pro peccato vel gravi peccato, quod non est: hunc errorem, qui stulta educatione saepe producitur, stirpitus evellat.

4. Magna prudentia opus est, si suspicio adest, ne puer turpia agat, ne ex una parte sinatur contrahere pessimam consuetudinem, neve imprudenti interrogatione discat quod nescivit.

5. Prudentia et fortitudine uti debet confessarius, si deprehendat puerum in proxima occasione, v. g. eo quod pueri simul in lecto dormiant atque illicita agant: hanc occasionem tandem removendam curare debet. Magis etiam apud parentes insistendum est — at sine laesione sigilli sacramentalis — ne pueros atque puellas simul in eodem lecto dormire sinant.

§ 2.

De confessione rudium.

Certe homines alioqui rudes in negotio salutis non semper ita 891
rudes sunt, sed non raro peritiores et diligentiores quam homines exculti. Verum hîc loquor de iis, qui ex modo sese accusandi atque gerendi suspicionem ingerant, ne forte minus instructi sint vel minus diligentes circa salutem.

1. Facile igitur accidit, ut, etsi diligentes sint in enumerandis peccatis, de dolore et proposito non satis cogitent, vel putent, satis esse, si postea ejusmodi actum eliciant sive formulam recitent. Confessarius ergo omnino invigilet 1) ut eos moneat, semper ante confessionem eos incumbere debere, ut ex animo de peccatis doleant, propositumque in posterum non peccandi concipiant; 2) ne contenti sint sola formula recitanda, sed coram Deo perpendant, quid formula hac dicant, aliove modo *corde* concipiant dolorem detestationemque peccati.

2. Si vix habent, quod accusent, videndum est, unde defectus ma- 892
teriae accusationis oriatur. Si ex vitae uniformitate, in qua quum continuis laboribus premantur, graves tentationes passi non sint, ipsi autem bona quidem, sed non ita delicata conscientia utantur: proponat confessarius aliqua peccata quae facile committuntur, etiam ex priore seu ex tota vita, atque de iis saltem paulo gravioribus ipse eos excitet ad dolorem et propositum. Cf. supra n. 787.

3. Si vero defectus accusationis oritur ex defectu examinis, videat confessarius, num supplere ipse possit examen: quod tunc faciat, monitis poenitentibus de obligatione in posterum id melius faciendi, et simul accusationem et dolorem excitandum curet de negligentia in examinatione commissa; alioqui benigne moneat, ut post aliquod tempus pro discussione conscientiae insumptum revertantur.

4. Si defectus accusationis oritur ex nimia inscitia, quâ prima fidei mysteria scitu necessaria ignorantur: instruendi sunt omnino poeni-

tentes. — Si forte inveterata consuetudo peccandi aliquem ita hebetem fecerit, confessarius imprimis laborare debet, ut hunc habitum emendet, et generatim absolutio differenda est.

5. Cum hominibus rudibus et inferioris conditionis ex una quidem parte aliquando paulo acriore agendi et loquendi modo opus est; ex altera autem parte confessarius omnino cavere debet, ne asperitate eos laedat vel repellat: mirum enim est, quantopere etiam illi homines duriusculo agendi modo offendantur, attrahantur benignitate.

§ 3.

De semifatuis.

893 1. In dijudicandis iis hominibus, qui plena ratione non utuntur, imprimis distingui debet et investigari, utrum 1) sint certo plene fatui; an 2) plene fatui certo non sint, sed semifatui tantum, ita ut inter bonum et malum morale distinguere atque actus etiam supernaturales elicere possint; an 3) dubium hac de re maneat.

2. Pro diversa hac conditione diversimode agi cum illis debet. Nimirum si constat, hominem esse semifatuum tantum, et alioqui piae indolis, nihil obstat, quominus saepius ad sacramenta admittatur. Reuter, *Neoconfess.* n. 192 cum Gobat dicit, eum absolvi posse singulis mensibus, si hîc et nunc judicetur habere saltem imperfecte actus ad poenitentiam necessarios. — Si vero major malitia in eo deprehenditur, ita ut fortasse sufficiat ad mortale peccatum committendum, magis etiam urgere potest necessitas eum absolvendi, ne maneat in peccato fortasse commisso, sed etiam major necessitas eum plenius per dolorem aliosque actus disponendi.

3. Si prudens dubitatio est, utrum usus rationis tantus sit, quantus sufficit ad peccatum actusque morales et supernaturales, necne: absolvendus ille homo est sub conditione: 1) omnino in articulo mortis; 2) imo etiam aliquoties in vita, saltem in Paschate, v. Reuter ib.; 3) alias etiam, quando affert materiam, quae aut ex se mortale peccatum sit, aut in qua timeri debeat, ne forte homo ille subjective graviter peccaverit.

Absolutio, ut patet, semper danda est sub conditione; atque etiam praemitti debet instructio de necessariis actibus, qui ope confessarii ejusque auxilio a poenitente eliciantur.

§ 4.

De surdis et mutis.

894 1. De integritate confessionis a talibus hominibus exigenda vide, quae supra dicta sunt n. 815. E scripto scilicet confiteri, non est res certae obligationis, at sane esse potest consilii. Signis autem mutos, quantum apte fieri possit, confessionem complere debere, certum est.

2. Istorum hominum curam parochus eatenus majorem gerere debet, ut eos instruendos curet, ut ex seipsis satis praeparati ad confessionem accedere assuescant; atque locum separatum illis destinet, ubi libere cum iis agi queat, quoniam in ipso confessionali sine sigilli violatione ejusve periculo non omnia possunt tractari.

3. Si quis surdus idemque mutus est, certe temporibus nostris satis instrui potest. Curari autem debet, ut ab eo instruatur, qui eum etiam christianam doctrinam doceat, atque bene instituat in actibus fidei, spei, caritatis, doloris et propositi eliciendis, idque ex propriis uniuscujusque actûs motivis formalibus; neque solis libris precatoriis hac in re fidendum est, quum reperiantur in iis formulae, quae ne essentiale quidem motivum necessariorum actuum contineant.

De confessionis autem integritate hominis surdi ejusdemque muti confessarius utique sollicitus esse non debet. Agat, quantum fieri potest, signis; aut, si poenitens vult, scripto: verum observa, confessarium non obligari, ut scripto faciat interrogationes atque ita extorqueat responsa: id enim odiosum est poenitenti, neque ipse poenitens ad responsa scripta danda, quibus compleat suam confessionem, tenetur.

Articulus II.

De difficultate confessarii in dijudicanda sufficienti dispositione morali.

Magnum negotium in dijudicanda debita dispositione facessunt con- 895
fessario poenitentes occasionarii, et consuetudinarii recidivi: quum, ut supra jam dictum est, non raro contra eorum sinceram atque firmam voluntatem prudens praejudicium oriri possit.

Quare hîc fusius de iis hominibus agi debet. Primo dicam *de occasione,* et quaenam sit obligatio eam auferendi; dein *de consuetudine* et *relapsu;* postremo *breves regulas* subtexam, quae aliquam practicam agendi normam subministrent.

§ 1.

De occasione peccandi.

Praenotanda:

1. Occasio peccandi in genere est quaedam circumstantia homini extrinsecus adjacens, quae eum alliciat et pertrahat ad peccatum.

2. Occasio dicitur aut *remota* aut *proxima,* prout periculum labendi leve est, aut grave et instans: proxima dicitur *absolute proxima,* si pro omnibus hominibus communiter hoc periculum exstat, *relative proxima,* si pro certo homine, accedente peculiari dispositione, illud periculum adest.

Porro *proximam esse occasionem,* colligitur 1. *ex tristi experientia lapsûs,* si nimirum homo, quando versabatur in illis circumstantiis, plerumque aut saltem satis frequenter re ipsa peccavit; si autem notabiliter rarius peccavit, quam victor mansit, occasio ex lapsuum experientia proxima dici nequit: cf. Reuter, *Neoconf.* n. 168; 2. colligitur *ex vehementi tentatione,* cui homo in illis circumstantiis exponitur; nam etsi lapsus nondum accidit, tamen vehementem tentationem *temere* subire nunquam non secum fert grave omnino labendi periculum: quod *ex dogmate* plane constat.

3. Occasio dicitur continua seu *in esse* aut non continua *(non in esse),* prout circumstantia illa alliciens hominem habitualiter comitatur, ut persona in eadem domo habitans, turpis statua quam dominus de-

tinet etc.; aut tum demum homini adjacet, quando sese in haec vel illa adjuncta ingerit, ut sunt v. g. cauponae frequentatio et similia.

4. Occasio dicitur *libera* aut *necessaria*, prout homo, si vult, eam removere sive omittere moraliter potest, aut hoc non potest. Non posse dicitur etiam ille, qui sine incommodo *magno* notabilive damno eam occasionem vitare nequit, e. g. alioqui subiturus infamiam, gravem penuriam etc. — Si vero leve est damnum vel incommodum, occasio debet dici libera.

Quibus notatis, haec statuenda sunt principia:

896 I. *Occasio proxima libera peccandi graviter, sive absolute sive relative proxima, omnino vitari debet, ita ut ipsam libere sustinere sive adire jam sit peccatum mortale:* qui ergo eam non vult relinquere, absolvi nequit.

II. *Occasionem proximam necessariam vitare seu auferre, non absoluta quidem obligatio est; at obligatio gravis est disjunctiva, sc. aut opportunis remediis eam reddendi remotam, aut eam, quacunque difficultate spreta, auferendi.* Videre ergo debet confessarius, quid sit levius, mediis efficacibus continuo uti, an uno conatu occasionem resecare: quod levius est, potius imponat, si tamen spes emendationis relinquitur.

III. *Occasionem remotam non auferre, etsi specialis causa eam subeundi non adsit, ex se grave peccatum non est, si modo nunc est et manet pro futuro occasio remota, atque voluntas determinata sit ad repellendam tentationem, si qua oriatur.* Verum quo majus est periculum intra ipsos fines remotae occasionis, eo gravius est etiam peccatum veniale, quod ille committit, qui sine causa istud subit periculum: accedente autem ratione plus minusve gravi, omne peccatum abest, modo, ut dixi, voluntas firma persistat non peccandi.

897 IV. *Si de periculo venialiter peccandi agitur, etiam illud temere subire, modo ne secum trahat periculum mox labendi in mortale, peccatum veniale est:* at si illud, unde periculum oritur, actio in se honesta et utilis est, ex hac ipsa bonitate ratio sufficiens agendi habetur, ita ut illud aliquale periculum non debeamus attendere, sed potius remediis adhibitis nos ipsos praemunire; aliter enim innumerae actiones utiles metu peccandi impedirentur, quod non tam hominis cauti et timorati, quam pusillanimis est. Inutilia autem, quae jam ex se sine aliquali peccato fieri vix possunt, etiam multo magis propterea declinare, quod incitamenta ad alia venialia peccata esse possint, hominis vere prudentis et suae perfectionis cupidi est.

§ 2.

De consuetudine et relapsu.

898 1. Consuetudinarius ille dicitur, qui frequentia in certo genere peccandi habitum seu pravam inclinationem eorum peccatorum committendorum contraxit.

2. Quaenam frequentia ad id necessaria sit, accurate statui nequit. Generatim observari debet: 1) sufficere minorem numerum peccatorum *externorum* constanter perpetratorum, quam si agitur de consuetudine in peccatis internis; 2) facilius contrahi consuetudinem per *uniformem* modum relabendi, quam eodem quidem peccatorum numero, sed modo

saepius modo rarius post seriam pugnam commissorum; 3) facilius contrahi consuetudinem in iis peccatis, quae cum magna voluptate vel affectu committuntur, quam quae fiunt sine illa.

S. Alphonsus in *Praxi confess.* n. 70 dicit, eum, qui per notabile tempus quinquies in mense peccaverit peccato operis, dici debere consuetudinarium; imo in materia luxuriae fornicationem vel similia semel in mense per annum commissa *consuetudinem* peccandi induxisse. — Ceterum haec accuratius definire, tanti non interest, quando agitur de absolutione danda vel differenda. Nam qui, non obstante vitioso habitu, sinceram voluntatem hujus habitûs impugnandi habet, nihil est, cur propter pravum habitum ab absolutione excludatur. Imo ille habitus contractus facit, ut facilius credamus poenitentem sinceram voluntatem emendationis habuisse et habere, etsi aliquando relapsus acciderit, modo ne sine seria pugna acciderit. Si vero consuetudinarius fidem aliquoties ita fefellit, ut sine vera pugna semper eodem modo post institutam confessionem peccaverit, jam propter *relapsum* difficilior evadet ejus absolutio, sive homo ille strictiore sensu consuetudinarius est sive minus stricto.

3. Relapsus igitur vi vocis dicitur peccati jam accusati iterata per- 899
petratio. Verum sensu theologico *recidivi* vocantur ii, qui pluries confessi semper eodem modo relapsi sunt. Ex quo patet, recidivum vix non esse consuetudinarium, non autem quemlibet consuetudinarium posse dici recidivum.

4. Relapsus in eadem peccata sine emendatione et sine vi, quam poenitens pugnando contra vitium sibi intulerit, non directe quidem praejudicium contra praesentem poenitentis dispositionem creat, attamen creat *indirecte*. Nam relapsus ille directe praejudicium creat contra dolorem et propositum, quod homo ille in praecedentibus confessionibus exhibuit: qui enim *sincere* dolet et firmiter proponit peccatum aliquod omittere, saltem per aliquod tempus se continebit, neque illico in primo cum hoste congressu victas manus dabit.

Unde jam indirecte non ita raro contra praesentem dispositionem concludi debet: si enim poenitens eodem modo atque antea, nec ferventius et melius asserit se dolere, ejus verbis majorem fidem adhibere non possumus, quam eadem assertio antea merebatur. Hinc:

§ 3.

De quibusdam regulis circa absolutionem recidivorum et occasionariorum.

1. Pro majore vel minore difficultate absolutionis dandae ita fere 900
poenitentes in quasdam classes dividere possumus, sc. eorum,

1) qui versantur in proxima occasione libera eaque continua;

2) qui versati sunt saepius in proxima occasione libera non continua;

3) qui versantur in proxima occasione continua, sed necessaria;

4) qui saepius versantur in proxima occasione necessaria non continua;

5) qui sine externa occasione ex fragilitate interna relapsi sunt.

Scilicet *primi* raro absolvi possunt, antequam re ipsa occasionem reliquerint;

secundi aliquoties absolvi possunt, si serio promittunt vitare occasionem, neque gravis ratio praejudicii contra eos exsistit;

tertii ex parte quidem mitius, ex parte etiam severius tractandi sunt, quam poenitentes secundae classis; nimirum severius saltem exigi debet usus fidelis mediorum, alioqui differenda est absolutio;

quarti adigendi sunt etiam omnino ad adhibenda remedia efficacia: at si tandem *dispositi* esse videntur, raro expedit absolutionem differre;

quinti ordinis poenitentes etiam magis absolutione confortandi sunt, modo sufficientem dispositionem prae se ferant.

901 2. Poenitentes, qui remedia a prudenti confessario praescripta serio adhibuerunt, atque aliquamdiu contra vitia pugnaverunt, etsi dein paulo negligentiores evaserunt atque iterum relapsi sunt, recidivi *stricto sensu* non censentur; neque propter relapsum ratio est, cur nunc absolutio eis negetur aut differatur, modo dolorem et *absolutam* voluntatem non amplius peccandi concipiant.

Verum id circa ejusmodi homines notari debet, esse, qui ex industria una alterave hebdomada a confessione peracta, atque etiam ante confessionem denuo instituendam sese continere consueverint, ut sic quaedam signa sincerae voluntatis confessario possint praebere, sed qui post breve illud tempus semper eodem modo relabantur. Quod si accidit, videri omnino debet, utrum vera voluntas *absolute* abstinendi a peccato adfuerit et adsit, an potius sola voluntas per aliquod tempus sese continendi. Quae posterior voluntas sine dubio plane insufficiens est ad recipiendam absolutionem: atque hujusmodi homines pleno sensu sunt recidivi.

902 3. Stricto igitur seu *pleno sensu recidivi* ii sunt, qui ita sunt relapsi, ut merito inde dubium de dispositione in praeteritis confessionibus colligi debeat. Quo non efficitur quidem, ut repetitio harum confessionum jam pro necessaria habeatur; tamen id efficitur, ut iidem homines nunc melius probare debeant praesentem dispositionem.

At qua ratione et quo gradu haec probatio fieri debeat, certâ regulâ definiri non potest. Quo majus praejudicium contra sinceritatem doloris et ejus nudae assertionis ex frequenti relapsu apparet, eo magis insistendum est, ut hoc praejudicium melioribus poenitentiae signis diluatur. Sed si tandem confessarius sibi dicere prudenter debet, non obstante frequenti relapsu, sibi de sincero dolore et proposito solide persuasum esse: non est, cur absolutio dari nequeat, nisi forte obstet obligatio relinquendae occasionis, faciendae restitutionis etc., quae prius implenda sit.

Quando igitur talis obligatio exsistit, jam prima vice pro regula sumi potest, differendam esse absolutionem, dum poenitens officium suum impleverit, *si facilius sit ei redire, quam obligationi suae satisfacere.* Quod multo magis fieri oportet, si poenitens jam aliquando promissis non stetit; imo si ita est, raro omnino ei fidi debet, antequam re ipsa illi obligationi satisfactum sit. Aliquando tamen per exceptionem id fieri posse, negari non debet, ut si ex una parte poenitens nunc specialia prorsus signa melioris propositi praebet, et ex altera parte gravissimum onus est illi redire.

4. Relapsus si *ex occasione externa* ortus est, aliquando manifestam 903
reddit obligationem auferendi occasionem potius, quam eam per remedia reddendi remotam: si nimirum hoc nimis difficile esse experientia probaverit, neque *adeo* difficile, quamquam satis onerosum, occasionem removere. Imo etiam quando *absolute* id imponi nequit propter nimiam difficultatem, tamen si alias unquam, in hoc casu confessarii est omnino videre, nonne debeat differre absolutionem, ut voluntatem seriam ejus, qui saepius fidem fregerit, experiatur, neque solis promissis, imo nec lacrymis facilius credat confessarius.

Homo vero *relapsus ex interna fragilitate,* si satis dispositus ad recipiendam absolutionem non videtur, potius omnibus modis ad seriam voluntatem dolendi et proponendi induci debet, quam remitti. Attamen etiam in hoc poenitentium genere accidere potest, ut rigor adhibendus atque absolutio ad aliquod tempus differenda, vel aliquando saltem Communio interdicenda sit, si nimirum ex frequenti relapsu cum frequenti susceptione sacramentorum apparet, vel existimari debet, horrorem peccati firmamque voluntatem non amplius peccandi defuisse atque deesse. — Si vero relapsus frequentior ex rariore sacramentorum susceptione oriri videtur, ad frequentiorem usum poenitens potius animandus est.

5. Recidivi, etiam si absolvi absolute possunt, tamen aliquando pro 904
remedio ad breve tempus remitti possunt, ut videlicet interim melius de peccati malitia recogitent, atque melius dispositi majorem fructum ex sacramentis hauriant. Verum hujus experimenti usus prudenter omnino fieri debet, maxime nostris temporibus, quibus qualibet difficultate homines infirmi a sacramentis retrahantur. Imo meminisse juvat dicti S. Alphi, tunc posse poenitentem etiam *dubie dispositum,* modo tamen ipse putet se dispositum esse, sub conditione absolvi, si „prudenter timeatur, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet“: l. 6 n. 432.

Articulus III.

De difficultate confessarii in conservanda atque augenda pietate.

Intelligo hîc tum eos, qui propter afflictiones tentationesque pecu- 905
liari periculo exponantur, tum eos qui, utpote pii et devoti, gravem materiam non afferant et in periculo sint leviora etiam levius aestimandi.

§ 1.

De tentatis et afflictis.

Sciri debet, quid sit tentatio, ut discernatur a consensu; unde oriatur, ut convenientia remedia adhiberi possint; quanti sit periculi, quantae etiam utilitatis, ne homo animo cadat, neve superbiâ efferatur; quibus remediis utendum sit, ut re ipsa tentatio vincatur et utilitatem spiritualem ferat. Copiose et erudite hac de re scripsit Hense, *Die Versuchungen (de tentationibus)*, Friburgi 1884, ubi utilissima quaeque circa tentationes habes pertractata.

Cum afflictis et tentatis communiter benigne agere debet confessarius, ne afflictionem afflictioni addat atque eum deprimat, quem erigere et juvare debet.

I. Tentatio est provocatio ad peccatum, eaque aut mere externa, aut etiam interna, quando ipse appetitus hominis ad bonum apparens atque fallibile attrahitur et ad agendum contra legem sollicitatur.

Oritur autem tentatio tum ab ipsa natura corrupta, tum a diabolo, qui praecipue per phantasiam res sensibiles et peccaminosas menti objicere, atque ipsum etiam appetitum inferiorem vehementer commovere potest. Quodsi impetus tentationis communem mensuram humanae appetentiae longe superat, signum est diabolicae tentationis. Frequenter tamen in tentationibus non ita extraordinariis diabolus *partem* habet.

Cogitatio igitur importune ingesta, appetitus rationalis ad malum indeliberatus, sensus delectationis atque commotio tentatio sunt, nondum peccatum: hoc in *consensu* consistit, aut in sustentanda deliberate sine sufficienti excusatione cogitatione periculosa. Haec probe distinguenda sunt relate ad homines timoratos, qui habitualiter ita constituti sint, ut mori potius velint, quam Deum graviter offendere. Qui ergo in hac mentis dispositione constituti sunt, minime timere debent, ne consenserint, nisi plane certi sint de consensu dato: alias moraliter certum re ipsa est, eos saltem graviter non peccasse.

906 Dein — id quod probe notandum est — etiam in tentatione mere spirituali, ut blasphemiae, odii Dei etc. ipse diabolus imaginationem quandam consensûs fingere potest, animumque quodam complacentiae sensu afficere ita, ut homo tentatus aliquando sibi videatur Deo voluisse maledicere et cum complacentia impias cogitationes fovisse, quum nihilominus longissime absit a deliberata ejusmodi voluntate, atque statim, quum sui vere compos fiat, ex animo istas impietates detestetur. Cf. Reuter, *Neoconf.* n. 267, 3. — Quare si quis turbatur, quasi consensum dederit, confessarius bene perspiciat in poenitente animi dispositionem, ne forte tentationes pro peccato habeat, neve etiam timido responso hominem afflictum in dubio commissi peccati relinquat atque excruciet.

II. Tentatio a diabolo quidem movetur aut promovetur in eum finem, ut ad peccatum homines pertrahat: a Deo permittitur ad exserendam pugnam reportandamque victoriam, quo homo copiosiora merita sibi colligat atque in virtutum exercitio proficiat. Deus propterea in ipsis hominibus sanctis non raro gravissimas tentationes permittit.

907 III. Quo facilius autem tentationes vincantur, confessarius poenitenti remedia subministrare debet, quae ipsi in promptu sint, tum generalia, tum specialia.

Ad generalia remedia quod attinet, haec sunt praecipua:

1. Humilitas cum diffidentia propriarum virium et vigilantia;

2. oratio, qua statim ad Deum confugere debemus ad implorandum auxilium gratiae;

3. magnus animus ex fiducia in Deum et fortitudine contra inimici aggressus oriundus.

Addam alia utilia documenta: 1) Ante tentationes homo prospiciat, quae inclinatio naturae et indolis facilius se ad peccata trahere possit, ut se *praemuniat;* 2) molestas et longiores tentationes confessario aperiat; 3) tempore tentationis ne immutet bona proposita, sed bona opera potius augeat.

Particularia remedia ex parte jam habentur n. 830; alia et complura contra diversas etiam spirituales tentationes affert Reuter, *Neoconf.* n. 244 et 265. Cf. etiam *Theol. mor.* n. 495 sqq.

§ 2.

De poenitentibus piis.

Ante omnia confessarius scire debet, non omnes eâdem viâ ad 908
perfectionem christianam ducendos esse; sed attendi debere et ingenii indolisque diversitatem et diversam Spiritûs Sancti inspirationem.

I. Generalia quaedam documenta pro omnibus utilia fere haec sunt:

1. Doceantur, perfectionem consistere in singulis actionibus iisque quotidianis perfecte faciendis.

2. Non esse per saltum ad perfectionem tendendum.

3. Ne fidant nimis primo ardori et consolationi, sed studeant sese etiam ad desolationem praeparare, Deoque etiam sine consolatione et gustu servire.

4. Extraordinaria confessarius nedum imponat, sed ne permittat quidem facile neque *probationes* instituat *apertas.* Haec saltem sit *regula;* exceptiones, quae occurrere possunt, ne facile sibi fingat adesse.

At propterea mortificationes et poenitentiae etiam externae non sunt impediendae; sed caute et prudenter in iis rebus director spiritualis agere debet, ne ultra vires tum corporales *tum spirituales* quidquam imponat, vel potius permittat. Vires autem spirituales non ex fervore novitio aestimare debet, sed ex virtute probata.

5. Attendat confessarius ante omnia, ut alatur obedientia, humilitas, amor crucis et propriae abjectionis et oblivionis rerum mundanarum atque desiderium constanter proficiendi in sequendo Christo paupere, patiente, abjecto. Nisi ad hunc finem omnia spiritualia exercitia et oratio omnis conducat, merito suspecta sunt etiam ea, quae illustria et eximia videntur.

6. De sacramentorum frequentia habes quae notata sunt circa Communionem frequentem. At id semper videndum est, ut accedant bene praeparati, neve ex sola consuetudine agant: progressum autem ex vera animi promptitudine ad virtutis exercitium, non ex sensibili devotione aestimet.

II. Confessarius attendat ad peculiaria pericula atque 909
tentationes, quae hominibus ad perfectionem enitentibus occurrere possunt.

1. Qui ab initio consolatione spirituali perfundebantur, iidem, postea subtracta sensibili devotione, facile animum despondent, atque animi ardorem remittunt: quare jam ab initio praemuniendi sunt, et maxime tunc instruendi, in quonam vera perfectio sita sit.

2. Qui aliquamdiu Deo servierunt, eos diabolus artibus suis facile tentat ad tepiditatem eisque axiomata tepidorum inspirat: quare incipiunt exercitia orationis, mortificationis omittere, leves defectus parvi pendere. Quo fieri potest, ut paulatim deficientes in profundum peccati mortalis ruant. — Quare antea mature recuscitandus est fervor pristinus.

3. Si quis vero a via perfectionis, imo a magna jam perfectione acquisita misere in grave peccatum lapsus sit: quando durus quidem in peccato permaneat, severitate utendum est et timor divinae justitiae incutiendus; alioqui potius benigne accipi debet et animari ad magnam fiduciam. Ergo: a) ne miretur confessarius etiam talem lapsum; b) retundat superbiam poenitentis; c) injecta magna aestimatione humilitatis et spe magna divinae misericordiae inducat poenitentem, ut ex lapsu sumat ansam surgendi ad majorem fervorem et damna ita resarciendi.

910 III. Si extraordinaria Dei dona vel orandi modus extraordinarius confessario occurrant, sobriâ mente haec audiat atque pertractet. Quamquam enim ejusmodi res non semper ut nugae rejiciendae sunt, novellus confessarius tamen se praemunire debet contra fraudes et hallucinationes, praesertim mulierum, ne vanitate ductus in earum laudibus sibi complaceat atque tandem deceptum et illusum se cognoscat.

Quare aliqualem harum rerum cognitionem sibi comparet. Brevi compendio quaedam tetigit S. Alphonsus, *Praxis confess.* n. 126—144; fuse diversas res extraordinarias in oratione occurrentes describit inter alios Scaramelli in *Directorio mystico.*

Lapis quasi-lydius, quo discernatur divina motio ab illusione sive propriae phantasiae sive diabolicae suggestionis, est *finis,* ad quem demum omnia dirigantur. Si constanter alatur et augeatur amor crucis, propriae abnegationis, humilitatis et despectûs etiam in aliorum oculis, obedientiae erga directorem et legitimos Superiores: haec signa bona sunt; siquidem Spiritus Sanctus movet homines ad conformitatem cum Christo eoque passo, abjecto. Si autem contraria apparent: verum quidem est, posse pro fragilitate humana etiam in homine alioqui sancto defectus occurrere; at saltem diluenda est suspicio signi non boni, imo aliquando ex apertis signis confessarius illusionem deprehendet.

§ 3.

De directione monialium.

911 Quamquam ex iis, quae praecedentibus §§ dixi, jam multa habentur, quae huc applicari possunt et debent: tamen quaedam particularia adnotare juvat.

1. Confessarius ipse doctus esse debet, versatus in rebus spiritualibus, prudens, caritate et patientia eximius.

2. Confessarius cavere debet, ne sese immisceat in res ad se non spectantes, neve externa monasterii negotia ad Superiorissam aliasve moniales ex ipsarum officio spectantia videatur dirigere velle.

3. Moniales imprimis dirigere debet, ut plene et perfecte servent vota, dein regulas specialis sui instituti, ut cum devotione et fervore

exercitia spiritualia obeant, atque quotidiana opera cum supernaturali et perfecta intentione, divinae praesentiae saepe memores, peragant. — Instructae ergo debent esse in bona methodo singula spiritualia exercitia perfecte peragendi: meditationem, examen conscientiae, S. Communionem, confessionem, diviuum officium, assistentiam Missae etc.; in aliis quotidianis exercitiis et actionibus certae virtuti excolendae studeant.

4. Reverentiam et obedientiam erga Superiorissam fovere et promovere studeat; neque tamen illi familiaris sit, neque ita ejus partes protegat, ut etiam in justis querelis alias moniales repellat: querelas tamen privatas prorsus interdicat.

5. Confessarius omnes aequa lance tractet, nulli sorori familiaris sit; prae se ferat gravitatem; extraordinarium confessarium libenter admittat, imo Superiorissam moneat, ne sese difficilem praebeat in extraordinario confessario procurando etiam extra statuta tempora, si qua monialis ad conscientiae pacem id desideret; omnes animas suae curae commissas frequenter in orationibus et SS. Missae sacrificio Deo commendet.

6. Peccata et defectus monialium, ad quae praecipue cavenda vel 912
exstirpanda attendat, sunt fere haec:

1) Omnia quae vitam communem laedant atque proprietatem quandam sapiant.

2) Inobedientia vel querelae contra Superiorissam, aversio et similia.

3) Laesio caritatis erga sorores; et quamquam apprime dignosci debent, quae sint levia hac in re, quae possint evadere gravia: tamen ne sinat confessarius vel minimum quid in animo radicem figere, quo deliberate laedatur caritas, atque severus sit in exigenda reconciliatione et omnis aversationis exclusione.

Obedientia et caritas duae virtutes sunt, in quibus omnis vita religiosa communis ut in quibusdam cardinibus vertitur. — Discant igitur moniales propriam voluntatem et proprium sensum frangere atque aliis sese accommodare, persuasum habentes, id magis meritorium esse, quam graviora facere ex propria voluntate.

4) Singularis familiaritas, quae inter unam atque alteram sororem foveatur, ut taceam de sensuali familiaritate periculosa.

5) Familiaritas et lubens conversatio cum extraneis: haec enim pestis est religiosae vitae. Quare clausura bene observetur, janitrix sit fidissima; caveatur ne labores et cura extraneis impendenda fiat peccandi occasio.

6) Acedia et tepescentia: de qua recole, quae n. 909 dicta sunt de casu, quando homo tendentiae ad perfectionem deditus turpiter labatur, ut scilicet pro tali casu caveatur a dejectione, sed etiam ut resuscitetur generositas et fervor major.

Articulus IV.

De agendi ratione cum iis, in quibus extremum periculum curam summam postulat seu de agendi ratione cum moribundis.

Si unquam pastoralis cura impendenda est atque zelus sacerdota- 913
lis exercendus, sane nunquam id magis exigitur, quam apud mori-

bundos: si enim feliciter animae negotium tractatur, fructus manebit aeternus, si opera frustratur, irreparabilis manet defectus in aeternum.

Duo praecipue consideranda sunt: 1) potestas utcunque absolvendi, seu quousque sacerdos progredi possit in danda absolutione, 2) modus certius et copiosius dandi atque augendi absolutionis fructus.

§ 1.

Quousque liceat moribundum absolvere.

Ut, quae hîc dicenda sunt, intelligantur, necessarium est recolere ea, quae de materia sacramenti poenitentiae deque actibus poenitentis essentialibus sect. I, cap. III dicta sunt. Quando enim certum est, aliquid essentiale deesse, absolutionem dare non licet, siquidem prorsus vane et proin sacrilege daretur: quando vero aliquo modo, licet tenuiter, probabile est, adesse omnia essentialia, absolutio dari non solum potest, sed debet. Quod intellige tamen ita, ut exsistere possint casus, in quibus dari possit absolutio, non autem sub peccato dari debeat, quando nimirum plerique theologi negant, absolutionem dari licere, aliquibus tantum docentibus, eam posse dari.

I. Generalia principia et plerique casus occurrentes claram et certam solutionem habent, scilicet:

1. Danda est absolutio moribundo, eaque absoluta, quando constat de sufficienti dolore et *aliquali* confessione: nimirum etsi omnino generice tantum declarare potuerit, se peccasse. Cf. Rit. Rom. *ordo sacr. poenit.* § penult.

2. Hinc patet, si moribundus per testes ostendit desiderium confitendi, et interim loquelam usumque rationis amisit, de danda absolutione non esse dubitandum; imo de adjicienda conditione „si capax es“ non esse negotium faciendum — Rituale enim dicit simpliciter „absolvendus est“: attamen non est culpandus, qui forte conditionem „si capax es“ adjungat, quum *possint* occurrere circumstantiae, quae absolutionis valorem dubium reddant.

914 3. Danda est etiam absolutio, sed conditionate, quando habetur aliqua probabilitas doloris et desiderii confessionis manifestati.

Sed hîc jam difficultas oritur, quousque dici possit aliqua probabilitas adesse. Quod a) in homine catholico, etiam eo, qui parum pie vixerit eo usque extendendum est, donec non constet de indispositione. — Id relate ad eum, qui sui compos sit atque signa possit edere, facile eruitur; quoad eum autem, qui sensibus destitutus appareat, ita oportet existimari, ut practice vix non quilibet homo catholicus saltem sub conditione absolvendus videatur, quum S. Alphus id extendat etiam ad eum, qui in ipso actu peccati sensibus destitutus fuit. — Imo b) ad hominem acatholicum baptizatum id extendi fortasse potest, si modo aliquam rationem positive probabilem habeam, eum in bona fide versari, et libenter admissurum esse adjutorium sacerdotis. c) Si autem tractandum est cum acatholico sensibus non destituto, quem propter instantem mortem et propter periculum inducendi gravem tentationem, cui forte succumbat, non possim prudenter aperte monere de vera Ecclesia: ante omnia *contritio perfecta*

cum aliis actibus praeviis elicienda est; dein ut dari possit clam absolutio conditionata, praestat eum adducere, ut se peccatorem coram Deo et me declaret, et concepto dolore de peccatis, etiam declaret, sibi placere, ut per meum auxilium, quantum ferre possim, in assequenda melius aeterna vita ipse juvetur. Nam, quod aliquando dicitur, proponendum illi esse, num, si sciret necessarium esse, vellet confiteri et absolvi, hoc in se nihil est: non enim quaeritur, quid vellet, sed quid velit et re ipsa faciat. Summum tali velleitate dici potest includi etiam quandam voluntatem et actualem accusationem non velleitate, sed voluntate praestitam; qua ratione explicatio non prorsus improbabilis conficitur.

II. Haec igitur practice sufficere possunt. Difficultas quidem theo- 915
retica est, quomodo in omnibus illis casibus conjectura aliquatenus probabilis adsit 1) de exsistentia interni doloris, 2) de manifestatione hujus doloris atque desiderii recipiendae absolutionis.

De *priore* quidem elemento non est negotium faciendum; quia ex voluntate Dei salvandi omnes homines, quantum est ex ipso Deo, conjicere possumus, Deum in ultimis momentis tetigisse gratiâ suâ cor moribundi, eumque fortasse cum gratia cooperatum elicuisse sufficientem doloris actum. Quoad *posterius elementum*, manifestationem desiderii recipiendae absolutionis, alii aliam viam ineunt. Alii recurrunt ad desiderium hoc per praecedentem vitam saepius manifestatum, idque saltem per hoc quod voluerit moribundus manere in unione cum Ecclesia vel cum eo coetu, quem veram Ecclesiam habebat; alii recurrunt ad suspiria, oculorum ictus et similia signa, quae in ipso mortis articulo fortasse data sint vel dentur a moribundo, etsi ita clare a circumstantibus non fuerint percepta: utrumque pro diversis adjunctis aliquid probabilis explicationis in se continet, ita ut sufficiens sit, ob quam conditionatae absolutionis fiat periculum. Cf. *Theologia moral.* n. 511—515.

§ 2.

De modo securius et copiosius juvandi moribundos.

I. Moribundorum cura non sola absolutione sacramentali perfecta 916
est, sed confessarius attendere debet, ut eos, maxime antequam usque ad extremum res deducta sit, copiosius juvet. De quo negotio multi libri atque libelli exsistunt, qui usui esse possunt. Hîc pauca quaedam capita, ad quae confessarii attentio dirigi debeat, noto:

1. Sacerdos ipse sese ut Dei instrumentum consideret. Quare 1) non suis viribus et conatibus solis fidat, sed ferventi oratione ad Deum recurrat; 2) puram omnino studeat habere intentionem pro Christo negotium agens; 3) nihilominus ipse bene sese praeparet atque praevideat, quid maxime utile aegroto possit suggerere, habita ratione illius conditionis, statûs, habitualis vivendi modi: quae si ignorat, antea, quantum liceat pro tempore, explorare studeat.

2. Summum studium 1) collocet in eo, ut aegrotum cum Deo reconciliet atque ad bonam confessionem eum inducendum curet; 2) in ipsa confessione maxime intendat vero et sincero dolori; 3) in promptu habeat efficacia motiva pro diversa aegrotorum indole necessaria; 4) si qua obligatio restitutionis, reconciliationis tum objective tum sub-

jective urget, ea ut quam primum re fiat, insistat; 5) omnino removendas curet personas, res, imagines aegroto periculosas, eum v. g. ad libidinem vel odium excitaturas; 6) etiam moneat aegrotum ut res temporales mature componat de iisque disponat, ut ultima vitae momenta soli Deo possit consecrare; 7) diversos modos perspectos habeat, quo aegrotum in rebus fidei ignarum *instruat,* idque dextre et quadam arte faciendum est, si agitur de viro alioquin exculto, ita ut modo per exhortationem, modo per modum spei excitandae, vel caritatis et doloris, omnia necessaria explicet et actum fidei aliosque actus necessarios cum suis propriis motivis adjungat.

917 II. Praemunire debet aegrotum contra pericula et tentationes:

1) ne contra fidei tentationes disputet; 2) ut si animi dejectio vel contra spem tentatio oriatur, divinam misericordiam, Christum pro ipso crucifixum aspiciat, ad divinam matrem orando recurrat, atque plene sese in manus benignissimi Patris resignet; 3) ut maxime intendat frequenti actui caritatis et contritionis perfectae atque desiderio vitae aeternae, quo periculum offendendi Deum evadat. Dein 4) sacerdos ipse studeat in ipso egressu animae adesse, quantum fieri potest; alioqui piam aliquam personam, quae curam aegroti gerit, instruat, ut cum moriente praeeundo breves actus fidei, spei, praecipue caritatis et contritionis eliciat.

918 III. Confessarius tandem curare debet, ut etiam merita aegroti, quantum possit, augeat; ideoque eum hortetur, ut saepius breves actus quam perfectissimos eliciat. Quoniam autem perfectio affectûs pendet ex unione et conformitate cum Deo et Christo, propterea expedit:

1. Pleno affectu sese saepe unire 1) cum divino beneplacito et iis dispositionibus, quas ab aeterno de nobis fecit; 2) cum perfectissima intentione, quam Deus ipse habet in actione sua, qua universum creavit atque conservat, speciatim qua nos ipsos conservat, atque nobiscum in omni actione concurrit, sive naturaliter, sive supernaturaliter; 3) cum summa illa et divina intentione, qua Christus Dominus in terris divinas laudes dixit, opera sua perfecit, tormenta sustinuit.

2. Aliquando tamen, quo perfectius haec fiant, ad singula accuratius descendendum est, ut explicite excitetur: 1) adoratio summa et desiderium supplendi defectum perfecta adoratione illa, qua omnes Sancti et Angeli, imo Christus homo divinitatem adorant, et infinita illa laude, qua in ipsa SS. Trinitate Deus perfruitur; 2) gratiarum actio pro donis omnibus, tum nobis, tum Christi humanitati et B. Virgini atque Sanctis omnibus collatis vel praeparatis, tum iis, qui ipsi gratias agere neglexerunt, cum simili unione cum Christo et Sanctis; 3) amor et complacentia intima de divinis perfectionibus, desiderium Deum quam maxime glorificandi et ad Ejus gloriam beatifica possessione mox Eo fruendi; 4) dolor summus et displicentia de omnibus peccatis, imprimis a nobis ipsis, dein a quolibet homine contra divinam majestatem commissis; 5) oblatio omnium actionum nostrarum, et omnium facultatum animi et corporis cum omnibus, quae egimus et toleravimus, atque acturi passurique sumus ad Dei laudem et honorem in unione cum omnibus bonis operibus omnium creaturarum ac praecipue cum infinitis meritis ac singulis virtutibus et tormentis Christi Salvatoris, Ejusque beatissimae Matris; 6) amor erga omnes

homines, maxime qui nobis aut benefecerunt, aut malum aliquod intulerunt, ut Deus omnes protegat, convertat, gratiis cumulet et ad salutem aeternam perducat, simulque amor erga animas in purgatorio detentas, ut nostris suffragiis Deus earum poenas minuat atque exstinguat. — Sacerdos igitur aegrotum invisurus haec provideat. Ceterum breves et nervosas aspirationes diversarumque virtutum actus habes in ipso Rituali Romano collectos.

Sectio IV. Appendix.

De remissione poenarum temporalium sacramentum Poenitentiae complente, seu de Indulgentiis.

Doctrina de sacramento poenitentiae quodammodo completur indul- 919
gentiarum tractatione. Quod enim in sacramento poenitentiae inceptum est, indulgentiâ, si datur, redditur perfectum atque absolutum. Concilium Trid. sess. 25 de indulgentiis haec pauca definivit: 1) inesse in Ecclesia eas concedendi potestatem, 2) earum usum esse maxime salutarem. Quoniam accuratius de indulgentiis tractare dogmatis est, brevissime hîc rem absolvam.

Cfr. Theodorus a Spiritu Sancto *de indulg.*, S. Thom. III. in supplem., Suarez et Lugo ll. cc., Scavini in append. ad Sacram. Poenit., Beringer, *Die Ablässe etc.*

Caput I.

De indulgentiis generatim.

Articulus I.

Summa capita doctrinae de indulgentiis.

1. Indulgentia intelligitur remissio poenae temporalis post deletam culpam Deo aut in hac aut in altera vita exsolvendae, per ecclesiasticam potestatem extra sacramentum concessa: quae aut totalis aut partialis est. Falsum est, intelligi solam remissionem poenae coram Ecclesia debitae.

2. In Ecclesia esse potestatem ipsis fidelibus hanc poenam condonandi, tum in S. Scriptura satis indicatur, tum ex Traditione et praxi Ecclesiae plenius ostenditur.

3. Quam potestatem seu remissionem ad ipsos fideles defunctos in purgatorio exsistentes extendi, ex aliis doctrinae catholicae dogmatibus jure infertur, maxime vero ex praxi Ecclesiae indubium evadit.

4. Modus autem, quo potestas illa exercetur, diversus est prout circa vivos aut defunctos versatur: erga vivos absolutione et solutione exercetur, defunctis indulgentiae merâ solutione per modum suffragii applicantur.

5. Ut indulgentia valeat, requiritur non solum potestas in concedente, sed etiam ex parte rei justa causa, quum aliter a communi

ordine divini juris, quod pro peccatis post baptismum commissis etiam deletâ culpâ delinquentis postulat temporaneam punitionem, nequeat recedi. Haec autem justa causa sic a multis intelligitur, ut a Superiore prudenter pro justa aestimetur.

6. Ex parte vero ejus, qui lucretur indulgentias, requiritur 1) remissio culpae jam facta, 2) voluntas lucrandi indulgentiam, 3) operum, quae praescripta sint, exacta impletio.

Articulus II.

De conditionibus ad lucrandas indulgentias speciatim consideratis.

§ 1.

De conditione ad lucrandas indulgentias prima seu de statu gratiae.

920 1. Ut aliquis *sibi* indulgentiam lucrari possit, ex jure divino et interna necessitate *requiritur status gratiae.* — Quod saepe etiam in indulgentiae concessione indicatur per verba: *„corde saltem contrito“*. Qua clausula nihil aliud significatur, nisi eum, qui lucrari velit indulgentiam, debere esse in *statu* contritionis, seu in statu gratiae sanctificantis, eamque sanctificantem gratiam, si forte amissa fuerit, debere praevie reparatam esse saltem per actum perfectae contritionis: qui vero in statu gratiae est, actu contritionis non necessario indiget. — Ita ad abundantiam declaravit expresse S. Indulg. Congreg. 17. Dec. 1870 in una *Urbis et Orbis* Decr. auth. n. 427.

2. Quare, si in indulgentiae concessione dicitur, „qui corde contrito devote haec et haec fecerit“, nemo, qui in statu gratiae non sit, ullo modo eam indulgentiam lucrari potest, ne pro defunctis quidem. Si vero neque haec clausula adjicitur, neque confessio postulatur vel Communio, certum non est, statum gratiae requiri, ut pro defunctis aliquis indulgentiam lucrari possit; nihilominus dubium est, num possit extra statum gratiae.

§ 2.

De conditione lucrand. indulgentiarum altera, i. e. de voluntate eas lucrandi.

921 Voluntas saltem illa requiritur, quae necessaria est ad voluntariam susceptionem donorum et gratiae. Attamen:

1. Sine causa requiras specialem et expressam intentionem indulgentiae lucrandae in singulis illis operibus, quibus forte annexa est. Imo ne cognitio quidem indulgentiae requiritur.

2. *Sufficit igitur voluntas habita, idque saltem implicite, neque retractata,* seu intentio habitualis implicita, i. e. voluntas lucrandi indulgentias debuit aut formaliter sive in se aliquando adesse, aut in altero objecto voluntatis implicite contineri, deinde voluntas illa debet esse non retractata. Quae intentio, quam aliqui, etsi minus accurate, interpretativam vocant, prorsus sufficere debet, modo opera ipsa rite perficiantur. Praestat tamen, aliquando expresse hanc intentionem renovare, quo majore fervore voluntas in indulgentias lucrandas feratur.

3. *Ut indulgentiae defunctis applicentur, utique expressior voluntas ex parte lucrantis, seu exercentis opera praescripta, requiritur.* Quum enim in actione hominis ex sese non habeatur voluntas in alterum ejus utilitatem transfundendi, sed potius eam sibi acquirendi: illa liberalis transfusio expressiore modo fieri debet. Verum si quis semel aut omnium aut certarum indulgentiarum donationem erga defunctos eosque secundum suam devotionem determinatos fecerit, non est, cur in singulis indulgentiis ejus intentionis renovationem requiramus, nisi ad excitandum fervorem caritatis et proprium meritum augendum. 922

§ 3.

De conditione lucrandar. indulgentiarum tertia, i. e. de praescriptis operibus implendis.

1. Indulgentiae partiales saepissime adnexae sunt precum certarum devotae recitationi. In quibus notandum est indultum a S. Pontifice 29. Dec. 1864 specialiter concessum *„indulgentias adnexas precibus* (ergo *quibuslibet) valere, quocunque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles“*. De versionis fidelitate ut constet, sufficere declarationem sive S. Congregationis Indulg., sive alicujus ex Ordinariis loci, in cujus linguam nativam versio facta sit, habetur ex declaratione ejusdem S. Congr. 29. Dec. 1864: Decr. auth. n. 415. 923

2. *Pro indulgentia plenaria plerumque statuuntur: confessio, S. Communio, visitatio ecclesiae et preces ad certas intentiones S. Pontificis ad Deum fusae.* Quae conditiones, etsi non omnes necessario in statu gratiae perficiendae sunt, tamen ultimum complementum omnino in statu gratiae, ut per se patet, exerceri debet.

3. Quamquam dicitur, „qui *confessi* et *S. Communione refecti* hoc vel illo die ecclesiam visitaverint etc.“: nihilominus *visitationem ecclesiae* confessioni et Communioni *praemittere* licet, modo die assignato fiat. Ita ex approb. Pontificis 19. Maji 1759: Decr. auth. n. 214.

4. *Confessio* semper requiritur, si dicitur „qui confessus etc.“: quamquam si quis sola venialia peccata habet, absolutio non necessario requiritur. Decr. auth. n. 295 et 359. 924

a) Hebdomadaria confessio sufficit pro omnibus indulgentiis occurrentibus, ad quas lucrandas confessio praescribitur[1], modo ne peccatum grave fuerit interim commissum; quod si sit commissum, confessio et absolutio denuo necessaria est. Ita Clem. XIII. 9. Dec. 1763, et Pius IX. 12. Mart. 1855: Decr. auth. n. 231 et 364.

b) Hebdomadaria autem confessio reputatur eorum, qui quavis hebdomada confiteri *consueverunt;* neque requiritur, ut quaelibet confessio a sequenti *aequali spatio* septem dierum distet.

c) Si ratione *festi* indulgentia conceditur, S. Congreg. postulante Episcopo gratiam concedere potest et solet, quâ confessio infra hebdomadam ante festum facta pro *omnibus* fidelibus valeat ad indulgen-

[1] In his et sequentibus excipe indulgentiam jubilaei vel ad instar jubilaei concessam: siquidem ad illam lucrandam *omnia* opera, etiam confessio et Communio, peragi debent ipso tempore pro jubilaeo praedefinito.

tiam festi aliasque indulgentias interea occurrentes, quando in illis locis penuria est confessariorum. Decr. auth. n. 252, 264, 295.

d) In missionibus Patrum Soc. J. confessio intra tempus missionum peracta valet ad omnes indulgentias occurrentes: S. J. C. 15. Mart. 1884.

e) In indulgentiis, quae quibuslibet diebus annexae sunt, licet nunc ad libitum sive confessionem, sive confessionem et Communionem, peragere etiam *pridie*, si modo reliqua opera praescripta determinato die fiunt. Pius IX. 6. Oct. 1870, cf. Decr. auth. n. 426.

925 5. *De Communione:* a) Eam pridie fieri posse, modo dictum est.

b) Per se non requiritur, ut S. Communio sumatur in illa ecclesia, cujus forte visitatio praescripta est. Si tamen in ea fit, *eâdem* visitatione licet peragere preces praescriptas: Raccolta (ed. 1886) p. xxv.

c) Quum Communio non tam pro opere praescripto, quam pro *praerequisito* habeatur *(excipe semper jubilaeum):* una eademque, etiam ex lege paschali debita, sufficit ad lucrandas plures indulgentias (plenarias), si quae eodem die lucrandae occurrunt. Decr. auth. 291, 327.

d) Ii, qui permanente aliquo physico impedimento (morbi, detentionis) impediuntur, etiam a recipienda S. Communione, (nunc etiam ii, qui in communitate vivunt), possunt commutationem tum S. Communionis, tum visitationis ecclesiae a confessario accipere: cf. Racc. p. xx. et Acta S. Sedis XVIII p. 462.

e) Pro pueris ad S. Communionem nondum admissis videri debet, num specialis facultas dispensandi facta sit, ut fieri solet in jubilaeis: alioquin earum indulgentiarum, quae S. Communionem requirunt, participes esse nondum possunt.

926 6. *Visitatio ecclesiae,* si ad *certas ecclesias* restringitur, eas visitari opus est, quae in indulto notantur. Accuratius haec adverte:

a) Si in genere *alicujus ecclesiae* visitatio praescribitur, intelligitur tum ecclesia proprie dicta, tum oratorium *pleno sensu publicum:* non censentur publica oratoria (illo pleno sensu) ea, quae canonice erecta fuerint in monasteriis, seminariis etc., aditu *publico* fidelibus non patente. Decr. auth. n. 310. — Privata enim illa oratoria, in quibus quidem S. Sacramentum asservatur, summum pro ipsis religiosis substitui consueverunt, ne cogantur extra monasterium versari, si indulgentiarum velint esse participes.

b) Si prae multitudine fidelium affluentium ad ecclesiam locus non omnes capit, sufficit ante fores ecclesiae cum reliqua multitudine sese conjungere: alioquin, si possunt, ecclesiam intrare omnes debent.

c) Visitatio, quae pro certo die, in quo indulgentia lucranda est, praescribitur, facienda est, quando *propter festum* indulgentia conceditur, intra spatium a prioribus festi vesperis usque ad occasum solis (sc. crepusculo incluso) ipsius diei festi; si vero festivus dies non est, intelligitur dies a media nocte ad mediam noctem. Ita ex Decr. 3. Julii 1754 correctum jussu Pii IX. 12. Jan. 1878, Decr. auth. n. 201 et 434.

927 7. *Preces fundendae* ad intentionem S. Pontificis in ecclesiae visitatione fundi debent, si visitatio ecclesiae praescribitur; alioquin *ubique* fieri possunt.

a) Intentio illa ad mentem S. Pontificis absolute sufficit *confusa:* ad fervorem excitandum fidelibus conandum est, ut expressius illarum necessitatum recordentur, pro quibus orandum est.

b) Certus situs inter orandum raro praescribitur: quare tum necessarium non est, ut preces fiant genibus flexis.

c) Neque determinatae preces praescribuntur ad mentem S. Pontificis; sufficit ergo, ut fiant pro cujuslibet devotione, si modo, quando mentalis oratio Deo offertur, adjungatur aliqua oratio vocalis neque sit minima. Communi opinione sufficit devote recitare 5—7 Pater et Ave.

d) Pro surdo-mutis Pius IX. concessit, ut sufficiat: 1) si visitatio ecclesiae praescripta est, ibi *sola mente* orare, vel si publicae preces fiant sese cum reliquo populo devote unire; 2) si preces privatae sine visitatione ecclesiae recitandae sint, confessarii surdo-mutorum possunt *commutationem* in alia opera externe aliquo modo manifestata facere: idque valet pro quibuslibet precibus quibus indulgentiae sunt annexae. Cf. Raccolta p. xv.

Caput II.

De Jubilaeo speciatim.

Articulus I.

Summa doctrinae capita.

1. Jubilaeum ad similitudinem anni jubilaris Legis Vet. inductum 928
post varias mutationes a longo jam tempore 25mo quoque anno celebrari consuevit: quod etiam annus sanctus sive jubilaeum majus vocatur, in distinctione a jubilaeo minore, quod Pontifices certis quibusdam occasionibus, ut initio sui Pontificatûs, in publicis calamitatibus concedere consueverunt, atque „indulgentiam *ad instar jubilaei*“ vocant.

2. Jubilaeum sive majus, sive minus hac re ab indulgentia plenaria alio modo concessa distinguitur, quod certi quidam favores et gratiae ad plenariam indulgentiam addantur.

3. Opera praescripta revocantur ad haec: visitationes certarum ecclesiarum et orationem ibi fundendam, certa jejunia, eleemosynam, confessionem et Communionem.

4. Favores jubilaeo annexi versantur circa absolutionem a censuris et peccatis reservatis, atque quibusdam irregularitatibus, commutationem votorum.

5. Verum quo magis excitentur Christifideles, ut Romam petant, 929
atque Urbis sanctuaria devote visitent: 1) *intra annum sanctum* suspenduntur aliae indulgentiae vivis concessae, paucis exceptis; sed indulgentiae defunctis applicabiles pro ipsis defunctis salvae manent, imo aliae omnes defunctis non applicabiles eo anno illis applicabiles fiunt. Ita Ben. XIII. Constit. „*Salvatoris*“ 28. Apr. 1725, quod dein (per Ben. XIV.) evasit regula generalis. — At anno sancto elapso omnia reviviscunt, atque eo tempore consuevit concedi, ut in toto orbe in-

dulgentiam seu jubilaeum Christifideles lucrari possint, ne, qui Romam petere nequeant, tanto favore priventur.

2) Facultates quaedam, praecipue regularibus, congregationibus, locis piis datae circa facultatem absolvendi, vota commutandi, dispensandi ab irregularitatibus etc., consueverunt tempore anni sancti extra Urbem suspendi: accuratius haec in quavis jubilaei indictione videri debent.

6. Nisi in bulla indictionis aliud quid statuitur, in jubilaeis valent regulae a Bened. XIV. statutae in Const. „*Inter praeteritos*“ et „*Convocatis*“. Decr. auth. n. 353.

Articulus II.

De operibus, quae in Jubilaeo praescribi consueverunt, singillatim consideratis.

930 Complura de precibus, visitatione ecclesiae, confessione et Communione cap. I. jam dicta sunt. Praeterea noto haec: 1. Pro jubilaeo minore vel extraordinario consueverunt praeter confessionem et Communionem praescribi jejunia, eleemosynae, visitationes ecclesiae certo numero definitae; pro jubilaeo vero anni sancti praeter confessionem et Communionem solum visitationes certarum ecclesiarum, at majore numero, nimirum quatuor basilicarum visitatio devota cum oratione per 30 dies, qui numerus, exsistente magno peregrinorum concursu, solet ad 15 dies reduci. Ceterum in hac et in qualibet alia re inspici debet accurate bulla indictionis jubilaei. Regula communis est, opera praescripta ea intelligi, quae *non jam aliunde sint debita*, nisi in bulla jubilaei contrarium expresse conceditur: „*Inter praeteritos*“ § 53.

2. *De visitat. eccl.* Quando in jubilaeo visitatio plurium ecclesiarum praescribitur — quod consuevit fieri, maxime in jubilaeo anni sancti —, Ordinarii pro iis locis, ubi *una tantum* est Ecclesia, facultatem habent toties visitationem illius unius ecclesiae praescribendi, quot ecclesiarum visitationem bulla per se injungit. Quod decreto generali *U. et O.* 15. Martii 1852 concessum est (Decr. auth. n. 353); quare etsi bulla jubilaei id non exprimit, nihilominus Ordinarii ita agendi auctoritate pollent.

3. Regulares autem, etsi alias facultatem habeant, suas ecclesias visitando omnes lucrandi indulgentias, quas lucrarentur, si ecclesias loci, ubi degunt, visitarent, jubilaei indulgentiam non lucrantur, nisi visitent ecclesias ab Ordinario *designatas:* quare ut in *suis* ecclesiis lucrari possint, haec commutatio a confessario, si gravis causa est, fieri debet. V. resp. S. Poenitentiariae *Acta S. Sedis* vol. 8 pag. 554: „An religiosi jubilaeum lucrari valeant peragentes in *propria ecclesia* visitationes ad id praescriptas? R. Negative.“

931 4. *Jejunia,* quae in jubilaeis extraordinariis praescribuntur, intelligi debent sensu ecclesiastico stricto, i. e. conjuncta *cum abstinentia,* quae in ecclesiastico jejunio per se observanda esset, si indultum nullum exsisteret. Quare indulta circa delectum ciborum alias per annum concessa pro jubilaeo non valent, nisi aut specialis concessio S. Pon-

tificis facta est, aut ex justa et gravi causa singulis fidelibus per confessarium commutatio datur. — Utrum vero, si ter jejunium praescribitur, omnia jejunia una eademque hebdomada fieri debeant, necne, ex bulla indictionis patebit.

5. *Eleemosyna*, si praescribitur „prout devotio suggesserit", quaelibet sufficit, modo ne *pro conditione personae* tantilla sit, ut donator censeatur nihil facere velle; si vero indicitur eleemosyna „pro uniuscujusque facultate", ditiores certe debent majorem aliquam eleemosynam facere suis facultatibus proportionatam: S. Alph. l. 6 n. 538 Q. XI. — Verum pauperes obtinere possunt a confessario *commutationem*, vel quodlibet minimum contribuere; religiosi aut commutationem possunt obtinere, aut satisfaciunt consentiendo in eleemosynam, quam Superior totius communitatis nomine facit: S. Alph. ib. Idem dic de filiisfamilias aliisque, qui sub aliorum potestate constituti nihil proprium habent: v. S. Alph. ib. dub. 1.

6. Qui post confessionem vel S. Communionem, antequam omnia opera praescripta perfecerit, in mortale peccatum infeliciter labatur, reliqua quidem opera repetere non tenetur, tenetur tamen denuo confiteri et absolvi, ut jubilaeum lucretur. Bened. XIV. l. c. § 79.

Articulus III.

De favoribus indulgentiae jubilaei annexis.

Favores jubilaei indulgentiae annexi circa absolutionem, votorum 932
commutationem etc. non tam confessariis conceduntur, quam ipsis fidelibus. Videlicet 1) datur facultas eligendi confessarium ex approbatis, a quo absolvi etc. possit. Generatim haec facultas nunc etiam regularibus datur, etiam iis, quibus antea generales Constitutiones SS. PP. id prohibuerunt.

2) Moniales earumque novitiae non possunt eligere nisi confessarium pro ipsis monialibus approbatum: quod hodie plerumque valet etiam quoad moniales latioris sensûs, quia relate ad eas plerumque approbatio ordinariis fidelium confessariis deest.

3) Facultas igitur absolvendi extenditur ad quoslibet casus et censuras reservata, nunc solum exceptis casibus contentis in Const. „*Sacramentum poenitentiae*", atque iis, quae forte latae fuerint nominatim contra aliquem, nisi is, si possit, satisfactionem praestiterit atque cum parte laesa rem composuerit.

4) Facultas dispensandi in irregularitatibus non datur, nisi quatenus in ipsa bulla exprimitur: exprimi solet sola irregularitas ex violatione censurae occulte contracta.

5) Facultas circa vota non versatur a) circa vota reservata 933
(saltem non circa votum castitatis perpet. et religionis); b) circa vota, in quibus jus tertii intervenit; c) circa vota poenalia praeservativa, nisi opus substitutum aeque bene praeservet a peccato. — Ita bullae indictionis expresse monere solent. — Commutatio autem seu ‚dispensando commutare' sic intelligitur, ut *non* liceat opus *notabiliter minus* substituere. Ceterum ratio seu causa commutationis probabiliter non

alia requiritur, quam ipsum jubilaeum: S. Alph. l. 6 n. 537 Q. IV. Quae commutatio, in quantum fieri potest, facienda est in opera ejusdem naturae.

6) Exercitium facultatis absolvendi, commutandi, *in confessione sacramentali* fieri debet: Ben. XIV. l. c. § 63.

934 7) Invalida est absolutio a censuris etc., votorumve commutatio, nisi poenitens sincerum animum habet opera pro jubilaeo injuncta praestandi; quare censetur invalida, si confessio est sacrilega: nam favores annexi solummodo conceduntur in ordine ad jubilaeum lucrandum. Verum si quis postea demum mutat animum, quem antea serium habuit, manet absolutus, votaque manent commutata; utrum autem, qui sic agat, graviter peccet, non est concors theologorum sententia: v. Ben. XIV. l. c. § 86 et bullam Pii IX. „*Gravibus Ecclesiae*“ in indicendo jubilaeo anni 1875.

8) Confessarius poenitentibus, non obstante jubilaei indulgentia, sacramentalem poenitentiam injungere, poenitentes eam implere debent. Ben. XIV. l. c. § 65.

9) Qui opera pro jubilaeo praescripta peregit aut peragere, quando confessus est, voluit, sed in confessione sincere facta peccati vel censurae reservatae oblitus est, etiam post tempus jubilaei a quocunque confessario approbato absolvi potest, quum *reservatio* sublata sit: S. Alph. l. 6 n. 537 Q. IV. — Idem tenet S. Alph. ib. de commutatione votorum, quam quis petere omisit (non vero eorum quae postea emisit vel renovavit), si modo, operibus jubilaei impletis, illud acquisivit.

10) Etiam ille non excluditur a favore absolutionis, qui peccatum commisit spe obtinendi absolutionem vi jubilaei, modo sincere doleat: S. Alph. ib. Q. VI. Neque excluditur a commutatione votum non petendi commutationem.

935 11) Qui opera praescripta intra tempus jubilaei incepit quidem, sed se perficere non posse praevidet, potest aut commutationem, aut, si impeditis prorogatio conceditur, temporis prorogationem obtinere. Idem dic de eo, qui ultimo die venerit et sincere convertatur.

12) Commutatio confessionis nunquam, S. Communionis pro solis iis conceditur, qui ad primam Communionem nondum admissi fuerint; reliquorum operum commutatio conceditur, sed tantum ob nimiam difficultatem seu justum impedimentum; aliter est invalida.

13) Bened. XIV. quidem hanc operum commutationem voluit in confessione esse faciendam; sed in jubilaeo anni 1865 Pius IX. respondendum jussit, eam a confessariis fieri posse extra sacramentalem confessionem; at nunc, id concedi S. Poen. 30. Jan. 1886 dixit *non expedire.*

14) Si ex bulla indictionis conceditur, ut jubilaei indulgentiam fideles repetitis operibus praescriptis pluries lucrari possint, nunc statutum est, ut *operum commutatio ex justa causa etiam toties quoties fieri possit.*

15) Constans autem regula est, ut *usus reliquarum facultatum, sc. absolvendi, dispensandi in irregularitate, semel tantum fieri possit,* ita ut ex repetitione operum jus acquiri nequeat denuo habendi absolutionem: Bened. XIV. „*Inter praeteritos*“ § 84, „*Convocatis*“ n. 52; ita etiam complura responsa S. Poenitentiariae recenter data.

Tractatus VI.

Sacramentum Extremae Unctionis.

Cf. S. Thom. III Suppl. q. 29 sq., S. Alph. l. 6 n. 706—733, Gassner, *Pastoral.*

Aliud sacramenti Poenitentiae complementum, quam quod indul- 936
gentias esse diximus, in extrema unctione habetur. Indulgentiae enim singulas sacramentales absolutiones quodam modo complent; extrema unctio totum ordinem poenitentiae quasi claudit et perficit, novo sacramento restaurans ordinem inter Deum et peccatorem, qui essentialiter quidem, sed ex se non ita perfecte restitutus erat vi sacramenti poenitentiae, ad plura se extendens quam indulgentiae concessio.

Caput I.

De Extremae Unctionis rationibus intrinsecis.

Interna ratio extremae unctionis intelligitur, si ostenditur, an sit sacramentum, et quale sacramentum, tum ratione sensibilis signi tum ratione invisibilis gratiae.

§ 1.

De gratiis per E. U. dandis, seu de E. Unctionis effectu.

1. *Extremam unctionem esse verum sacramentum, solemniter definitum* est a Trid. Concilio sess. 14 can 1.

2. *E. U. est per se et primaria sua institutione sacramentum vivorum, ita ut homo jam debeat exsistere in statu gratiae.* Ita ex constanti Ecclesiae doctrina ejusque praxi colligitur, quo conferri consuevit post absolutionem sacramentalem, imo post S. Viaticum.

3. *Gratia specialis hujus sacramenti,* quae ut in omnibus sacramentis in gratia sanctificante collata vel aucta fundatur, est jus specialis divini auxilii, quod exprimitur *abstersione reliquiarum peccatorum.* Hinc 1) conciliat abundantiora gratiae auxilia; 2) diaboli vim frangit sive ejus tentationibus Dei imperio remotis, sive hominis tentati viribus auctis, ita ut facile victor evadere possit; 3) timorem pellit atque firmam spem fiduciamque adauget. Imo 4) si ita expedierit, restituit etiam corporis sanitatem.

4. *Hoc sacramentum id ex secundaria sua institutione habet,* 937
ut etiam peccata mortalia deleat, si aegrotus inculpabiliter in statu peccati mansit, modo veram attritionem de commissis peccatis elicuerit. Hoc ex doctrina S. Thomae suppl. q. 30 a. 1 aliorumque pro satis certo haberi debet, quum similis efficacia aliis sacramentis vivorum per accidens solum probabiliter attribui possit.

Quare accidere potest, ut ipsi homini acatholico in bona fide constituto nunc usu rationis et sensuum carenti salutem aeternam conciliare

valeat: quamquam id ob defectum sufficientis intentionis satis dubium manet. Hominem catholicum autem jacentem longe securius juvabit quam absolutionis conditionatae tentamen, quod tamen ne omittas.

§ 2.

De materia et forma.

938 1. Ut sacramentum extremae unctionis certo valeat, *materia remota debet esse* 1) *oleum olivarum*, 2) *ab Episcopo*, aut a sacerdote a S. Pontifice delegato *benedictum*, 3) idque *speciali benedictione* olei infirmorum: benedictio igitur sacerdotum in graeca Ecclesia, etiam a schismaticis facta, constituit materiam validam.

2. *Materia proxima, ut certo valida sit, debet esse unctio singulorum quinque sensuum*, ita ut singulae unctiones, sive ab eodem sive a diversis sacerdotibus fiunt, moraliter uniantur: eas tamen a diversis fieri, in Ecclesia latina extra casum necessitatis non licebit.

3. *Singulis unctionibus, ut omnis dubitandi possibilitas absit, singulae formae correspondere debent,* eaeque essentialiter integrae.

4. Forma autem haec est: *„Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum . . . deliquisti. Amen“:* in qua vix quidquam deleri vel sensus deprecatorius mutari potest sine periculo valoris corrumpendi.

939 5. *Ad liceitatem requiritur:* 1) ut sacrum oleum sit ejusdem anni, 2) ut *per se,* nisi mors adeo immineat, gemina fiat in singulis sensibus unctio (excepto ore seu labiis), 3) eaque per modum crucis, 4) ut, excepta dispensatione Sedis Apostolicae, addatur unctio pedum, vel etiam pro tempore et personis unctio renum; 5) ut excepto casu necessitatis aliae preces in Rituali notatae recitentur, adhibeantur vestes sacrae atque lumen. Quae 1) et 2) notantur, *grave* praeceptum continent, atque etiam quae n. 5) dicuntur, nisi sit leve ex materiae parvitate, v. g. una oratio ex tribus: (litaniae autem et psalmi poenitentiales in Rituali Rom. non praescribuntur, sed commendantur). — Similiter extra casum necessitatis grave est, omittere *omnem* vestem sacram, non vero, omittere lumen vel ministrum.

940 6. Addam tamen, quae *probabiliter ad valorem sufficiunt* quia etiam haec nosse aliquando *in praxi utile est.*

1) Probabile est, sufficere sacrum oleum alterius benedictionis, ut catechumenorum vel s. chrisma: at si deficit oleum, licebit *certo* oleum olivarum non-benedictum benedicto admiscere, idque saepius, si modo singulis vicibus oleum non-benedictum sit in minore quantitate.

2) Probabile est, sufficere unius sensûs unctionem cum sua forma: attamen ne in eo quidem, qui sensu aliquo caret, aliquam licebit unctionem omittere, sed si truncatum est membrum, fiat unctio in parte vicina.

3) Probabilius etiam valet, si unica fit unctio v. g. in capite seu fronte cum generali forma, quâ dicatur „quidquid per sensus deliquisti. Amen“, vel melius: „quidquid deliquisti per sensus videlicet visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum. Amen.“

4) Multo etiam probabilius, imo vix non moraliter certo conferas sacramentum, si formam modo dictam adhibeas et interea singulos

sensus celeriter ungas, nimirum ad vocem „sensus" *frontem*, ad „visum" *oculum*, ad „auditum" *aurem* etc. — Quare *si periculum est, ne aegrotus decedat, antequam unctiones fuerint perfectae, optimum est, hunc modum eligere; et nihilominus, si supervixerit, sub conditione singulas unctiones cum singulis formulis repetere.*

Caput II.

De causis externis Sacramenti Extremae Unctionis.

§ 1.

De Ministro et subjecto Unctionis.

1. *Minister valoris est quilibet sacerdos;* licitae administrationis 941
minister, excepto casu urgentis necessitatis, solus parochus est aut alius sacerdos ex ejus *licentia:* de quo postea sermo recurret in *Censuris.*

2. *Subjectum extremae unctionis est quivis homo baptizatus, capax peccati, periculose aegrotans, quem non constet velle decedere in statu peccati:* idque quoties in novo mortis periculo constituitur; quod etiam valere potest de eodem morbo diuturno, in quo mortis periculum identidem cessat et recurrit.

Sufficit ergo et requiritur *probabile periculum,* ne brevi vita finiatur: quod habetur in quolibet morbo vel vulneratione periculosis; in morbi diuturni e. g. phthisis illo statu, quo juste timendum est, ne aegrotus mox decedat; in senectutis tali conditione, ut vires in dies deficere videantur. Cf. S. Alph. n. 714.

Dari non potest unctio: 1) in proelium profecturis; 2) *ante* operationem chirurgicam periculosam, nisi aliunde valetudo periculose affecta est; 3) capitis damnatis. Ex alia ratione dari nequit: 4) perpetuo seu a nativitate amentibus; 5) pueris qui certo nondum attigerunt usum rationis. At danda est: a) iis delirantibus, qui unquam usum rationis habuerunt; b) pueris usum rationis habentibus, etsi antea nondum ad confessionem vel S. Communionem admissi sint — quod tamen *tunc* omnino fiet: imo si probabilis, sed dubia est rationis aetas, unctio danda est eaque evadere potest gravissima obligatio, si eâ solâ puero satis secure subveniri potest; c) iis qui modo nunc in adulta aetate baptizati sunt.

3. Quoad judicium de dispositione subjecti ferendum id notari 942
debet, etsi, quantum fieri possit, dispositio necessaria et status gratiae certissime procurandus sit: nihilominus, quando plus haberi nequeat, sufficere, ut non constet de indispositione, quia in extremo periculo omnia tentanda sunt. Neque adjici debet conditio „si dispositus es"; extrema unctio enim *absolute* conferri debet, si homo capax est unctionis sacramenti *valide recipiendi*, sub conditione tum tantum, quando dubium est, num *valide* recipere possit.

Quare excludi non debent ab extrema unctione: 1) sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt, 2) neque qui in ipso actu peccati, signo poenitentiae non manifestato, sensibus destituuntur: quibus quamquam S. Eucharistia danda non est, tamen cum conditio-

nata absolutione extrema unctio omnino concedenda est. Nam si forte internum actum attritionis miser peccator habuit, longe tutius, imo *certo* ejus salus procurabitur per unctionem, per absolutionem valde dubie. Cf. Mazz. *de extr. unctione* cap. 3 *Quaeres 2.*

943 4. *Obligationem suscipiendae extremae unctionis per se gravem esse, communior sententia cum* S. Thoma in IV. dist. 23 q. 1 a. 1 solut. 3 et S. Alphonso n. 733 *negat; potest gravis fieri per accidens,* ne oriatur contemptus vel scandalum.

5. *Gravior etiam atque plane sub mortali exsistere potest obligatio eorum, qui aegroti curam habent, ut extremam unctionem curent conferendam.* Ea igitur obligatio potissimum est in parocho, qui non solum vocatus accedere debet, sed etiam vigilare, ne quis parochianus sine hoc sacramento adeo utili et aliquando summe necessario decedat; sed etiam obligatio est in cognatis, ut nuntium dent sacerdoti, vel etiam aegrotum disponant ad sacramentum hoc sive petendum sive admittendum.

6. Studeat igitur parochus etiam exstirpare stultos illos timores, qui aliquando occupant aegrotum, quasi post extremam unctionem de vita actum sit (quum e contrario conferat ad sanitatem restituendam), vel quasi non amplius liceat post recuperatam sanitatem nudo pede terram calcare, et similia.

Tractatus VII.

Sacramentum Ordinis.

Cf. S. Alph. l. 6. n. 734—830; S. Thom. Supplem. q. 35—40; Ben. XIV. *de synod. dioeces.* l. 8 cap. 9—11, l. 12 cap. 3 et 4; Lacroix l. 6 p. 2 n. 2122 seq. et l. 4 n. 1186 seq.; Craisson, *Manuale juris can.* n. 1666—2053.

944 Sacramenta illa, de quibus hucusque egimus, singulorum hominum sive fidelium necessitatem atque utilitatem respiciunt: priora tria utilitatem atque perfectionem per se intentam, posteriora duo, poenitentia et extrema unctio, per accidens tantum, quum ad necessitatem ex peccato ortam referantur. Quapropter haec a B. Maria V. suscepta non sunt, utpote omni peccato carente, ex aliis autem sacramentis praecipue SS. Eucharistiam B. Virgo sine dubio suscepit.

Sacramenta, quae restant, ordo et matrimonium, necessitatem communitatis seu generis humani ut talis respiciunt, non tantopere singulorum necessitatem: ordo communitatem spiritualem et supernaturalem, matrimonium societatem conjugalem. De quibus jam agendum est.

Caput I.

De Ordinis rationibus internis.

§ 1.

De natura Ordinis, eaque sacramentali.

I. *Ordinis sacramentum in Ecclesia vere exsistere, de fide cath. definita est.* Inter alia v. Trid. sess. 23 can. 3: „Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, . . . A. S.“

II. *Etsi non omnes, tamen aliquos ordines rationem sacramenti habere,* ita ut sacramentum ordinis *unum* sit generali quadam ratione, non infimas partes exprimat, *etiam certa catholica doctrina est.* Id enim certissime colligitur ex variis canonibus Trid. Concilii l. c. can. 4 et 6.

III. *Ordines quatuor, qui dicuntur minores, sc. ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, sacramenti rationem non habent,* quum sint ecclesiasticae institutionis. Quae sententia hodie communis est, contra non paucos antiquiores scriptores, qui omnibus ordinibus etiam minoribus sacramentalem characterem vindicare studuerunt. Imo nec *subdiaconatui* ratio sacramenti competere videtur. Certo autem competit diaconatui, presbyteratui, episcopatui. *Theol. mor.* n. 581—583.

§ 2.

De diversorum Ordinum effectibus.

I. Ordinis definitionem si ex effectu potissimum petas, hanc me- 945
rito cum S. Thoma *Supplem.* q. 34 art. 2 tradere licet: *„Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas ordinato tribuitur.“* Quae definitio tum iis ordinibus, qui sacramentum non sunt, tum iis, qui sacramentum sunt, suo modo convenit, eo tamen discrimine quod, qui sacramentum sunt, *ex se* gratiae sanctificantis augmentum atque actualis gratiae auxilia ad munia ecclesiastica digne obeunda ordinato conciliant, qui vero sacramentum non sunt, similem effectum non ex opere operato, sed tantum ex impetratione Ecclesiae atque ex piis actibus ipsius ordinandi producunt.

II. In minoribus ordinibus munia quaedam ecclesiastica deputantur, 946
quae antiquitus quidem clericis reservabantur, ex hodierno tamen usu etiam a laicis licite exercentur, videlicet:

1. *Ostiariatu* committitur officium templorum fores aperiendi et claudendi, ad officia divina datis signis christianam plebem convocandi, arcendi indignos.

2. *Lectoratu* committitur officium, ex libris sacris Veteris et Novi Testamenti assignatas lectiones publice in ecclesia legendi, atque prima fidei rudimenta rudibus explicandi.

3. *Exorcistatu* traditur potestas super energumenos manus imponendi, atque exorcismos ab Ecclesia approbatos super eos legendi,

daemonesque expellendi. — Attamen hodie hanc potestatem publico nomine exercendi facultas solis presbyteris, consulto quoad publicum exorcismum Episcopo, conceditur.

4. *Acolythatu* committitur officium ad Ss. Missae sacrificium luminaria deferendi, atque vinum et aquam pro sacrificio ministrandi. Acolythi igitur, quum jam propius ad altare atque Missae sacrificium accedant, ad quod potissimum ordines referuntur, supremi sunt inter initiatos minoribus ordinibus.

947 III. Ordines majores sive sacri sic distinguntur:

5. *Subdiaconatu* committitur potestas post diaconum assistendi presbytero in sacrificio Missae et solemniter cantandi epistolam. — Officia vero subdiaconi pleniore sensu haec sunt: in sacrificio Missae aquam ad offertorium vino affundere, diacono ministrare, calicem et patenam ad Missae sacrificium diacono offerre, solemniter epistolam cantare, in aliis etiam liturgicis functionibus diacono et post eum presbytero ministrare et assistere, pallas altaris et corporalia abluere.

6. *Diaconatu* potestas confertur in Ss. Missae sacrificio aliisque sacris functionibus sacerdoti immediate ministrandi et solemniter cantandi evangelium; plenius: Potestas *ministrandi* intelligitur etiam de facultate S. Eucharistiam ministrandi et solemniter baptizandi, modo id fiat ex necessitate et commissione sacerdotis. — Potestas cantandi evangelium annexam habet facultatem *praedicandi* ex commissione Episcopi.

948 7. *Presbyteratu* confertur potestas in corpus Christi verum et in corpus Christi mysticum, i. e. potestas Missam celebrandi et S. Eucharistiam consecrandi, et potestas sacramenta alia fidelibus conferendi (exceptis iis, quae episcopalem characterem requirunt). Quibus natura sua annectitur potestas benedicendi, populum instruendi doctrina christiana et concione, quamquam *sub* Episcopo.

8. *Episcopatus* autem est sacerdotii complementum et apex, quo potestas in corpus Christi verum et corpus Christi mysticum completur.

NB. Quae autem de potestate in corpus Christi mysticum, seu fideles, dicta sunt, intelliguntur de potestate *sacramentali*, non de potestate *jurisdictionis:* haec enim non ordinatione, sed institutione seu *officii collatione* confertur.

§ 3.

De materia et forma singulorum Ordinum.

949 Quamquam complures ordines rationem sacramenti non habent, in omnibus tamen observatur analogia *materiae et formae.* Sed id discrimen tenendum est: in iis ordinibus, qui sacramenta non sunt, a) gratiae non conferuntur nisi ex impetratione Ecclesiae; b) quoad materiam et formam S. Pontifex supplere potest, imo post factum sanare; c) quare longe facilius licebit *probabilis* collatio.

Quibus praenotatis haec pauca observa:

A. Materia et forma ordinum minorum:

1) Ostiariatus confertur *traditione clavium ecclesiae*, quas suc-

cessive singuli tangunt; 2) lectoratus *traditione libri lectionum;* 3) exorcistatus *traditione libri exorcismorum* (sive Missalis vel Pontificalis); 4) acolythatus duplici *traditione* a) *candelabri cum candela exstincta,* quâ pro omnibus absolutâ, traduntur b) *urceoli vacui.* — Traditio vero sic perficitur, ut singuli sive simul sive successive rem tangant, Pontifice interea dicente verba quae pro singulis ordinibus notantur in Pontificali.

B. Materia et forma ordinum sacrorum. 950

1. Subdiaconatus, ut certo valide conferatur, duplici ritu partiali cum sua materia et forma perficitur: a) *traditione calicis vacui cum patena vacua superposita*, comitantibus verbis Pontificis ut supra in aliis ordinibus; b) *traditione libri epistolarum* sub suis verbis, quem plures simul tangere possunt, quum calix cum patena fere singulis tangendus porrigi debeat, etsi forma semel super omnes proferatur.

2. Diaconatus in orientali Ecclesia sola *manuum impositione* cum suis verbis absolvitur; in Ecclesia latina ut *certo* sit validus, duplex ritus observandus est:

a) *Prima* partialis materia est *impositio manûs* Pontificis, forma verba concomitantia; vid. Pontifex solam manum dexteram extendens ponit super caput cuilibet ordinando, et nullus alius . . ., *dicens singulis:* „Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus: in nomine Domini."

Quibus subsequitur oratio, qua Pontifex, manu dextera extensa, dona Spiritûs Sancti in eos deprecatur.

b) *Secunda* partialis materia et forma est traditio *libri evangeliorum* sub certis verbis: sc. Pontifex accipit et tradit omnibus librum evangeliorum, quem manu dextera tangunt, *dicens:* „Accipite potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini. R. Amen."

3. Presbyteratus in orientali Ecclesia similiter sola manuum 951
impositione confertur cum certis verbis et orationibus. In Ecclesia vero latina, ne dubium ullum circa valorem exsistat, *triplex ritus* cum sua materia et forma observandus est:

1) *Impositio manuum* Episcopi in singulorum caput (subsequitur similiter impositio manuum aliquorum presbyterorum, qui adsint), quam Episcopus cum presbyteris quodammodo continuat *extensione manûs* dexterae versus ordinandos, dum adhortatur ad orandum „Oremus, fratres charissimi etc.", et demissa manu, exorat gratiam Spiritûs Sancti.

2) *Traditio st. vasorum cum pane et vino* sub verbis mox citandis; nimirum Pontifex tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt, Pontifice singulis *dicente:* „Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini. R. Amen." — Et quamquam plerumque hostia immediate tangitur, id certo non requiritur; imo *valor* satis certus videtur, si sola cuppa calicis vel sola patena immediate tacta est — qui tactus aliquando a S. R. C. ut sufficiens admissus, aliquando a S. C. C. conditionata reordinatione securior reddi jussus est.

3) *Impositio manuum* Episcopi sub finem Missae cum *verbis:* Accipe Spiritum Sanctum. Scil. Pontifex „imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet: ‚Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis: et quorum retinueris, retenta sunt'."

952 Practice igitur plus minusve dubia est ordinatio presbyteri:

a) si omissa sit illa prima manuum impositio vel extensio, imo tunc valor plane improbabilis est; b) si substantialiter vitiata sit vel oratio „Oremus dilectissimi", vel oratio subsequens „Exaudi" cum „praefatione", quae post unctionem manuum tandem protrahitur, vel etiam verba postea proferenda: „Accipe potestatem etc."; c) si in porrectione instrumentorum verum vinum aut verus panis triticeus porrectus non sit; d) si ordinandus neque calicis cuppam, neque patenam immediate manu sua tetigerit: nam si alterutrum tetigit, practice certa est ordinatio; e) si ultima manuum impositio aut ejus verba omissa, vel essentialiter corrupta sint.

953 Praeter ritus sive certo sive dubie essentiales alii sunt, qui ad valorem quidem non pertinent, sed *sub gravi* omnino observari debent, imo quorum aliqui, si omissi sint, debeant suppleri. — Inter quos numerant a) unctionem manuum, b) traditionem vestimentorum, c) recitationem canonis cum Episcopo: videtur tamen de supplenda recitatione canonis non constare. — Ritibus in ordinatione consuetis adnumerare possumus eas, quas Episcopus secundum Pontificale injungit preces recitandas, i. e.: 1) promotis ad minores ordines 7 psalmos poenitentiales cum aliis precibus, 2) promotis ad subdiaconatum vel diaconatum „Nocturnum talis diei" (quem Episcopus pro libitu assignare potest; alioquin erit Nocturnus ferialis sine *Laudibus* ipsius diei, quo ordinatio facta fuerit; si in Dominica, Noct. I. Dominicae); 3) pro Neopresbyteris tres Missas, quarum forma, non ipsa applicatio, injungitur: a) de Spiritu Sancto, b) de Beata, c) pro defunctis. — Quarum precum persolvendarum sitne stricta obligatio, disputant scriptores: ita ut aliqui *gravem*, alii *levem*, alii solam *convenientiam* per modum rubricarum directivarum statuant.

954 4. Episcopalis consecratio essentialiter perfici videtur illa actione, quae secundum Pontificale Rom. post litanias recitatas incipit a *manuum impositione* et *impositione libri evangeliorum* super cervices ordinandi, atque completur per *verba* „Accipe Spiritum Sanctum" cum sequentibus precibus, quas per modum praefationis Consecrator effundit, ungendo caput consecrandi continuat et postea prosequendo finit: quae preces saltem quoad sensum substantialem ad formae essentiam propterea pertinere dicendae sunt, quia ita tantum praecedentia verba „Accipe Spiritum Sanctum" ad verum sensum *episcopalis consecrationis* determinantur atque contrahuntur. Cf. *Theol. mor.* n. 587 sqq.

Caput II.

De Ordinis rationibus externis.

§ 1.

De ministro ordinationis.

1. *De fide definita est, potestatem ordinandi non esse presbyteris cum* 955
Episcopis communem, ex Conc. Trid. sess. 24 can. 7, atque certum est, solos Episcopos posse presbyteratum valide conferre.

2. *Certum etiam est, Summum Pontificem presbytero tribuere posse potestatem conferendi ordines minores:* quod tum ex praxi constat, tum ex ea ratione quod illi ordines ecclesiasticae institutionis sint. Probabiliter id valet etiam de conferendo subdiaconatu; possitne autem diaconatûs conferendi potestatem presbytero facere, multo magis dubium est. Cf. *Theol. mor.* n. 592 et 593.

Haec quidem de valore; sed non ita de liceitate.

3. Quamquam valida est ordinatio facta a quolibet Episcopo, i. e. episcopali charactere per consecrationem insignito, quantumvis excommunicato et ab Ecclesia sejuncto: nihilominus *licita non est ordinum collatio* (cui ipsa tonsurae collatio adnumeratur), *nisi ab Episcopo proprio aut cum ejus licentia.*

4. Episcopus *proprius* dicitur sive ratione *originis ordinandi,* sive 956
ratione *domicilii,* sive ratione *beneficii jam obtenti,* sive ratione *famulatûs:* ex Constit. Innoc. XII. „*Speculatores*“ 4. Nov. 1694: quam vide in Bullario vel etiam apud Lacroix l. 6 p. 2. n. 2166 sqq. — Regulares, etiam exempti, nisi de contraria consuetudine aut de speciali privilegio constet, ordinari debent ab Episcopo dioecesis, in qua monasterium situm est: qui si ordinationem non habeat, Superior regularis, accepta per Episcopum vel Vicarium generalem attestatione ordinationis ab Episcopo loci non habendae, suos subditos ad alium Episcopum transmittere potest. Cf. Lacroix l. c. n. 2236: quod post decretum Clem. VIII extra dubium est. S. Alph. n. 768.

5. Ratione *originis* ille dicitur Episcopus proprius, in cujus dioecesi ordinandus natus est, seu rectius, ubi parentes seu pater tempore nativitatis filii domicilium habebat. In filio illegitimo attenditur domicilium *matris;* pro prole exposita, cujus parentes ignorantur, videtur locus sumi, ubi receperit illa baptismum; item locus baptismi sumitur in eo, qui ab infidelitate ad veritatem ecclesiae catholicae se receperit.

6. Ratione *domicilii* ut adsit titulus a titulo originis distinctus, requiritur aut *decennalis* habitatio, aut translatio majoris partis bonorum cum habitatione *notabilis* temporis et jurata assertione qua ordinandus fateatur sibi in animo esse, ibi perpetuo habitare.

Novitii ordinum religiosorum videntur quoad ordinationem vel ut saeculares posse considerari, vel ut religiosi, si tamen *titulum sustentationis* habent.

7. Ratione *beneficii* intelligitur ille Episcopus proprius, in cujus 957
dioecesi ordinandus obtinuerit beneficium ecclesiasticum, quod 1) ordinandus debet jam pacifice possidere, 2) debet post detracta onera

sufficiens esse ad honestam sustentationem, neque admittitur supplementum per patrimonium. — Insuper exhiberi debent literae *testimoniales* Episcopi tum originis tum domicilii etc. de vita, moribus, aetate, natalibus ordinandi.

8. Ratione *famulatûs* ille Episcopus (dioecesanus: nam Episcopo, qui est titularis tantum, id non licet) ordines conferre potest, cui candidatus per triennium famulatus sit et cujus expensis vixerit — etsi non in domo episcopali, modo in loco aut prope locum Episcopi (imo distantia unius alteriusve milliarii non obstat, quominus *prope* locum Episcopi vivere dici possit) —: sed cum conditione, ut ordinato infra mensem beneficium sufficiens conferat, aut ad titulum pensionis vel patrimonii eum ordinet. Requiruntur pariter literae testimoniales de vita, moribus, aetate etc. — Nomine familiaritatis etiam famuli famulorum ordinari possunt, modo fraus desit.

Hi sunt tituli jure communi admissi, ex quibus Episcopus *ordines conferre possit:* qui distinguuntur a titulo *sustentationis* seu *mensae,* vi cujus ordinandus petat ordinationem, quamquam beneficium obtentum etiam titulum sustentationis facit.

§ 3.

De subjecto ordinationis.

958 1. Ad valorem ordinationis in subjecto requiritur, ut sit mas baptizatus, et si de suscipiendo Episcopatu agitur, ut valide presbyteratum acceperit: dein in homine, qui ad usum rationis pervenit, requiritur, ut susceptio ordinum sit voluntaria saltem habitualiter; sed infans ordinatur graviter quidem illicite, at valide, sicut baptizatur.

2. Ut vero licite ordo suscipiatur, ordinandus debet a) in statu gratiae exsistere, idque sub gravi, quando agitur de ordinibus, qui rationem sacramenti habent; b) sequentibus conditionibus munitus esse: 1) debet esse confirmatus, 2) inferioribus ordinibus instructus, 3) nulla irregularitate aut censura impeditus, 4) tot annos natus quot canone requiruntur, 5) debitâ scientiâ institutus et comprobatus, 6) divina vocatione donatus, 7) titulo sustentationis instructus, 8) pro circumstantiis literis testimonialibus vel dimissoriis munitus, 9) debito tempore et post debita interstitia admissus.

959 3. De singulis igitur requisitis pauca: Confirmatio requiritur sub *veniali;* susceptio priorum ordinum (secus dicitur ordinatio *per saltum*) sub *gravi:* verum, nisi agatur de presbyteratu suscepto, sed de aliis ordinibus ante presbyteratum, qui ad *valorem* presbyteratûs necessarii non sunt, facilius acquiescere licebit collationi valde probabili. — De *irregularitatibus* et *censuris* postea dicetur.

4. Aetas requisita est haec: 1) pro episcopatu annus 30^{us} completus; 2) pro presbyteratu 25^{us} inceptus; similiter 3) pro diaconatu 23^{us}; 4) pro subdiaconatu 22^{us}; 5) pro ordinibus minoribus certa aetas non praescribitur, Episcopi est videre quid expediat inter aetatem 7—14 annorum. Cf. Trid. sess. 23 c. 12 *de ref.* — Aliquando *infra annum,* sed solum quoad sacerdotium, Episcopus dispensare potest; alioqui R. Pontifex adiri debet.

5. De *scientia* requisita cf. Trid. sess. 23 *de ref.* cap. 4, 5, 7, 11, 13, 14. A *tonsurandis* requirit Concilium, ut sciant rudimenta fidei, et possint legere et scribere; pro ordinibus minoribus, ut suo modo sciant linguam latinam; pro subdiacono et diacono, ut sint tum in literis, tum in suis officiis et ordinibus exercendis instructi: quae in literis instructio latam patitur interpretationem. — Pro presbyteratu, ut sint idonei ad docendum populum in rebus fidei et ad administranda sacramenta: quod de iis, qui ad curam animarum adspirant, etiam aliquatenus de sacramento poenitentiae intelligitur; alioqui sufficit, ut *munera sua* exercere vel brevi assequi pleniorem instructionem possint.

Scientia haec diligenti examine debet esse approbata, idque per se ab Episcopo; quid religiosis liceat, ipsi ex suis privilegiis debent cognoscere.

6. Titulus sustentationis per se est beneficium eccle- 960
siasticum; potest etiam Episcopus propter ecclesiae suae utilitatem titulum *patrimonii* vel *pensionis* admittere, per se in re stabili fundandum; aliquando, i. e. in locis, ubi beneficia ecclesiastica non habentur, Episcopis facultas fit a Summo Pontifice conferendi ordines titulo *missionis* vel *servitii ecclesiae*, quo Episcopi provident, ut presbyteri in cura animarum fidelium occupati ab ipsis fidelibus sustententur.

Pro religiosis, idque per se solum pro solemniter professis, admittitur titulus religiosae paupertatis; post vota simplicia tamen admittitur ille titulus pro religiosis Soc. Jesu.

7. Quicunque non a suo Superiore ordinatur, *dimissoriis* literis 961
indiget; qui vero a suo quidem Superiore ordinatur, at notabili tempore (puta 6—12 menses) extra ejus dioecesim versatus est, videl. per tale tempus, ut potuerit contrahere impedimentum canonicum, ab illius loci vel illorum locorum Ordinariis literas *testimoniales* habere debet. Vide Constitutionem Innoc. XII. „*Speculatores*“.

Relate ad regulares sufficit illa informatio, quae in admittendis novitiis praecedere debet sive ex Constit. Pii IX (25. Jan. 1848 „*Romani Pontifices*“) sive ex peculiari instituti regularis praescripto. (Illa Constitutione exiguntur literae testimoniales „tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit“.)

Poenas inflictas in eos, qui contra hoc praeceptum agunt, vide lib. seq. „Suspensiones“.

8. Tempus ordinationis aliud est ex jure communi, aliud ex 962
privilegio.

A. *Ex jure communi:* 1) tonsura quolibet tempore et loco conferri potest; 2) ordines minores — si modo non in tot conferuntur, ut sit ordinatio generalis — conferri possunt diebus Dominicis vel festis de praecepto, etiam suppressis, sed *mane* tantum; 3) ordines sacros *intra Missam* tantum conferre licet, idque Sabbatis a) quatuor temporum, b) ante Dominicam Passionis, c) ante Pascha.

B. *Ex privilegio* conferendi vel recipiendi ordines etiam sacros *extra tempora* dies legitimi sunt dies sive Dominici, sive festivi de praecepto etiam suppressi. — Ut vero facultas etiam ad alios dies ex-

tendatur, aut privilegium speciali modo ulterius datum requiritur, aut privilegii legitimâ consuetudine amplior interpretatio.

C. Ad legitimum tempus requiruntur etiam servata *interstitia*, et, si commode fieri potest, exercitium ordinis prioris (quod tamen S. Alphonso non videtur vera obligatio). Interstitium inter ordines minores est ad arbitrium Episcopi: quare jam in pluribus locis consuetudo est eos omnes simul conferre; inter reliquos ordines statuitur interstitium *unius anni*, praecipue ut ascendatur a diaconatu ad presbyteratum: tamen Episcopus ob necessitatem ecclesiae dispensare potest.

Verum distincta lex est, ne ordines sacri recipiantur diebus continuo sibi succedentibus: quare ut hoc liceat, speciale privilegium R. Pontificis est necessarium. — Alia dein lex sub gravi vetat, ne duo ordines sacri eodem die recipiantur; imo *per se*, ne recipiantur *plures* ordines, quorum *unus* sacer sit: verum ut ordines minores simul cum subdiaconatu conferrentur, alicubi consuetudo induxit.

963 9. Tandem de vocatione divina ad statum clericalem dicendum est: de qua certo sensu non minor, sed major debet esse probatio quam circa admissionem ad vitam religiosam, quia pericula plura, minora subsidia clero saeculari oriuntur.

Requiritur ergo 1) recta intentio, qua quis quaerat non otium vel honorem hujus vitae, sed divinam gloriam et propriam perfectionem. — Requiritur 2) aptitudo ad subeunda munera, quae in statu clericali impleri debeant; hinc pro iis, qui ad sacerdotium cum cura animarum adspirant, aptum ingenium et scientia, judicium prudens in rebus et negotiis gerendis, conscientia timorata neque nimis scrupulosa, ne ex una parte periculum subeant tepescendi in quotidiana rerum sacrarum tractatione, neve ex altera parte in tot negotiis ceteroqui summi momenti haerere et timere soleant. — Requiritur 3) virtus probata et animi constantia. — Vitae igitur probitas positive probari debet. Hinc omnino recte monet S. Alphonsus, si quis candidatus sacrorum ordinum fuerit consuetudinarius, praesertim in vitio turpi, non sufficere eam dispositionem, quae alias satis sit ad absolutionem sacramentalem; nam nisi vel diuturnioris temporis experientia, vel extraordinarium signum uberioris gratiae divinae constantiam probent, eum, qui statim velit ordinari, *temere* onus in se suscipere velle, adeoque non esse capacem absolutionis recipiendae.

Unde concludes, gravissimi momenti esse munus tum seminarii directoris, tum alumnorum confessarii, ut mature alumnos dirigant, eorum animos efforment, defectum aptitudinis aperiant, imo nisi de confessario confessionisque sigillo vel simili secreto agitur, ineptos etiam relegandos curent.

Caput III.

De oneribus et favoribus ordinibus, praecipue sacris, annexis.

Articulus I.

De obligationibus clericorum communibus.

Pleraque, quae hîc tractantur, clericos in sacris constitutos et 964
quoslibet beneficiatos et religiosos spectant, non ita clericos, qui sine alio statu in solis minoribus ordinibus constituti sint. Ceterum id in singulis §§ adnotabimus.

§ 1.

De veste clericali et tonsura.

1. Ad vestem clericalem et tonsuram tenentur per se sub gravi clerici in sacris constituti, et clerici beneficiati.

2. Quamquam clerici ordinum minorum, quando beneficium ecclesiasticum non possident, non tenentur per se sub ullo rigoroso praecepto ad habitum clericalem: tamen qui tertio admonitus ab Episcopo habitum clericalem (vestem et tonsuram) non assumit, amittit privilegium et fori et canonis: S. Alph. l. 6 n. 825 et 827.

3. Vestis clericalis etsi lege communi non est quoad formam plane determinata, tamen communis usus est, ut sit vestis talaris et nigri coloris, quam Episcopus stricte praecipere potest. Cf. Ben. XIV. *de syn. dioec.* lib. 11 c. 8. — Ubi autem neque Episcopi praeceptum neque consuetudo vim legis habens ita urgent, et color similis et forma brevior ad talarem accedens tolerari potest.

4. Etiam pro clericis per se sub gravi obstrictis parvitas materiae admittitur. — Seclusa igitur circumstantia aggravante, ut contemptu, scandalo aliorum, pravo fine, Lacroix l. 1 n. 672 spatium 4—6 dierum saltem pro materia levi habet, idque ex multorum auctoritate confirmat. — De sola autem tonsura si sermo est, tempus multo longius ad gravem materiam requiritur.

5. Ut sine culpa clericalis habitus totaliter dimittatur, *gravis causa* requiritur, e. g. imminens persecutio, transitus per loca infidelium seu haereticorum cum periculo gravis injuriae: nisi forte legitima dispensatio causas illas latius nonnihil extendit.

§ 2.

De prohibitis artibus et officiis.

I. Negotiatio. 1. Ea interdicitur clericis in sacris constitutis, 965
beneficiatis, omnibus religiosis etiam laicis: ita ut neque *per* se vel per alterum, neque *pro se* vel pro altero negotiari possint. Canonicas sanctiones habes praeter alias Constit. Bened. XIV. 25. Febr. 1741 „*Apostolicae*“. — Sola necessitas se suosque alendi, vel continuandae negotiationis per haereditatem ad clericum devolutae excusat, quando accedit concessio Episcopi extra Italiam, S. Sedis intra Italiam.

2. Nomine negotiationis intelligitur *rem ex intentione eam non mutatam cum lucro vendendi emere et postea vendere:* ad quam accedit venditio rei, in qua mutatio quidem fit, sed ipsa mutatio per modum emptionis, *ita ut res mutetur per labores eorum, qui ad hoc pretio conducantur, idque ex intentione lucri:* v. S. Alph. l. 3 (4) n. 381 et alios.

966 Negotiatio igitur non est: 1) vendere fructus ex agris propriis collectos; 2) emere pecora, eaque in propriis praediis saginata vendere, aut alere greges, ut foetus, lana etc. vendantur; 3) artem proprio statui convenientem exercere, et opera vendere; 4) emere fructus et animalia iis saginata vendere, quum proprii potius labores ad lucrum capiendum vendantur, quam res non mutata; 5) emere ad proprios usus, etiam large, et postea, quae supersunt, vendere: imo quum pretium crescit, etiam ex industria parcius utendo res venditionis causa conservare.

E contrario est negotiatio, vel ei tamquam prohibita actio aequiparatur: 1) pecora in alienis agris seu pascuis conductis saginare, et saginata vendere, quum proprius labor non intercedat; 2) agros alienos conducere et fructus eorum vendere: v. S. Alph. n. 834 ex antiqua prohibitione, Craisson n. 2071; 3) similiter fructus, v. g. uvas *emere,* et ex iis *per operarios conductos* vinum facere, quod cum lucro vendatur: Lugo *de just.* d. 26 n. 34; 4) dein negotiationi comparatur quaelibet diversarum rerum ex materia coëmpta fabricatio, quae fit per operarios conductos; ideoque etiam per modum „societatis" in sola fabricatione industriali partem habere; 5) eodem modo negotiationi clericis interdictae comparatur haberi seu emi ejusmodi fabricationis participationem per eas, quas vocant „actiones", aut emi ejusmodi chirographa, vi quorum jus habeatur ad lucrum annuum *mutabile* ex via ferrea aliove instituto hauriendum: cf. declarat. S. Congr. Conc. apud Scavini IV. n. 93. — Non autem videtur illicitum esse emere chirographa, vi quorum quotannis *certa et fixa* summa pecuniae per modum censûs seu annuae usurae percipiatur, nisi cum ipsis illis chirographis ut objectis seu mercibus negotiatio fiat.

3. Prohibitio negotiandi in se gravis est, admittit tamen materiae parvitatem. Quare pro veniali peccato habent S. Alphonsus n. 381 et alii, *aliquoties* negotiationem non turpem neque in magna quantitate facere, vel *semel* in majore quidem, sed non enormi quantitate: quod tamen ad missionarios, de quibus infra *de censuris* sermo est, trahi nequit.

967 II. De medica arte nota: 1. Exercitium chirurgiae, seu medicae artis cum incisione aut adustione — excepto casu necessitatis, quo alius peritus non adsit — saltem clericis in sacris constitutis, beneficiatis, et quibuscunque religiosis certo interdicitur: v. c. *„Sententiam", „Ne clerici, vel monachi";* decretal. l. 3 tit. 50 c. 9. Cf. S. Alph. l. 7 n. 384 et infra *de irregularitate.*

2. Multi scriptores idem dicunt de quocunque medicae artis exercitio — nisi fiat erga pauperes aut propinquos. — Et quamquam de hac prohibitione ut *universali* non constat (siquidem textus juris can., qui afferuntur, solum prohibent, quominus clerici ordinum sacrorum, beneficiati, religiosi *addiscant* artem medicam aut leges civiles): tamen Episcopis competit jus interdicendi 1) omnis medicae artis exercitium,

2) idque relate ad quoslibet clericos etiam ordinum minorum clericalem vitam agentes; quod etiam non uno loco factum est. Cf. C. Baltimor. IX et Baltim. plenar. II. Coll. Lac. t. III col. 180 et 443. — Quare in suo loco quisque videre debet, quid particularis lex severius vetuerit.

III. Aliae artes vel officia. 1. Aliquae artes ratione indecentiae *omnibus clericis* prohibentur, ut: ars macellaria, tabernaria, joculatoria etc. Cf. S. Alph. l. 4 n. 189 *(de statibus).* 968

2. Ratione alicujus repugnantiae cum statûs mansuetudine *clericis sacrorum ordinum, religiosis* (et ex parte *beneficiatis*) non licet: a) judicem agere in causa sanguinis; b) militiam suscipere; c) armatis incedere seclusa necessitate: quae ex se sub gravi prohibentur; nisi quod ultimum parvitatem materiae admittere fatendum est. Cf. Ben. XIV. *notif.* 101.

3. Ratione implicatae curae *clericis ordinum sacrorum etc.,* ut modo,

1) non licet officium agere: tutoris, curatoris, procuratoris, administratoris bonorum, nec ullum ministerium publicum ex quo obligentur ad reddendas rationes de justitia aut de bonis administratis, neque advocati vel notarii etc. officium in curia saeculari.

2) Licebit tamen tutorem vel curatorem agere pro proxime cognatis; administrationem bonorum pro causa pia vel persona paupere suscipere; causam suam vel suorum etiam in saeculari judicio defendere.

3) Administrationem bonorum aliorum, vel procurationem suscipere lucri causa ad decentiorem sustentationem propriam vel suorum, clerico non vertitur peccato *mortali,* nisi propria ministeria negligat. S. Alph. l. 3 n. 838.

§ 3.

De prohibitis ludis animique relaxationibus.

I. Venatio. 1. Quamquam Concil. Lat. IV can. 15 venatio „universis clericis" interdicitur, tamen hodie vix alios adstringit, nisi clericos sacrorum ordinum, beneficiatos, quoslibet religiosos. 969

2. Sub gravi prohibitione sola ‚clamorosa' venatio prohibita censetur, idque si *pluries* fiat, ita ut cum scandalo aut magnis expensis sit conjuncta, S. Alph. l. 3 n. 606 (pro religiosis tamen *facilius* scandalum adesse censetur): alioqui manet peccatum veniale, nisi severior prohibitio particularis accessit.

3. Venatio quieta, quae fiat laqueis, retibus, imo etiam sclopeto, sed cum uno alterove tantum cane sine magno strepitu, non censetur *ex se* prohibita: adeoque omni culpa vacat, si fit raro, moderate, sine scandalo. S. Alph. ib. Quamquam Episcopus etiam talem venationem prohibere potest. V. etiam Craisson n. 2072—2078.

II. Spectaculis publicis interesse communiter pro gravi scandalo habetur et gravi indecentia statui clericali illata, saltem si agitur de clericis sacrorum ordinum: adde periculum pro morum honestate. 970

Imo post Trid. (v. sess. 22 cap. 1 *de ref.*), teste Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 11. c. 10, synodi provinciales et diocesanae consueverunt sub gravi obedientiae praecepto, vel etiam poena gravi addita talem spectaculorum scenicorum frequentationem prorsus prohibere.

Idem dici debet, imo sub aliquo respectu magis etiam, si clericus ordinis sacri choreis saltando intersit: v. Scavini I. n. 471.

971 III. Relate ad tabernas et popinas frequentandas C. Lat. IV habet: „tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.“ — Quare indiscriminatim cum aliis clericos sacrorum ordinum in tabernis versari, est res per se graviter indecens; idque multo magis, si cum aliis minus honeste jocentur, aut bibendo temperantiam — etsi non ex se graviter — laedant.

Verum quidem est, si omnia honeste agantur, aliquorum locorum consuetudinem posse, ubi sit, indecentiam multum diminuere, ita ut nolim statim mortalis peccati id incusare; minus etiam, si clerici ibi in cubiculum separatum conveniant — quod si ex rationabili causa fiat, in se peccaminosum esse non videtur, ubi scandalum nullum creatur. Nihilominus quum abusus facile accedat, ab Episcopo quaelibet cauponae frequentatio justissime prohiberi potest. Cf. hac de re statuta quam plurima in Coll. Lac. t. III. *in indice* ad vocem „sacerdos“ n. 70.

972 IV. De ludis aleatoriis. 1. Canonicis sanctionibus antiquis (v. Conc. Later. IV can. 16, Trid. sess. 22) prohibetur: „Clerici ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint“: quam prohibitionem consuetudo et praxis multum temperavit relate ad ludum qui fiat domi et privatim, etsi ex magna parte sit aleatorius.

2. Magis etiam dicendum est cum S. Alph. l. 3 n. 900, falso confundi ludos mixtos cum aleatoriis seu merae sortis; priores non esse clericis illicitos, nisi extrinsecus ratio peccati accedat, posse tamen etiam eos facilius venialiter malos evadere. — Praecipue igitur S. Alphonsus docet spectandam esse 1) rationem scandali, maxime coram laicis, 2) dissipationem pecuniae forte expositae, 3) jacturam temporis cum sacri ministerii vel officii neglectu.

3. Porro apud eundem S. Doctorem n. 896—899 habes: ut clerici saeculares ordinum sacrorum vel beneficiati ludo aleatorio *graviter* peccent, praeciso scandalo, — quod in publico aleatore lucri causa ludente utique aderit —, requiri ut aut 1) frequenter ludant cum magna pecuniae jactura, aut 2) frequenter et diu: non autem peccare graviter eos qui raro, moderate et privatim aleis ludant, imo ne venialiter quidem si recreationis justae gratia id fiat, in loco, ubi canones non tam rigide observentur, — quod multo magis de ludis mixtis dici debet.

4. Quoad Episcopos autem, et quoad religiosos ‚strictioris observantiae‘ S. Alph. ib. longe severius loquitur circa ludum aleatorium cum pecuniae expositione etiam semel tantum exercendum et circa ludi mixti frequentiam. — Gravitas autem peccati, quod occurrat, aestimari debet 1) e vigente prohibitione sive vi legis particularis, 2) e scandalo, 3) e periculo relaxandi disciplinam religiosam vigentem, 4) e neglectu officiorum vel gravi temporis jactura: praeterquam quod paupertas laedi potest: quare ipse rigor S. Doctoris videtur nonnihil temperandus esse.

5. Quod ergo additur in Conc. Later. „nec hujusmodi ludis intersint“, multo rarius sub gravi obligat. S. Alph. n. 903 dicit, mortaliter ab eo peccari, qui a) causa sit ludi mortaliter peccaminosi; b) aut negligat, quando debeat corrigere lusores; c) aut de ludo, qua-

tenus mortaliter peccaminosus sit, sibi complaceat; d) aut propter singularem statûs sui decentiae laesionem assistendo scandalo sit.

§ 4.

De coelibatu ejusque custodia.

1. In Ecclesia latina indubitata lex est, ut clerici a primo ordine 973
sacro, sc. subdiaconatu, perfectam castitatem servare debeant. V. Trid. sess. 24 can. 9 et Pontificale *de ordin. subdiaconi* ab initio.

2. Quae obligatio non solum ut aliae leges obligat, sed simul *per modum voti* clericos adstringit atque *consecrationis.* — Quare quaelibet castitatis laesio, etiam solis internis peccatis, rationem sacrilegii et laesi voti habet.

3. Nec juvat, aliquem fortasse coelibatûs obligationem nescivisse: nam qui adulta aetate libere ordines sacros suscipiat, in tali ignorantia versari vix potest; neque eam potest Ecclesia attendere; quare nihilominus lege ecclesiastica adstringeretur, idque ex motivo religionis per modum voti sive emissi sive emittendi. Qui vero ante usum rationis sacrilege ordinatus sit, ei post annos pubertatis et coelibatûs cognitionem electio datur aut redeundi ad statum laicalem sine ullo ordinis exercitio, aut cum observatione coelibatûs in exercitio ordinis manendi. Idem dic de eo, qui ‚ex gravi metu' ordines susceperit, modo ne postea remoto metu ordinationem ratihabuerit: S. Alph. l. 6 n. 811; tutius tamen est petere dispensationem, imo id plerumque necessarium est.

4. Vir conjugatus ordines suscipere nequit, nisi consentiente uxore et castitatem vovente, idque tum saltem in monasterio monialium quando vir Episcopus fit, aut quando religiosus fit neque uxor jam senex est extra omnem suspicionem posita. De quo cf. *Decretal.* l. 3 tit. 32 cap. 4—6.

5. Ad majorem castitatis custodiam leges ecclesiasticae interdixerunt 974
clericis, ne cum mulieribus in eadem domo habitarent. Cf. *Decretal.* lib. 3 tit. 2 c. 9 ‚*A nobis*': „Cum clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis exsistant, in quibus naturale foedus nil permittit saevi criminis suspicari."

Illa prohibitio circa cohabitationem cum mulieribus a primis temporibus Ecclesiae jam facta saepiusque renovata est. Attamen lex 1) admisit per se proxime cognatas (in primo et secundo gradu consanguineas, et affines primi gradûs); 2) facilius etiam admisit famulas provectioris aetatis: hodie a multis synodis statuitur, ne admittantur ancillae infra aetatem 40 annorum; 3) ubi ejusmodi prohibitiones non exsistunt aut non urgentur, legis graviter violatae non tam facile accusari potest clericus, attamen ipsa lex naturalis dictat, ut omnis occasio, imo omnia, quae aliis sint minori aedificationi, removeantur; atque in ipsis admittendis cognatis ratio sacerdotum hospitum haberi debet. — Cf. Craisson 2090—2100.

§ 5.

De divini Officii seu Breviarii recitatione.

Punctum I.

De obligatione ejusque gravitate.

975 1. Officium divinum, quod vocatur etiam officium ecclesiasticum vel canonicum, breviarium, horae canonicae, est certa precandi formula ex psalmis et lectionibus S. Scripturae atque SS. Patrum praecipue composita, quam quotidie secundum praescriptam formam sacri ministri persolvere debent nomine Ecclesiae, sive in choro collecti, sive privatim pro se quisque; semper tamen rationem publicae orationis habet, quum a persona publice deputata Deo offeratur, atque vim impetratoriam non ex sola persona privata recitante, sed ex dignitate totius Ecclesiae, a qua sacer minister deputatus est, desumit. Cf. Suarez *de orat.* lib. 4 cap. 1.

Constat autem officio nocturno et diurno. Officium nocturnum comprehendit, prout diversum est officium, unum aut tres ‚*Nocturnos*' et ‚*Laudes*'; officium diurnum presse sumptum (late enim sumitur officium *totum* pro officio diurno, i. e. unius diei) distinguitur in ‚*parvas horas*', sc. Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, et in ‚*Vesperas*' et ‚*Completorium*'.

Circa officium defunctorum, B. Mariae Virginis, psalmos graduales etc., quae suis locis notantur in breviario, obligatio non exsistit apud privatim recitantes, nisi excipias officium def. pro 2. Nov. et litanias in diebus rogationum et S. Marci; de chori obligatione non plane idem valet, sed suam quisque legem et consuetudinem consulere debet.

976 2. Ad majorem unitatem in forma breviarii inducendam S. Pius V. novum breviarium Roman. correctum edidit Const. „*Quod a nobis*" 7. Julii 1568, atque alia omnia breviaria, quae nondum a ducentis annis legitima consuetudine introducta essent, abolevit. Quod breviarium Romanum denuo correctum est a Clem. VIII, Urbano VIII, Leone XIII, singulis officiis Sanctorum continuo a SS. Pontificibus augeri consuevit, atque etiam officiis certis, quae pro singulis locis, dioecesibus, familiis religiosis indulta sunt, auctum est. Qui vero non secundum breviarium sibi legitimum recitant officium divinum, obligationis non impletae rei sunt, ac si officium nullatenus recitaverint: v. Const. cit.

Legitimum breviarium particulare pro choro mutari nequit in Romanum, nisi ex consensu Episcopi et totius capituli. Privatim recitantes pro suo libitu ad Romanum breviarium possunt transire. — Quod tamen sic intellige, ut officia particularia regionis, dioecesis non possint omitti, sed pro singulis sint obligatoria.

Mutato semel breviario particulari in Romanum, ad prius redire non licet; sicut etiam per mutationem seu alterationem legitimi breviarii particularis hoc plane jus suum amittit.

977 3. *Obligatio recitandi insumbit* 1) *clericis sacrorum ordinum,* 2) *clericis beneficiatis,* etsi sacrum ordinem nondum receperunt, 3) *religiosis utriusque sexûs solemniter professis et ad chorum destinatis.* Quae obli-

gatio eaque gravis in Constitutionibus SS. PP. (cf. inter alia X l. 3 tit. 41 c. 8 *Dolentes*) potius ut indubia sumitur, quam imponitur clericis; quoad religiosos et moniales longissima consuetudine tamquam certa probatur.

Verum quum post Pium IX. ante vota solemnia religiosi emittant pro tempore simplicia vota, hi quando ad chorum destinantur (i. e. non laici seu *conversi*), ad chorum quidem tenentur ut reliqui, ad privatam recitationem non tenentur, nisi ordinem sacrum habent. Solemniter professi, si choro non interfuerunt, ad privatam recitationem sub gravi tenentur.

4. *Obligatio ad chorum pro singulis religiosis venialis est,* ita ut causa non adeo gravis plene excuset; nisi tamen ipse in causa sit, cur chorus non possit haberi. Nam pro Monasterio seu Superiore obligatio gravis est, ut chorus peragatur: hinc etiam singulis subditis grave praeceptum chori participandi imponere potest.

5. *Haec recitandi officii obligatio singulis diebus affixa est, et cum* 978
die exspirat. Est autem obligatio gravis, ita ut non tantum totius diei officium sub gravi obliget, sed ea etiam materia pro gravi habeatur, quae parvae horae aequivaleat: haec communissima theologorum sententia, quam cum laxiore opinione commutare sane temerarium est.

6. *Obligationi gravi in privata recitatione satisfit, si modo totum officium a media nocte ad mediam noctem recitatur* (addita etiam facultate anticipandi officium nocturnum); ut autem a veniali etiam culpa aliquis immunis sit, id observare debet, — nisi legitima adsit excusatio, — ut recitet Matutinum et Laudes aut pridie aut tempore matutino, Primam et Tertiam tempore antemeridiano, Sextam et Nonam pro libitu tempore aut antemeridiano aut pomeridiano, Vesperas et Completorium tempore pomeridiano (nisi extendas tempus pro facultate recitandi Vesperas in Quadragesima, ut in breviario notatur).

7. Matutinum cum Laudibus igitur pridie jam licet recitare, idque certo, quando sol perfecerit medium cursum inter meridiem et occasum; probabiliter etiam quolibet anni tempore circa horam tertiam cum dimidia; ex aliquorum sententia quolibet anni tempore jam hora secunda pomeridiana, quam sententiam probare nequeo: ceterum non raro S. Sedes ex causa hoc privilegium anticipandi hora secunda concedit. Cf. *Theol. mor.* n. 625. — Horologii tempus in regione consuetum sequi *licet,* etsi multum discrepet a tempore vero, ut dixit S. Poenit. 18. Junii 1873.

Alia quaestio agitatur, quae sit obligatio pro sacerdote recitandi Matutinum cum Laudibus, antequam Missam celebret: quam alii (ex sententia antiqui temporis) dicunt gravem, alii venialem, alii ex se nullam. Quoniam vero Rubrica Missalis id pluries monet eo sensu, ne committatur defectus, videtur statuenda esse aliqua levis obligatio, nisi causa excusans accedat.

8. *Si quis erravit in officio, teneto brevem regulam: officium pro* 979
officio, et: *error corrigitur, ubi deprehenditur,* sic tamen, ut absolvas *horam,* in qua jam multum progressus fueris, vel eam ex recto officio ab initio resumas. — Haec vero intellige, nisi officium erroneum sit *notabiliter* brevius; tunc adhibe aliquam compensationem ex officio recto.

Imo non ita saepe intra annum officium in fere aequale mutare etiam ex industria, grave peccatum in privata recitatione non censetur: si modo ex legitimae tuae formae breviario sumpseris.

9. In choro quidem gravior obligatio est servandi rectum ordinem atque statuta tempora: verum secluso scandalo neque ibi de obligatione sub mortali peccato constat.

10. *De recitatione breviarii facta, ut cesset obligatio, constare quidem debet; sed sufficit probabilis probatio:* quare in dubio de recitata hora ejusve parte ex probabili ratione et praesumptione judicare licet et positivae rationi acquiescere, ne scrupulis via aperiatur.

Punctum II.

De modo et circumstantiis recitandi officium divinum.

980 1. Recitatio debet esse *vocalis, integra, continuata.*

1) *Vocalis,* ita ut syllabae et voces vere suis organis efformentur, etsi forte auditu non percipiuntur. Quod S. Alphonsus pro recitatione breviarii expresse admittit in distinctione a pronuntiandis verbis consecrationis vel formis quorumlibet sacramentorum, in quibus non sufficit *probabilis tantum* agendi modus, et proin verba ita pronuntiari debent, ut vere auditu percipiantur vel plane percipi possint.

2) *Integra:* quare notabilis corruptio, quo sensus intactus non maneat, potest mortalis defectus evadere. Sufficit autem a) cum socio, etiam non-obligato, distracto, alternatim recitare et aliam partem vel etiam omnes lectiones *audire;* b) idem a fortiore *in choro* sufficit: imo ibi facilius aderit excusatio, 1. si pauca sive propter strepitum sive propter occupationes chori non percipiuntur vel non recitantur, eo quod pauca chorus supplere dicatur; 2. si surdaster recitationem adversae partis non ita distincte percipit, quum hac in re oculis eam lustrando in libro possit supplere; surdus tamen illam partem videtur submisse pro se debere recitare.

981 3) *Continuata.* Interruptio ex se nunquam peccatum mortale constituit. Si adest causa utcunque justa, nullum erit peccatum: quare pro interruptione brevi quaevis rationabilis causa satis est.

Nocturnum a Nocturno separare, licebit sine causa, nisi spatium interjectum nimium sit (ex S. Alphonso ultra tres horas); Nocturnos a Laudibus separare licebit etiam integra nocte interjecta. Convenit in hisce casibus, ut ubique id observetur, quod S. R. C. aliquibus interrogantibus indixit, ut Nocturnus finiatur per Orationem diei adjunctam.

Ordinem horarum singularum non servare, v. g. Nonam recitare ante Sextam, Matutinum sequentis diei ante Vesperas, levis quaedam deordinatio est; sed causa non gravis, v. g. recitatio cum socio jam ulterius progresso omnino excusat. — Ordinem in variis commemorationibus servari, a compluribus habetur pro regula *directiva.*

982 2. Recitatio debet esse *devota,* i. e. debet vere rationem *orandi* habere. Quapropter 1) debet procedere ex intentione colendi Deum, quae tamen eo ipso habetur quod aliquis consueto modo accipit breviarium, nisi positive aliam intentionem habeat in recitando, v. g. solius

exercitii vel studii causâ. Dein 2) adesse saltem debet — idque sub gravi nisi parvitas materiae vel voluntas repetendi excuset — ea, quam vocant *externam attentionem*, i. e. recitans officium debet abstinere ab iis externis occupationibus, quae ex sese necessario mentem distrahunt et avocant ab orando.

3) Plenior quidem devotio, i. e. absentia omnis voluntariae distractionis praecipitur quidem; sed practice probabile est, id non fieri sub gravi seu mortalis peccati obligatione, nisi in recitatione cum socio ad *hujus* partem *nullatenus* attendatur. Cf. *Theol. mor.* n. 632 seq.

4) Actiones autem externae, quae possint veram mentis attentionem impedire vel avocare, a) quaedam sunt ex natura sua levissimum tantum obstaculum vel nullum opponentes, e. g. lente ambulare, vestibus non festinanter se induere vel exuere, sine intentione accuratius aliquid lustrandi oculos in hortum, prata etc. conjicere etc.; b) quaedam, quae ex natura sua graviter impediunt attentionem, v. g. serio res extraneas, picturas et similia lustrare, aliorum confabulationes attente audire, scriptione vel lectione aliena sese occupare et interim ex memoria recitare; c) quaedam actiones mediae, e. g. celeriter se vestire vel currere, opera manualia leviora peragere. Ex quibus primas nemo tenetur sub gravi vel ullatenus vitare, saltem non, si accedat aliqua causa; secundas quilibet sub gravi vitare tenetur, nisi forte, quo magis decrescat occupationis gravitas, aliquando aliquis in particulari sciat, se ex hac vel illa actione graviter non impediri ab attentione; tertias generatim non sub gravi tenemur vitare, sed, quum alii aliis facilius impediantur, illi ita tenentur, qui sciunt, se attentionem orandi nullatenus cum iis actionibus conservare posse.

5) Quo melius autem non solum devotio sub gravi praecepta con- 983
servetur, sed ea alatur, quae decet ministrum publicum, nomine Ecclesiae pro tot ejus necessitatibus orantem, et quam decet adhiberi in actione magnam partem vitae sacerdotalis occupante atque aptissima ad multa coelestia merita vel multa demerita colligenda: sacerdos studeat industrias quasdam, easque modo has modo illas adhibere, quae devotionem augent. Dabo paucas:

1. Bene recordari praesentiae divinae tum ante, tum inter orandum.
2. Christum sibi repraesentare ipsos illos psalmos recitantem, secundum oratiunculam: „Domine, in unione illius divinae intentionis etc.“
3. Phases vitae vel passionis Domini ruminare.
4. Certam virtutem, certamve necessitatem sibi praefigere, pro qua singulae horae recitentur.
5. Ad „Gloria Patri etc.“ bonam intentionem renovare.
6. Legisse explicationem psalmorum et conari affectus verbis respondentes excitare.

Punctum III.

De causis a recitatione officii excusantibus.

1. *Causae per se excusantes revocantur:* 1) *ad impossibilitatem phy-* 984
sicam; 2) *ad impossibilitatem quandam moralem seu magnum incommodum, quod cum recitatione per accidens conjungitur;* 3) *ad occupationem urgentem*

pietatis vel caritatis causa suscipiendam, quae sit majoris momenti. — Si causa non plene excusat, accedere potest Superioris dispensatio.

2. Quare certe excusatur, qui breviarium amisit vel secum ferre omisit neque aliud sibi potest comparare, nisi forte ex memoria recitare possit notabilem partem cohaerentem: verum si voluntarie ita egit, peccavit neque ab obligatione restitutionis secundum *sequens punctum* excusatur. — Idem dic de caeco.

3. Aegrotus vel reconvalescens, cui seria occupatio noceat, excusatur; quando dubitat, num possit partem recitare, quum totum officium non possit, a qualibet parte excusatur, ne ansa detur anxietati. — Ceterum hac in re *probabili* judicio proprio vel alieno stari potest; Superior vero etiam ulterius dispensatione justam causam non supplere quidem, sed complere potest.

985 4. Exempla aliarum occupationum, quae magis urgeant, habes:

1) Excusatur, qui ex improviso vespere vocatur ad aegrotum, neque ante elapsum diem naturalem liber est.

2) Eodem modo excusatur ille, qui extraordinario tempore per totum diem occupatur in excipiendis confessionibus, quando poenitentes sine magno gravamine remittere nequit: neque tenetur propterea a necessario somno et corporis refectione desistere, maxime si *per plures dies* his laboribus incumbere debet. At revera raro expedit, propter talem causam se eximere: Gobat tamquam laxam atque inauditam sententiam rejicit doctrinam Caramuelis, eum excusari, qui per 12 horas confessionibus excipiendis similive labore occupatus fuerit. — Causam autem dispensandi similia adjuncta Superiori utique videntur praebere.

3) Si quis tempore indigeat ad concionem etc. parandam, quam sine gravi nota omittere non possit et quae tempus recitandi non relinquat, utique excusatur. At peccavit, si, quum potuerit, negotium non antevertit; atque etiam post habitam concionem id, quod ex officio adhuc potest recitare, persolvere utique debet.

986 5. Qui non potest solus recitare officium, potest autem cum socio, id facere debet, quando socium commode habere potest, sive ille ad dicendum divinum officium tenetur, sive non; neque hoc est extraordinarium medium. Verum si commode non invenitur, multa inquisitione opus non est.

Num vero beneficiatus ex fructibus beneficii teneatur *conducere* socium, si aliter non occurrit, non omnes eodem modo loquuntur. Videtur tum tantum talis obligatio esse, quando beneficiatus in perpetuum impeditus est, quominus solus breviarium recitet. Ille igitur ad id videtur obligatus esse, maxime si breviarii recitatio solum onus est, quod beneficio adjungitur: aut si mavult, quaerat dispensationem vel commutationem. Cf. S. Alph. n. 158 in fine.

6. Religiosi *ejecti* per sententiam, quoniam status religiosus in iis quasi exstinctus est, non tenentur amplius ad breviarium, nisi forte *ratione ordinis sacri.* S. Alph. n. 142. — Clerici depositi vel degradati sane per se tenentur.

Punctum IV.

De restitutione fructuum beneficii propter neglectum divinum officium.

1. *Beneficiati, etiam si nondum ex sacro ordine tenentur, statim ac beneficium possident jure in re et pleno dominio, ad canonicas horas obligantur sub gravi peccato; sed propter neglectum pensum tenentur fructus restituere post elapsos priores sex menses a primi beneficii possessione:* cf. Later. V. sess. 9 § „*Statuimus*“ et S. Pius V. „*Ex proximo*“ anno 1571. 987

Beneficio aequiparatur pensio, quae a Guberniis loco bonorum ecclesiasticorum occupatorum quotannis solvitur, non autem pensio vere saecularis.

2. Etsi ex complurium scriptorum auctoritate (v. S. Alph. l. 4 n. 144 et l. 3 n. 674) ii non tenentur ratione beneficii ad breviarium, quorum beneficii fructus tertiam partem mediocris sustentationis non adaequent: potest illis tamen aliqua pars horarum canonicarum imponi, quo facto, omittens tenetur ad restitutionem.

3. *Obligatio restitutionis fructuum beneficii non exsistit, nisi propter omissionem divini officii ejusve partis graviter culpabilem;* est autem obligatio pro singulis horis omissis, atque ita quidem determinata, ut pro omisso officio nocturno dimidia pars fructuum diei respondentium restituenda sit, pro reliquis horis etiam dimidia pars, pro una parva hora $^1/_6$ (probabiliter dimidiae partis) restitui debeat. Ita ex Bulla S. Pii V. 988

4. *Restitutio fieri omnino debet ante judicis sententiam* (cf. thesim 20 ab Alex. VII. damnatam); *eaque debetur sive fabricae beneficii sive fabricae ecclesiae cui quis addictus est, sive quibuslibet pauperibus:* unde fere eleemosynae datae post omissum breviarium computari possunt pro restitutione, atque etiam licebit consueta stipendia Missarum pro defunctis ex summa restituenda facere.

5. *Id tamen notandum est, in beneficio curato non omnes beneficii fructus ut officio divino respondentes sumi debere;* sed pro *majore* onere reliquo et *minore* beneficio fieri potest, ut vix quarta pars ut officii recitationi respondens sumi debeat.

Articulus II.

De obligationibus clericorum in particulari.

§ 1.

De speciali obligatione Episcoporum.

Speciales obligationes Episcoporum praecipuae sunt hae: 989

1. Residentia, nisi forte necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas vel obedientia erga S. Pontificem aliud exigat. Trid. sess. 23 c. 1 *de ref.*

At conceditur ex *aequa* causa absentia 2—3 mensium per annum; pro diuturniore absentia *gravis* causa requiritur, eaque, nisi evidens et urgens sit, a S. Sede probata. Haec sub poena non faciendi fructus suos Tridentinum imposuit: de quantitate restituenda v. Trid. l. c. et sess. 6 c. 1. Restitutionem, si quam facere teneatur, Episcopus debet *suae* ecclesiae vel pauperibus *loci.*

990 2. Visitatio dioecesis, quam faciat per se, sive ipso impedito per visitatorem singulis bienniis, a Tridentino statuitur; ubi vero dioeceses nimis amplae sunt, hac in re videtur nonnihil indulgendum, ita tamen, ut *fini* visitationis alio modo provideatur.

In visitatione praecipua cura esse debet, ut videatur:

1) qui sit status cleri, quum ab illius moribus et zelo reliquorum vita pendeat; qui status vitae religiosae, quae observantia clausurae praesertim apud moniales;

2) qui sit status morum in dioecesi, utrum scandala publica exsistant, utrum quaedam correctione indigeant, necne; Episcopus enim (Hom. Ap. tr. 7 n. 63) strictius, quam parochus, tenetur ad corripiendos subditos et ad occurrendum scandalis: quod ut facere possit, monet S. Alph., non solum a parochis et vicariis foraneis eum informationem petere debere, sed etiam ab aliis;

3) quaenam querelae a variis afferantur: quare id agere debet Episcopus, ut adiri facile possit, ne fideles a se repellat, sed quidquid exponere velint, libenter excipiat;

4) ut detur opportunitas recipiendi sacramentum confirmationis: vide, quae in tractato hoc sacramento dicta sunt.

991 3. Visitatio liminum Apostolorum, ut nimirum suo tempore referat apud S. Sedem de statu dioecesis: quae relatio, si adest legitimum impedimentum pro ipso Episcopo, fieri debet per procuratorem. Tempus praestitutum est pro diversa a S. Sede distantia diversum, sc. singulis 3, 4, 5, 10 annis. Vide fusius et exactius omnia apud Lucidi *de visit. lim. Apost.*

4. Cura circa ordinandos. Quantam curam circa candidatos ordinum sacrorum, eorum educationem, morum inquisitionem etc. agi oporteat, non est, quod hîc exponatur. Ausus non sum omnia illa referre, quae S. Alph. l. c. n. 47 sqq. dicit; verissimum est, hoc esse Episcoporum munus gravissimum, sanctissimos praesules, si in ulla re, in hac ipsa timuisse rationem, quam de ea Deo reddere deberent. — Cum quo munere cohaeret, ut invigiletur continuo confessariis, aliisque sacerdotibus curam animarum exercentibus, ut si quid corrigendum sit, corrigatur.

5. Etiam peculiaris cura impendenda est monialibus, ut observentur, quae de earum confessariis sapientissime a RR. Pontificibus constituta sunt, et ut in earum admissione plena libertas servetur etc.

6. Praedicatio verbi divini est unum ex praecipuis officiis Episcopi; quod si non possit per se implere, saltem id agendum est, ut provideatur populo de instructione per parochos, maxime etiam rudibus et pueris, ut bene instituantur in doctrina christiana.

7. Quae de obligatione orandi et Missam celebrandi pro populo dicenda sunt, vide jam exposita in ‚*Sacrificio Missae*'.

§ 2.

De speciali obligatione parochorum.

992 1. Strictius etiam quam Episcopi tenentur parochi ad residentiam in domo parochiali ecclesiae propinqua, eamque non otiosam:

secus, si diutius absunt, ad restituendos fructus obligantur. Videlicet: a) conceditur in Conc. Trid., ut per duos menses in anno abesse possint ex rationabili causa cum Episcopi licentia; b) ut absint diutius, gravis causa requiritur; c) infra hebdomadam abesse, nisi severior lex dioecesana exsistat, grave non censetur: verum in omnibus parochiae provisum esse debet per vicarium ab Episcopo approbatum.

2. Debet curam habere suae ecclesiae ejusque decoris, atque pro populo diebus Dominicis et festis Sacrum offerre secundum ea, quae tractantes de Eucharistia diximus; praeterea eum ex officio suis subditis sacramenta administrare debere, fere explicatum est in tractatu de *sacramentis in genere,* et in singulis sacramentis, ubi de *ministro* agitur.

3. Non solum sacramentis, sed etiam doctrinâ christianâ po- 993
pulum suum pascere debet tum concionibus, tum catechismo. — Hinc graviter peccat parochus:

1) Si notabiliter ultra mensem continuum omnem concionem et instructionem omittit, vel etiam per tres menses discontinuos. Neque satisfacit muneri suo, nisi et quoad res eligat ea quae imprimis sint scitu necessaria, et quoad modum captui auditoris sese accommodet. Doceat ergo orationem ejusque necessitatem praecipue in tentationibus; actus virtutum theologicarum et contritionis, ut hos tum alias frequenter, tum post lapsum in peccatum statim eliciant; decalogum et praecepta communia Ecclesiae, necessaria de sacramentis, praecipue Poenitentiae; de SS. Eucharistia, Missae sacrificio; devotionem erga SS. Cor Jesu, erga B. Mariam Virginem etc.

2) Graviter negligit munus suum, nisi pueros et puellas usum rationis adeptos mature instruat circa confessionem faciendam, ne, si peccaverint, in peccati statu permaneant.

3) Similiter gravis obligatio est eos, qui ad ecclesiam forte accedere nequeant, si instructi nondum sunt, domi instruere de rebus, quas homo Christianus scire et credere debet.

4. Tenetur delinquentes corrigere, scandala removere: 994
in qua re quamquam prudentia opus est, tamen longe strictior est parochi obligatio, quam privati hominis in correctione fraterna.

5. Summam curam habere debet aegrotorum; neque solum extremis sacramentis eos munire debet, sed etiam postea, maxime in vitae exitu eos juvare: quae obligatio, utrum gravis sit an non, pendet a variis adjunctis tum ex parte parochi, tum ex parte aegroti. Meminerit vero parochus, in ipso vitae exitu diabolum extrema tentare, ut hominem perdat; quare pro illo momento aegrotus muniendus est summopere; quodsi igitur ipse revera nequeat adesse vel se id posse certum non sit — neque unquam id certum est — bene instruat hominem fidum domesticum, qui cum aegroto breviter, sed *recte* actus virtutum, maxime perfectae contritionis, eliciat.

6. Tandem gravis atque summi momenti res est, ut videat parochus, sintne obstetrices vel matres bene instructae in conferendo baptismo, ne infantuli periclitantes vel etiam foetus abortivi sine baptismo sive absolute sive conditionate dando de-

cedant. Neque abs re erit monere medicos de ea re, quum aliter non pauci foetus non temporaliter tantum, sed etiam pro aeterna vita perituri sint.

§ 3.

De obligatione speciali Canonicorum.

995 1. Tenentur per se ad residentiam: facilius tamen conceditur absentia per tres menses, si modo chorus non tollatur, neque absentia cadat in tempora solemniora: diuturnior et illegitima absentia eos fructibus beneficii privat.

2. Item ad chorum habendum seu cantandum divinum officium tenentur: idque per se etiam sub poena non faciendi fructus suos. Si quando alicubi solae parvae horae et Vesperae in choro peraguntur, consulenda est legitima consuetudo.

3. Similiter obligatio est ad quotidianam Missam conventualem pro benefactoribus applicandam, ut singuli a) assistant, b) per vices cantent vel eam canendam etiam soluto stipendio curent.

4. Assistere debent Episcopo solemniter Pontificalia exercenti.

5. Tandem vacante Sede debent Vicarium Capitularem intra 8 dies eligere, ad quem totum jurisdictionis exercitium transit.

Per se sunt consiliarii Episcopi: quorum consilium Episcopus in certis rebus audire debet, sequi tamen non semper; quibus in rebus consilium, in quibus consensus capituli requiratur, vide Phillips, *Lehrbuch des Kirchenr.* § 159. Alicubi tamen consuetudo majora jura sive Capitulo sive Episcopo contulit: cf. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 c. 1; Phillips l. c.

996 Relate ad absentiam ejusque causas aliqua noto ex S. Alphonso, Lucidi, Scavini:

A. Neque fructus beneficii neque quotidianas distributiones propter absentiam amittunt Canonici:

1) qui, injustam vexationem patientes, in carcere detinentur, vel in fuga;
2) Aegroti, etsi debent proficisci in balnea, aut qui propter contagiosum morbum absunt;
3) Caeci, aut senio confecti — non vero surdi tantum;
4) Qui occupantur in servitio *ecclesiae* ob ejus utilitatem (non in Episcopi servitio), e. g. qui mittitur sive solus sive comitandi causa ad visitanda limina Apostol., Vicarius capitularis etc.;
5) Poenitentiarius, si tempore officii divini confessiones excipit;
6) Canonicus theologus, qui tempore officii in templo concionatur, vel ibi coram populo lectionem Sacrae Scripturae habet (non vero qui professor Sacrae Scripturae in scholis docet).

997 B. Quotidianas distributiones amittunt, non amittunt fructus beneficii, quando propter impedimentum choro non intersunt:

1) Qui utuntur privilegio trium mensium absentiae;
2) Examinatores synodales impediti;
3) Deputati ad visitandas ecclesias, vel ad comitandum Episcopum in visitatione; aut ad aliud praestandum juvamen in officio Episcopi;

4) Fungentes officio Vicarii generalis;
5) Occupati in quibusdam officiis pro seminario (aliqui putant, eos nec distributiones quotidianas amittere);
6) Lectores Sacrae Scripturae — num vero ad lectores aliarum ecclesiasticarum disciplinarum id extendi possit, consulenda est Sancta Sedes;
7) Studentes theologiae vel ecclesiasticis disciplinis in scholis publicis cum licentia Episcopi: at Innoc. XII. decrevit, ne haec licentia ultra triennium detur, neve iis, qui vicesimum quintum aetatis annum jam absolverint;
8) Si quid ulterius conceditur, id vi particularis privilegii, vel legitimae consuetudinis habeatur oportet.

Articulus III.

De privilegiis clericorum.

§ 1.

De privilegiis clericorum communibus.

Duplex nominatur privilegium clericorum, fori et canonis. 998

I. *Privilegium fori* 1. personale in eo consistit, quod personae ecclesiasticae a potestate et jurisdictione laicali per se exemptae sunt, ita ut puniri a laicali foro non possint sine licentia S. Sedis, vel in certis casibus sine licentia immediati tribunalis ecclesiastici. — Quod privilegium etsi non ab omnibus guberniis observatur, tamen propterea nondum cessat; non enim in exemptione per reges facta nititur, sed in suprema potestate S. Pontificis, qui clericos suo foro reservare, vel saepe etiam laicali foro subjicere potest. — Re ipsa autem ecclesiastica lex hoc privilegium extendit ad clericos atque religiosos sive moniales eosque lato sensu sumptos.

Ad eam exemptionem spectat 2. reale privilegium, quo bona clericorum per se eximuntur a tributis gubernio solvendis: quamquam etiam haec exemptio ejusque limites a S. Pontificis voluntate pendent.

Tandem illi adnumerari potest privilegium 3. locale seu privilegium asyli, quo prohibetur, quominus certi rei ad ecclesiam confugientes capi seu extrahi a civili potestate possint: quod etiam compluribus limitibus circumscriptum est.

II. *Privilegium canonis* est, quo clerici latiore etiam sensu, quam supra dixi, proteguntur contra realem injuriam, ita ut qui clericum percusserit, excommunicationem incurrat. Cf. *Theol. mor.* n. 650.

§ 2.

De privilegiis Episcoporum.

De privilegiis Episcoporum tractaturis nobis in animo esse nequit 999 exponere omnia privilegia temporanea et personalia, sed ea tantum, quae jure communi vi muneris Episcopis competunt.

I. Circa absolutionem a censuris et peccatis reservatis haec possunt:

1. Absolvere a peccatis et censuris (etiam suspensionibus) *occultis*, exceptis iis, qui *speciali modo* R. Pontifici reservata sunt: ita cap. „*Liceat*“ Trid. sess. 24 *de ref.* et const. Pii IX. „*Apostolicae Sedis*“;

2. a casibus etiam publicis, etsi specialiter reservatis, eos qui Romanum Pontificem adire nequeunt: de quo nunc tamen cf. supra n. 857a.

3. a casibus tribus, in quibus S. Pontifex excommunicationem inflixit, eorum autem absolutionem Ordinariis reservavit: sc. 1) procuratione abortûs, 2) usu falsarum literarum Apostolicarum ejusve cooperatione, 3) attentatione matrimonii post votum solemne religionis aut S. ordinis: Const. „*Apostolicae Sedis*“;

4. ab haeresi in utroque foro tum, *quum causa ad forum externum delata est*, in iis locis, ubi tribunal S. Inquisitionis non est: v. Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 c. 4 n. 3, Bouix *de Episcopo* tom. 2 p. 222 sqq., Craisson n. 1168 et 6119.

De reliquis confer, quae dicenda sunt *de censuris*.

1000 II. Circa irregularitates et alia, quae spectant ordinationem clericorum:

1. dispensare possunt ab irregularitatibus ob delictum occultum, excepto casu homicidii voluntarii (c. „*Liceat*“ Trid. sess. 24): de quo infra.

2. dispensare in irregularitatibus dubiis ex defectu;

3. dispensare in irregularitate etiam publica ex defectu natalium ad beneficia simplicia et ordines minores conferenda. Cap. „*Liceat*“; S. Alph. *de privil.* n. 49 seq.;

4. dispensare possunt ab interstitiis inter singulos ordines, maxime sacros, servandis; sc. ad sacerdotium suscipiendum ex causa alicujus *necessitatis* ecclesiae, ad alios ordines sacros ex rationabili causa *utilitatis* ecclesiae. Vide Trid. sess. 23 c. 13.

1001 III. In votis et juramentis.

1. Dispensare possunt in votis et juramentis omnibus, quando jus tertii non laeditur, accedente proportionata causa; exceptis votis reservatis, sc.: perfectae castitatis, religionis ingrediendae, trium peregrinationum: Romanae ad limina Apostol., Hierosolymitanae, Compostellanae;

2. etiam a voto castitatis, si quis, voto non obstante, matrimonium contraxit: nimirum dispensatio ab Episcopo concedi potest eo fine, ut auferat impedimentum debiti petendi conjugalis; quare non simpliciter votum aufertur, sed stante matrimonio suspenditur.

Cf. ea, quae dicta sunt de voto, quando egimus de virtute religionis.

1002 IV. In impedimentis matrimonii.

1. Dispensare possunt in impedimentis impedientibus; excipiuntur: sponsalia justa non dissoluta, vota reservata, matrimonium mixtum: cf. S. Alph. *H. Ap.* tr. 18 n. 54.

2. Dispensare possunt ab impedimentis supervenientibus ad petendum debitum conjugale: S. Alph. ibid.

3. Dispensare possunt in impedimentis dirimentibus: 1) dubiis (cf. S. Alph. *de privil.* n. 55): quo sensu id intelligatur, vide infra *de matrimonio;* 2) etiam in certis, quando *necessitas* urget, ut ratio gravis scandali, diffamationis, nec recursus ad Pontificem Romanum amplius fieri potest: quod quidem ex natura causae ad impedimenta *occulta* restringitur.

Imo si necessitas scandali ita urget, ut ne ad Episcopum quidem recurri amplius possit, potest parochus vel confessarius declarare, legem ecclesiasticam cessare. In utroque autem casu tum cautelae gratia, tum debitae subjectionis servandae causa postea recurri debet et matrimonium ad cautelam sub conditione renovari, quantum fieri potest. Cf. S. Alph. *de privil.* n. 57.

V. Circa leges Ecclesiae communes:

Si modo adest justa causa, Episcopus cum singulis — non autem cum tota communitate sine speciali facultate a S. Sede accepta [1] — dispensare potest:

1. in lege jejunii et abstinentiae;

2. in festorum et diei Dominicae observatione relate ad Missam et labores serviles;

3. in obligatione officii divini, si gravis causa adest, ad breve tempus,

4. in omnibus statutis, in quibus clausula est „donec dispensetur“;

5. quod autem aliqui dicunt, Episcopum in omnibus legibus Pontificiis dispensare posse, nisi *expressa reservatio* facta sit, universim defendi nequit; sed ad eas res restringendum est, pro quibus, utpote non adeo gravis momenti, consuetudo hanc Episcopi facultatem probat: vide S. Alph. ibid. n. 53.

VI. Personales favores: 1004

1. Possunt non solum in suis aedibus sacellum habere, ubi Missam celebrent et alios ad celebrandum admittant, sed etiam in itinere in domo suae habitationis possunt altare erigere ibique aut *ipsi* celebrare aut aliquem *coram se* celebrare facere (sed aliter aliis non licet ibi celebrare). Cf. quae dicta sunt in tract. *de Eucharistia.*

2. Possunt sacerdotem *sibi subditum* etiam extra propriam dioecesim sibi pro confessario assumere, etsi approbatus non sit ab eo Ordinario loci, ubi exsistant: S. Alph. n. 65; si subditus non sit, debet approbatus esse ab Ordinario loci. Cf. tract. *de poenitentia* n. 839.

§ 3.

De praecipuis privilegiis regularium.

I. Circa suos subditos praelati regulares fere iisdem facultatibus utuntur, sicut Episcopi erga suos, praecipue: 1005

1. Ex *jure communi* hucusque absolvere suos potuerunt saltem supremi Praelati eorumque delegati a casibus Papalibus plerisque, quatenus pro religiosis norma ut pro impeditis valet: de qua *nunc* cf. n. 857[a]; *Privil.* revocata v. *Theol. mor.* n. 653.

2. Absolvere possunt a censuris alii quam R. Pontifici reservatis, etiam speciali sententia latis, tum suos religiosos proprie dictos, tum novitios, etsi incurrerint censuram ante ingressum, dummodo judicium Episcopi contra novitium inceptum nondum sit: S. Alph. n. 95.

3. Ab irregularitatibus ex delicto occulto possunt suos subditos dispensare, ut Episcopus; imo in irregularitatibus ex defectu etiam

[1] Cum tota communitate vel dioecesi dispensandi facultatem Episcopi facilius impetrant seu possident, quando agitur de relaxanda severa observatione ciborum esurialium tempore jejuniorum.

facilius aut dispensare, aut dubium declarare possunt, e. g. in defectu corporis (pedis, oculi), defectu animi, si judicio medici amentiae periculum cessavit: S. Alph. n. 105; in defectu lenitatis etiam publico; in bigamia etiam ea, quae vocatur *vera:* S. Alph. ib.

4. In legibus Ecclesiae communibus et in divino officio idem ex justa causa possunt, aut in aliis statutis Pontificiis, quorum relaxatio sive per clausulam „donec dispensetur", sive per consuetudinem tamquam Romano Pontifici non reservata Praelatis ordinariis conceditur: S. Alph. n. 106.

1006 II. Circa saeculares:

1. Absolutio a censuris *Romano Pontifici reservatis* per Const. *„Apostolicae Sedis"* iis ablata est: ita ut hanc facultatem solummodo habeant, quatenus *ad tempus singulis* ordinibus concessum est; neque enim privilegia ad tempus data communicationem patiuntur. — Verum mansit facultas absolvendi a tribus censuris pontificiis Episcopis jure ordinario reservatis: cf. S. Alph. n. 100.

2. Possunt dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario (S. Alph. n. 104): de quo infra *De irregul.*

3. Mendicantes habent potestatem dispensandi in juramentis et votis — excipe vota reservata —, item in voto castitatis conjugum, etiam ante matrimonium emisso, in ordine ad petendum debitum: S. Alph. n. 108 et 109. Recte autem dubitat S. Doctor, num possint etiam ante matrimonium a voto castitatis perfectae dispensare in casu necessitatis ad matrimonium contrahendum. — Etiam dispensare possunt in impedimento petendi debitum conjugale ex crimine incestûs exorto: modo hanc licentiam dederit Provincialis, vel saltem Superior localis monasterii.

NB. Ceterum, utrum singuli confessarii regulares habeant hasce facultates, utrum licentiam expressam petere debeant a Superiore, et a quo Superiore, necne: diversorum ordinum Constitutiones consulendae sunt.

1007 III. Reliqua privilegia seu favores sunt haec praecipua:

1. Possunt celebrare una hora ante auroram: S. Alph. n. 122. Quod autem ibi addit, posse eos ex justa causa immediate hora secunda post mediam noctem — idque pro toto anno — celebrare, solida ratione destituitur, et ex oblivione videtur S. Doctor id ibi reliquisse, siquidem l. 6 n. 342 expresse docet, hoc privilegium revocatum esse a Tridentino. — Nec quidquam valet, quod dicitur Clem. VIII. hoc privilegium ab Alex. VI. monasterio Montis Serrati concessum confirmasse et extendisse ad totum ordinem Benedictinorum. Nam haec extensio nihil aliud est, nisi *generalis* extensio privilegiorum monasterii Montis Serrati ad totum ordinem: at privilegium illud ab Alex. VI. datum non amplius viguit; ergo non potuit extendi.

2. Possunt — saltem ii qui communicant in privilegiis cum Societate Jesu — in suis domibus erigere oratoria a Provinciali designanda, in quibus Missae et officia divina celebrari possint ab omnibus. Ex concessione Gregorii XIII. *„Decet R. Pontificem"* anno 1575: cf. S. Alph. n. 121.

3. Possunt ordinari extra tempora; quod nisi legitima consuetudo ita interpretata sit, ut intelligatur de quovis festo ritûs duplicis in choro, per se potius restringitur ad dies Dominicos et festivos de praecepto, i. e. qui aut sunt, aut ante reductionem erant de praecepto festivi: v. S. Alph. *de privil.* n. 115 et 116, l. 6 n. 797; et hîc supra n. 962.

4. Possunt permittere, ut concionentur simpliciter tonsurati, modo de sufficienti aptitudine constet (ex Const. Greg. XIII. *„Vigore privilegii“*, et aliis aliorum SS. Pontificum Constitutionibus apud Salmant. tr. 18 c. 4 n. 174). Requirit autem Trid. Conc., ut „a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint“: sess. 5 cap. 2.

Reliqua privilegia in compendium redacta v. apud S. Alphons., *appendix de privil.;* Salmant. tr. 18, quorum expositionibus tamen non in omnibus subscribi potest. — Amplissima autem exsistit communicatio perpetuorum privilegiorum inter diversos ordines: 1) apud Mendicantes, qui omnia privilegia inter se communicant et privilegia cujuslibet alîus ordinis vel instituti communicando recipiunt — nisi forte in certo aliquo privilegio exceptio exprimatur —; 2) etiam aliis ordinibus fere concessa est communicatio cum Mendicantibus: atque ex hac sumptione profecti sumus in enumerandis privilegiis; quare si quis ordo sit, qui hac communicatione non fruitur, ejus sodales ex *propriis* constitutionibus colligere debent, quid facere valeant; 3) communicatio autem illa non potest verti in odium: quare ea non valet contra proprii ordinis disciplinam, neque censetur principaliter esse favor singulorum sodalium, sed ordinis, etsi fortasse odiosum quid contineatur pro singulis sodalibus.

Tractatus VIII.

De Matrimonio.

Praeter S. Thom. et S. Alphons. cf. Sanchez *de Matrimonio;* sub simil. tit. Perrone, Roskovány, Carrière; Bangen *de sponsalibus et de matrimonio;* Feije *de impedimentis* etc. *matr.;* Mansella *de impedim.* etc.

Matrimonium ab initio creationis non solum ut naturae officium, 1008
sed ut res quaedam sacra a Deo institutum est. Christus vero N. Legis auctor illud ad rationem sacramenti evexit atque Ecclesiae jurisdictioni subjecit. Sub multiplici respectu ejus tractatio ad moralem theologiam spectat, quoniam sub multiplici respectu obligationes secum trahit, circa quas Ecclesia debet providere. Et quamquam multa officia inde oriunda ad forum externum, atque hinc eo magis ad jus canonicum spectant: tamen et multa ex se ad internum forum pertinent, et alia cum illo saepe ex parte cohaerent, et propterea confessarii notitiam fugere nullatenus debent. Unde etiam complura, quae fusius in juris

canonici disciplina evolvi consueverunt, nihilominus etiam hîc assumpsi et breviter indicaturus sum, ne manca evadat confessarii instructio.

Agemus igitur 1) de iis, quae matrimonium praecedunt, de sponsalibus et bannis; 2) de matrimonialis contractûs natura et qualitate; 3) de personis contrahentibus atque impedimentis; 4) de juribus ex matrimonio oriundis.

Sectio I.

De iis quae Matrimonium praecedunt.

Caput I.

De Sponsalibus.

§ 1.

De sponsalium natura.

1009 1. *Sponsalia sunt futuri matrimonii promissio vera et deliberata, mutua, signo externo expressa, inter personas habiles.* Singula verba perpendenda sunt, ut rite intelligatur, quid sponsalium, saltem *ut* sponsalium, valori obstet. Hinc:

1) debet promissio esse *de futuro*, non de praesenti: quo distinguuntur sponsalia ab ipso matrimonio. Neque ex eo quod promissio de praesenti, si fiat, ex aliqua causa invalida sit, concludere licet eam valere saltem tamquam promissionem de futuro, nisi forte positiva lege id constitutum sit, ut re ipsa obtinet in promissione *impuberum*.

2) Promissioni *verae* obstat *fictio:* verum, etsi ficta promissio non facit vera sponsalia, tamen imponit obligationem reparandae injuriae, et in foro externo generatim juste exigitur, ut stetur promissis tamquam veris.

3) *Deliberatae et liberae* promissioni praeter inadvertentiam obstat promissio ex *metu* facta: quare ex quocunque metu facta fuerit, si ille fuit causa promittendi neque alia jam adfuit obligatio, saltem rescindi potest promissio.

4) *Mutua* promissio seu promissio acceptata cum repromissione omnino requiritur, ut *sponsalium* adsit obligatio: alioquin ex una parte esse *potest* obligatio, sed non sponsalitia.

5) Unde sequitur, debere esse promissionem et repromissionem *externo signo factam.* Plerumque adhibentur verba: aliquando tamen sive taciturnitas sive signa quaedam *secundum patrium morem* sufficiunt; in dubio vero pro sponsalibus standum non est.

6) *Inter personas* sive nunc sive pro futuro *habiles.* Quodsi lex ecclesiastica matrimonio obstat, et duo sibi matrimonium promittunt sub conditione obtinendae dispensationis, haec pro praxi observa: a) oriri *potest* obligatio quaerendae dispensationis, praesertim si quaedam circumstantiae urgentes accedant; b) ante dispensationem factam certe non est obligatio sponsalitia; c) imo probabilius neque ante liberam ab utraque parte acceptatam dispensationem, per quam implicite fit promissionis prioris renovatio et in vera sponsalia transmutatio;

d) quare facile manet antea in plena libertate utriuslibet, utrum velit recedere, an dispensationem exspectare.

In aliis conditionatis promissionibus, conditio, quando impletur, reddit eo ipso promissionem vera sponsalia, si modo interea neuter consensum suum revocaverit. Cf. *Theol. mor.* n. 657—662.

2. *Accidere potest* id quod jam innui, *ut obligatio alterutrius ad* 1010
matrimonium adsit sine veris sponsalibus. Sed plane sciendum est, quandonam *illa* adsint, siquidem non solam hanc obligationem secum ferunt, sed etiam alium juridicum effectum, impedimentum publicae honestatis: de quo infra. — Hîc noto solum: quando puella sub promissione matrimonii seducta est, post peccatum per se exsistere viri obligationem, vel etiam *sponsalium* obligationem; exceptiones vide *Theol. mor.* n. 661.

3. *Sponsalia valida fieri possunt ab impuberibus. Praesumuntur* valida, si reliquae conditiones adsunt, post septennium aetatis spondentium; antea praesumuntur invalida: attamen *certa* probatio contrarii praesumptionem elidit. — Verum ut consulatur inconstantiae infirmae aetatis lex ecclesiastica statuit, ut ejusmodi sponsalia post adeptam pubertatem infra triduum a cognito hoc privilegio ab alterutro libere solvi possint, antea ne mutuo quidem consensu possint.

4. *Si parentes nomine filiorum de futuro matrimonio pacti sunt, sola taciturnitas filiorum, postquam illis negotium fuerit intimatum, sufficit, ut Ecclesia praesumat vera sponsalia.* Verum ipse valor tandem pendet ab interno consensu filiorum: quodsi voluntatis defectus in externo foro probari potest, cessat juris praesumptio. — Neque haec potestas pro filiis spondendi ad alios cum paterna potestate transit, sed ad solos parentes restringitur. Cf. *Theol. mor.* n. 662.

§ 2.

De sponsalium effectu.

1. *Prima obligatio ex sponsalibus oriunda est, ut sponsi sibi mutuam* 1011
fidem servent: contra quam peccatur etiam fornicatione cum persona extranea. Verum — secluso casu quo fiat sponsa gravida atque graviter decipiat sponsum — non constat, ex hac circumstantia novam malitiam gravem specifice distinctam ad fornicationem accedere.

2. *Secunda obligatio est, ut suo tempore ineatur re ipsa matrimonium,* idque nisi tempus fixum est, vel mutuo consensu differtur, quum primum alteruter rationabiliter id petierit. Imo propter pericula animae omnino urgendum est, ne morae trahantur; atque sponsus, etiam non rogatus, peccare graviter potest, si sine gravi causa moras diuturnas trahit, quum sponsa saepe prae verecundia monere non audeat. Si dilatio necessaria est, a mutuae visitationis consuetudine retrahendi sunt.

3. *Qui sine legitima causa a sponsalibus recedit:* 1) *ab ecclesiastica auctoritate per censuras compelli potest, ut stet promissis;* 2) *arrham vel munera forte data amittit;* 3) *damna si quae alteri parti orta sunt,* v. g. ex factis expensis, vel quod sponsa utpote quadam macula affecta jam difficilius alicui nuptura sit, *compensari debent:* quamquam si de sola compensatione causa instituitur, id vel conscientiae vel civili tribunali

relinqui solet. — E contrario, si justa causa recedendi subest, poena conventionalis forte constituta juste postulari nequit.

4. *De publicae honestatis impedimento in sect. III. sermo erit.*

§ 3.

De nullitate et dissolutione sponsalium.

1012 Distinguuntur 1) aliae causae, quae sponsalia ab initio nulla et invalida reddunt; 2) aliae, quae ipso facto utrumque sponsorum ab obligatione solvunt, seu quae sponsalia ipso facto rescindunt; 3) aliae, quae in alterutro tantum obligationem auferunt, ita ut pro suo libitu obligationem sustinere aut sponsalia rescindere possit, quae proin dicuntur sponsalia facere rescindibilia.

1. *Sponsalia sunt ipso facto nulla, praeterquam ex essentiali defectu in § 1 notato, ex quacunque causa, quae subsequens matrimonium illicitum reddit:* nam ad opus illicitum nulla promissio obligare potest. Hinc causae, quae nulla reddunt sponsalia, sunt: 1) votum castitatis vel simile ante sponsalia emissum; 2) sponsalia cum altera persona jam contracta; 3) promissio matrimonii, quod sine dedecore familiae iniri nequeat, aut cujuslibet matrimonii, cui parentes *juste* se opponere censeri debeant; 4) promissio matrimonii mixti, nisi forte aliunde obligatio talis matrimonii exsistat.

2. *Ipso facto rescindunt seu exstinguunt sponsalia illae causae, quae supervenientes alterutrius sponsi conditionem ita mutant, ut ex natura illius conditionis matrimonium promissum evaserit vel impossibile vel illicitum:* nisi forte illud impedimentum facile possit auferri.

1ma causa est: electio statûs perfectioris a) per professionem religiosam, b) sacros ordines, probabiliter in foro conscientiae, c) per votum privatum perpetuae castitatis vel emittendae religiosae professionis vel suscipiendi sacros ordines (non vero per solum ingressum ordinis religiosi tempore novitiatûs, etsi alteri sponsorum datur per se facultas statim dissolvendi sponsalia); 2) dissolvit sponsalia matrimonium cum alia persona initum et 3) temporis lapsus saltem si terminus figitur ad obligationem finiendam.

1013 3. *Rescindibilia fiunt sponsalia ex mutatione notabili alterius sponsorum, quae tanta sit, ut promissio non censeatur hanc conditionem amplecti:* at facultas recedendi illi non fit, qui *culpabiliter* talem mutationem induxit, ne ex injuria favorem capere possit; imo ille pro adjunctis ad damni reparationem teneri potest.

Hinc: 1) impedimentum ex culpa alterutrius sponsorum causatum alteri jus dat resiliendi; 2) crimen quodlibet pro conditione sponsorum vere grave sive nunc commissum sive nunc detectum; 3) fornicatio subsequens, generatim etiam prior nunc detecta: si tamen subsequens fornicatio ab utroque sponso cum extranea persona committitur, sponsa saltem jus recedendi non habet; 4) notabilis delapsus in pejorem conditionem v. g. violenta sponsae oppressio, ejus per morbum deformatio, ignobilitas vel paupertas sponsi sive sponsae nunc detecta[1]; 5) mutatio nota-

[1] Id tamen communius tenent scriptores, sponsos sive sponsas non teneri ad detegendos defectus non nocivos, si praevident, alteram partem per breve

bilis in melius jus dat a sponsalibus, quae nunc fierent disparis conditionis, resiliendi: idque in *magnis* etiam divitiis supervenientibus ut fiat, dissuadetur quidem, at absolute permittitur; 6) tandem dissensus parentum etsi in se non ita justus, at talis qui diuturnas inimicitias aliave gravia mala probabiliter induceret.

4. *Ut alterutri sponso jus detur resiliendi, in conscientiae foro per* 1014 *se sufficit causa cognita eaque saltem semiplene probata.* Attamen aliquando *debet* judicis interventus accedere: 1) si causa ejusve justitia vere dubia est; 2) si sponsalia fuerunt publica, causa occulta: nisi alter induci possit, ut publice in solutionem sponsalium consentiat.

5. Si vero instante matrimonio vel proclamatione futuri matrimonii aliquis tertius objicit sponsalia secum facta, parochus nosse debet, quid sit sui muneris:

1) Si sola indemnitas postulatur, moneat parochus, de *hac* Ecclesiam non solere cognoscere, sed pacificam suadeat compositionem.

2) Si sponsalia illa objecta, quarum exsecutionem actor vult, satis probantur neque pro altera parte justa causa resiliendi sit, parochi est sistere proclamationes et juvare actorem, ut sententia Ordinarii quam citissime procuretur.

3) Si vero justae causae resiliendi deprehenduntur, sufficit parocho, ut moneat actorem, se progressurum esse in proclamationibus, imo ad matrimonium celebrandum, nisi tempestive sibi exhibeatur prohibitorium Ordinarii, ad quem actor, si velit, possit confugere.

Caput II.

De Bannis.

Quo securius in celebrandis matrimoniis procedatur, et quo facilius 1015 impedimenta, si qua exsistunt, detegantur, Concilia Later. et Trid. proclamationes matrimonii antea faciendas accurate praescripserunt. Quare, ut compleatur doctrina eorum, quae ante matrimonium aut fieri debent, aut obligationes inducere possunt, breviter agemus 1) de bannorum obligatione, 2) de eorum dispensatione, 3) de obligatione impedimenta matrimonii revelandi.

§ 1.

De obligatione bannorum.

1. Ex praescripto Ecclesiae matrimonium *tres proclamationes* praecedere debent: quae obligatio ex se gravis est: Later. IV. c. 51 et Trid. sess. 24 cap. 1 *de ref. matr.;* at unam ex tribus omittere censetur materia levis.

2. Circumstantia *temporis* praescripta ea est, ut fiant 1) tribus *continuis* vicibus, 2) diebus Dominicis et festis de praecepto; at ubi est consuetudo praetermittendi dies festos et solos assumere Dominicos, ea

---

quidem tempus defectum postea detegendum aliquantulum aegre laturam esse, sed facile hanc animi commotionem esse cessaturam.

non videtur reprehendenda, 3) inter Missarum solemnia (v. Trid. *ibid.*): si qua tamen oblivione omissa esset, suppleri posset in Vesperis, si modo adsit populi concursus.

3. *Locus* autem praescriptus est *ecclesia parochialis* illius loci vel illorum locorum, ubi sponsi habent domicilium. Hinc est, quod in utriusque sponsi parochia proclamatio fiat oportet: quare si diversae sunt parochiae, utrobique banna publicari debent, nisi parochiae sint valde vicinae. Imo si quis sponsorum in pluribus locis domicilium aut quasi domicilium habet, ubique in omnibus illis locis publicatio facienda est, sive re et actu plura habet domicilia, sive solum jure censentur plura adesse. Videlicet ex hac causa:

1016 1) *Filii familias* aetate minorennitatis[1] proclamari debent non solum in actuali domicilio vel quasi-domicilio, sed etiam in domicilio *parentum.*

2) *Milites,* si minores sunt, eodem modo tractari debent; alioqui praeter locum actualis habitationis domicilium juris putatur locus, ubi ante susceptam militiam habitaverunt.

3) *Vagi* proclamandi sunt in loco, ubi diutius commorati sunt, vel in loco originis: insuper pro eorum matrimonio licite celebrando consensus Episcopi adesse debet et legitima attestatio eorum statûs liberi.

4) Qui a brevi tempore domicilium vel quasi-domicilium mutaverunt, non in solo actualis habitationis loco, sed etiam in loco prioris domicilii proclamari debent. Quantum autem tempus actualis habitationis requiratur, ut in priore loco banna omitti possint, a diverso jure loci atque Episcopali lege multum pendet. Quamquam enim Romanum jus saltem quinquennium requirere videtur, in aliis locis habitatio unius anni, imo sex mensium pro sufficienti habetur. Sic in Conc. prov. Bituric. 1850 et in Concilio Auscitano (v. Coll. Lac. tom. IV. p. 1118 et 1191) commoratio sex mensium statuitur, ut aliquis quoad banna domicilium mutasse censeatur. Additur dein „sed pro iis, qui transitorii officii, vel studiorum, famulatûs causa in uno loco ultra sex menses degunt, *domicilium retinentes in altero*, in *utroque* (loco) proclamentur“: ergo qui domicilium in altero loco neque re, neque jure retinuerint, in solo posteriore proclamandi sunt. — Quae quum Romae approbata sint, norma esse possunt, ut simile spatium illic pro legitimo habeatur, ubi consuetudine idem observatur.

4. Quando banna in pluribus locis facienda sunt, parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, literas testimoniales de statu libero sponsorum accepisse debet (Ledigschein), ut matrimonio possit assistere. — Leges civiles non raro etiam exigunt testimonium consensûs parentum. Debeatne in hac re parochus insistere necne, ipsius prudentiae relinquitur.

§ 2.

De dispensatione bannorum.

1017 1. *Episcopus ex justa causa, si aliunde de impedimento non exsistente satis videtur constare, a bannorum obligatione dispensare potest* (Trid.

[1] Aetas minorum computatur secundum leges civiles regionis: v. Conc. Queb., Remen. in Collect Lac. t. III. cl. 648, IV. cl. 126.

l. c. cap. 1); idque facilius ab una alterave vice; quod si fit, dicatur: semel pro tribus vicibus, vel similiter. Facilius etiam ita disponi res potest, ut post matrimonium, a cujus usu interim abstineant conjuges, proclamationes suppleantur.

2. *Si dispensatio intercedit, practice probabile est, sufficere dispensationem Episcopi unius ex sponsis:* cf. S. Alph. n. 1006.

3. *Causae dispensationis aliae sunt necessariae, aliae gratiosae. Necessariae sunt eae, quae, nisi dispensatio fiat, grave damnum uni alterive sponsorum inferant; gratiosae, quae id minime faciant.* Necessarias has habes:

1) ne malitiose impediatur matrimonium, v. g. a cognatis;
2) ne forte vir, mutato consilio, derelinquat puellam a se violatam;
3) ne damnum, scandalum, infamia ex dilatione matrimonii oriatur;
4) si urget necessitas contrahendi, quum sponsus statim proficisci debeat;
5) si forte vir post matrimonium civiliter contractum non vult in tres proclamationes consentire, admittere tamen vult ecclesiasticum ritum: tunc enim in gratiam sponsae dispensari debet, si jam separatio fieri nequit;
6) si proclamationes sponsos magno ludibrio atque irrisioni exponunt: quod quum plus minusve urgere possit, aliquando pro causa necessaria, aliquando pro libera et gratiosa haberi debet.

Quando igitur ejusmodi causae certo adsunt et graviter urgent, Episcopus juste denegare nequit bannorum dispensationem.

Aliquando vero ex mera gratia, ut propter sponsorum nobilitatem vel meritum, dispensatio concedi potest. Imo in matrimoniis summorum Principum, quorum cognatio communiter publice nota est, proclamationes omitti solent: v. Craisson n. 4050.

4. *Parochus, quamquam dispensare a bannis nequit, potest tamen aliquando, si recursus ad Episcopum non jam patet, ex epieikeia proclamationes omittere,* et sine illis ad matrimonium celebrandum sponsos admittere; ita tamen, ut, excepta forte necessitate in mortis articulo, post matrimonium proclamationes suppleantur vel aliter per Episcopum provideatur. Cf. *Theol. mor.* n. 675 sqq.

§ 3.

De obligatione impedimenta revelandi.

Proclamationes propterea fiunt, ne cum impedimentis matrimonia 1018
celebrentur. Quare, ut finis ab Ecclesia intentus obtineatur, necesse est, ut fideles teneantur indicare, si quod impedimentum matrimonii, quod proclamatur, cognoverint.

Impedimenta, quae solum illicitum reddunt matrimonium, revelanda fere non sunt nisi sponsalia cum tertia persona; atque raro aliorum est haec indicare, sed ipsius illius tertiae personae, cujus est videre, num velit jure suo uti.

Magis urget obligatio indicandi impedimenta, quae vocantur dirimentia, scilicet:

1. *Per se est obligatio gravis impedimentum matrimonii, si quod scitur,*

revelandi, etsi res occulta est et vel secreto scitur naturali vel promisso tantum.

2. *Obligatio illa*, quamquam prae aliis sponsos ipsos adstringit, tamen *ab omnibus, qui rei notitiam habent, idque quam primum*, nisi gravis causa excusat, *impleri debet.*

3. *At obligationis excusatio censetur adesse pro iis:*

1) qui sciunt impedimentum sub secreto *commisso,* uti sibi in officio suo dictum;

2) qui nequeunt revelare sine magno suo damno, vel scandalo aliorum;

3) qui fructum ex revelatione sperare non possunt, praecipue si certi non sunt de impedimento, sponsi vero in bona fide exsistunt;

4) qui audierunt ab homine fide non digno; aut nesciunt, a quo rem sibi narratam habent (nisi fundata spes est ulterius inquirendi);

5) qui sciunt, sponsos occulte petiisse dispensationem.

4. Si illius impedimenti revelatio crimen aliorum manifestat, illi, qui ex revelatione impedimenti diffamationem patiuntur, sive sponsi sunt, sive alii, per se prius moneri debent; ut ipsi per seipsos provideant (aut desistendo a matrimonio, aut dispensationem occulte petendo): quo facto, si provisum fuit, revelatio non amplius fiat oportet. Haec vero *monendi* obligatio eos etiam adstringere potest, qui ex secreto commisso notitiam habent, ut videlicet eos ipsos moneant, a quibus rem secreto cognoverunt.

Sectio II.

De matrimonialis contractûs natura et qualitate.

1019 Matrimonium veri nominis contractus est, at singularis omnino, ab aliis plane suis notis distinctus, tum si solum naturae officium spectamus, tum si sacrum ejus characterem attendimus. Agemus 1. de hoc sacro matrimonii charactere, quo matrimonium est elevatum, non ejus natura mutata; 2. de necessariis ejus qualitatibus.

Caput I.

De matrimonialis contractûs charactere sacramentali.

§ 1.

De hujus sacramenti essentia.

Definitur matrimonium: Individua maris et feminae consociatio, qua mutuo complentur ad constituendum jure unum generationis principium.

Distinguitur: 1. matrimonium *in fieri,* i. e. actio, qua duo contrahunt; et *in facto esse,* i. e. status ille permanens, quo conjuges in se mutuum jus habent;

2. *legitimum tantum* et *ratum:* prius inter non-baptizatos, posterius inter christianos sacro baptismi charactere signatos;

3. *consummatum* et *non-consummatum:* prout carnalis copula secuta est, aut non est.

I. Brevis doctrinae per theses quasdam propositio.

1. Matrimonium verum et legitimum etiam inter infideles seu non-baptizatos exsistit.

2. Matrimonium inter fideles seu baptizatos sacramentum Novae Legis est, quod unionem Christi cum Ecclesia significat et efficienter extendit: efficit enim augmentum gratiae sanctificantis, quae est vinculum unionis inter Christum et animam fidelem.

3. Sacramentum a contractu reipsa separari non potest, sed matrimonium inter baptizatos aut sacramentum est, aut contractus validus non est: quod nunc post declarationes Pii IX. et Leonis XIII. extra controversiam est.

4. Materia et forma sacramenti est ipse consensus contrahentium legitime manifestatus, quo matrimonium in ratione contractûs perficitur: id enim ex priore thesi necessario consequitur.

5. Minister igitur sacramenti non est sacerdos, sed ipsi contrahentes et ministri et suscipientes sunt; ita tamen, ut necesse non sit, eos id vere scire et intendere; sed sufficit, ut hanc intentionem non alia praevalente voluntate excludant. Cf. *Theol. mor.* n. 680 sqq.

II. Quaedam declarationes.

1. *Essentialis igitur modus hujus sacramenti est, ut sit contractus.* 1020
Hinc fit 1) matrimonium celebrari posse per procuratorem: quod tamen, exceptis Principibus, raro permittitur; 2) conditionem de futuro sacramento matrimonii non essentialiter obstare; 3) sacramenti valorem *indirecte* pendere ab Ecclesiae jurisdictione, quippe cui hic contractus subjaceat.

2. *Consensus vero, qui contractum et sacramentum efficit, debet esse* 1) *verus et mutuus,* 2) *deliberatus et voluntarius,* 3) *externus,* 4) *de praesenti.* Quare vitiatur matrimonium: 1) fictione alterutrius; quamquam nisi probari possit, fictio in foro externo non admittitur, neque quidquam fere restat, nisi ut postea *verus* detur consensus; 2) metu gravi, de quo infra *de impedimentis.*

Consensus dicitur *de praesenti* in distinctione a sponsalibus: quod adeo verum est, ut, etiamsi apponatur conditio futura, nihilominus matrimonium efficiatur *vi praesentis actionis,* qua jura conferantur, conditione impleta, *ipso facto,* si modo consensus retractatus non fuerit.

3. De conditionato consensu plura adnotari debent. 1021

Tali modo contrahere raro permitti potest, neque *sua* auctoritate a parocho. Ceteroqui si sponsi consensui declarando privatim conditionem apposuerunt, 1) quando de conditione rei praeteritae vel praesentis agitur, matrimonium statim evadit aut perfectum, aut nullum; 2) quando conditio futura suspensiva, si modo substantiam matrimonii non violat, apposita est *eaque impleta,* matrimonium, nisi interim consensus alterutrius sit revocatus, evadit perfectum, interim suspenditur; 3) quando conditio non est suspensiva, sed potius obligatio addita, conditio, a quâ impletâ valor matrimonii pendet, est ipsa haec ex parte alterutrius vel utriusque sponsi vere in se suscepta obligatio: unde fit, ut quaelibet conditio turpis, sic concepta tamquam vera conditio, reddat

matrimonium nullum, eo quod obligatio vera ad aliquid turpe impossibilis est; 4) attamen in foro externo per se respicitur tantum conditio externata et *stipulata,* seu in pactum deducta; imo etiam quoad talem stipulationem de re turpi praesumitur, eam non fuisse veram conditionem, proin ea pro non adjecta habetur, nisi vitiet substantiam matrimonii: sed in foro interno mens contrahentium respici debet, atque si res dubia manet vel etiam si constiterit de nullitate, urgenda est veri consensûs renovatio; 5) substantiam matrimonii nimirum violat obligatio attentata, quae adversetur a) matrimonii *unitati,* b) matrimonii *indissolubilitati,* c) proli *concipiendae vel conservandae.*

1022 Aliis verbis matrimonium *nullum* est, si alteruter contrahentium hac lege vult contrahere, ut sibi liceat adulterare, a conjuge postea recedere, matrimonio abuti vel foetum enecare. — Imo sive haec tamquam *conditionem* spectas, sive tamquam *objectum praevalentis intentionis,* matrimonium nullum est; si vero praevalente intentione intenditur verum matrimonium, concomitans vero error adest vel etiam sine errore prava voluntas violandi jura matrimonialia, peccatur quidem, sed matrimonium est validum. — Intentio enim *veri* matrimonii eaque praevalens adeo necessaria est, ut, etiam ubi clandestine vel civiliter contrahi valide possit, si contrahentes in persuasione erant, se sic contrahere nullatenus posse, ejusmodi matrimonium plane non subsistat: ita S. Offic. 18. Julii 1867 in causa *Coloniensi.*

Cf. *Theol. mor.* n. 686—690.

Aliud plane est, contrahere cum stipulatione servandae castitatis: quod matrimonium virgineum dicitur, atque tamquam eximiae virtutis exemplum post B. Mariam V. et S. Joseph in compluribus Sanctis colitur. Haec enim, quum jura matrimonialia illaesa in radice mutuo dentur, valori matrimonii non obstant; attamen raro sane suadendum vel etiam permittendum est. Cf. *Theol. mor.* n. 690.

§ 2.

De sacris caerimoniis in matrimonii contractu sacramentali observandis.

1023 1. *Quamquam matrimonii minister sacerdos non est, tamen communiter illicite* (et vigente decreto Tridentino, invalide) *sine ejus interventu contrahitur:* attamen, si aditus ad parochum ejusque delegatum diutius occlusus est, licebit in sola testium praesentia matrimonium inire.

2. *In catholicorum matrimoniis attende, ut semper observetur ille ritus sacer, qui inscribitur in Rituali „Ritus celebrandi matrimonii sacramentum": ad solemnem benedictionem in Missa accipiendam non cogendi, sed exhortandi sunt contracturi,* idque etiam postea, si in ipso matrimonio contrahendo accipere eam v. g. propter tempus clausum non poterant.

Verum benedictio illa non datur, si sunt nuptiae secundae ex parte mulieris.

1024 3. *In matrimoniis vero mixtis inter partem catholicam et haereticam, si cum Ecclesiae dispensatione servatis praescriptis cautelis ineuntur, excluditur semper quidem Missae sacrificium et solemnis benedictio;* ritus autem sacer consuetus *„celebrandi matrimonium",* si ita ad majora mala evitanda Ordinario videtur, adhiberi potest; sed solam assistentiam

passivam praestari licet, si ejusmodi mixtum matrimonium sine necessariis cautelis et sine ecclesiastica dispensatione catholica pars inire praesumpserit. Cf. Encyclicam Pii IX. anni 1858.

Hanc vero assistentiam ne praestare quidem licebit, si ritu acatholico matrimonium inierint atque dein facti non poenitentes ad catholicum parochum accedant. — Si vero primo coram catholico parocho apparent, sed postea ad acatholicum accessuri sunt, id probari nullatenus potest, imo per se reprobari debet: verum pro spe fructûs prudentiae parochi est, utrum moneat, an sileat. Haec quidem, si minister acatholicus religiosum ministrum agit; nam si tantum pro civili munere agit, nihil obstat, quominus, lege civili id exigente, coram illo contrahentes se sistant, non matrimonii ineundi causa, sed civilis caerimoniae implendae gratia. Cf. *Theol. mor.* n. 695 sqq.

Caput II.

De matrimonii essentialibus qualitatibus.

Vinculi matrimonialis qualitates duae sunt, quae — ut jam ex supra 1025
dictis de consensu conditionato patet — si excluduntur, matrimonium corruit: unitas, i. e. contractus inter unum et unam, et indissolubilitas.

Articulus I.

De unitate matrimonii.

§ unica.

Praevie notanda. 1) Unitati opponitur simultanea polygamia aut polyandria. 2) Unitati non repugnant secundae aut ulteriores nuptiae post prioris conjugis mortem contrahendae.

Doctrinae capita. 1. Primaeva matrimonii institutio tum natura duce, tum Deo positive jubente, illud ad perfectam unitatem restrinxit: vide Matth. 19 et Marc. 10.

2. Post diluvium vero Patriarchis et populo judaico polygamiae permissio facta est, quae etiam ad gentiles populos videtur fuisse extensa: polyandria vero ita prohibita est et mansit, ut licita neque unquam fuerit neque esse possit.

3. Per legem evangelicam promulgatam conditio matrimonii ita ad primaevam unitatem revocata est, ut neque fidelibus neque infidelibus amplius facultas sit plures uxores habendi: quod Ecclesiae praxis certissimum facit.

4. Post mortem conjugis conjugi superstiti neque ad secundas neque ad ulteriores nuptias transire ulla lege prohibetur.

Articulus II.

De matrimonii solutione et indissolubilitate.

Primo loco hic attende thesim in syllabo Pii IX. 67 proscriptam: 1026
„Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.“

Quare vinculi solutionem ab ipso jure naturae prohiberi aliquo saltem sensu, tenendum est: quo sensu et gradu, infra patebit. Quam indissolubilitatem evangelica lex firmavit corroboravitque.

A vinculi autem solutione distinguitur solutio quoad torum et cohabitationem; quam ex certis causis, manente vinculo, fieri posse, Ecclesia semper intellexit.

§ 1.

De matrimonii firmitate, ac de divortio quoad vinculum.

Quamquam matrimonium quoad vinculum simpliciter indissolubile dicitur, id pleno et perfecto sensu de solo matrimonio christianorum consummato intelligi debet. Ut igitur diversos gradus firmitatis statuamus, haec notanda sunt:

1. Fide certum est, matrimonium christianorum consummatum ex nulla causa nullave auctoritate solvi unquam posse: Trid. sess. 24 vocat matrimonii vinculum „indissolubilem unitatem", atque quum practica difficultas de solo casu adulterii tamquam causa divortii moveretur, can. 7 anathema dixit in eum, „qui dixerit, Ecclesiam errare, quum docuit et docet, juxta evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi etc." — Cf. Luc. 16, 18; Marc. 10, 9; I Cor. 7, 10 et 11.

2. Matrimonium ratum tantum non consummatum tum professione religiosa alterius conjugis dissolvitur, tum Romani Pontificis auctoritate ex gravi causa dissolvi potest. Trid. l. c. can. 6: „Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi: A. s."; potestatem vero S. Pontificis praxis usitata ita probat, ut summe temerarium sit, eam negare.

1027 3. Matrimonium in infidelitate contractum, etsi consummatum, quando alter conjugum ad fidem convertitur, aut suprema potestate Pontificis ex gravi causa dissolvi potest, aut, infideli conjuge pacificam cohabitationem cum fideli denegante, per novas nuptias a fideli conjuge initas dissolvitur.

Videlicet circa matrimonium infidelium post alterutrum conjugem ad fidem conversum *certum est:* 1) conjugem fidelem posse, si infidelis discedat, novum matrimonium inire, atque eo ipso prius matrimonium solvi: v. I Cor. 7, 15; nisi forte propter adulterium, quod pars fidelis post baptismum commiserit vel similem causam pars infidelis discedat.

2) Idem obtinere, si infidelis nolit cohabitare vel etiam post longum tempus non amplius cohabitare parti fideli nisi cum contumelia Creatoris, praesertim eam sollicitando ad apostasiam vel quodlibet mortale peccatum: decretal. l. 4 tit. 19 c. *Gaudemus* et *Quanto.*

3) Ecclesiam potestatem habere declarandi, solam perseverantiam in infidelitate spectatis circumstantiis sufficere, ut pars fidelis novas nuptias inire possit: cf. Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 13 c. 21.

4) Ecclesiam etiam pro circumstantiis facultatem ad novas nuptias extendere posse, videlicet si constare non potest, velitne infidelis pacifice cohabitare necne, parti fideli licentia dari potest ad novas nuptias, atque ita quidem ut hae validae, priores solutae sint, etiamsi postea appareat, utrosque conjuges tunc temporis fuisse conversos.

Unde, sicut ex aliis documentis, *pronum est concludere,* 5) Summum Pontificem ex gravi causa in favorem fidei ejusmodi matrimonium dissolvere vel dissolvendi potestatem facere posse.

Haec omnia vero extendi non possunt ad matrimonium, quod ex dispensatione Ecclesiae pars fidelis cum infideli contrahat: id enim quoad vinculum non est magis solubile, quam matrimonium inter baptizatos. Cf. *Theol. mor.* n. 700—709.

§ 2.

De divortio quoad torum et cohabitationem.

Manente vinculo, esse plures causas, propter quas sive privatim, 1028
sive ecclesiastici judicis auctoritate interposita, separatio conjugum a toro et cohabitatione fieri possit, vel pro adjunctis fieri debeat, intelligitur ex can. 8 sess. 24 Trid.: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare quum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit: A. S.“

Causas vero ejusmodi fere enumeratas habes in Decretal. l. 4 tit. 19 *de divortiis.*

1. *Utroque conjuge consentiente, separationem sive temporaneam sive perpetuam per se fieri posse,* patet, siquidem juri suo quilibet renuntiare potest: modo et scandalum et incontinentiae periculum caveatur.

2. *Uni conjugi contra alterum jus separationis oritur ad tempus:* 1) propter *grave corporis periculum,* aut nimis gravem molestiam ab altero injuste illatam; 2) propter *grave periculum animae,* quando alter conjugum compartem ad peccatum mortale pertrahere tentat.

3. *Perpetuae separationis jus* 1) ex alterius conjugis *adulterio;* 1029
2) ex illius *haeresi vel apostasia in judicio probata et declarata.*

Adulterium igitur etiam privata notitia cognitum, de se jus dat perpetuo denegandi communem torum et matrimonii usum, atque etiam, nisi scandalum obstet, cohabitationem. At debet esse adulterium a) *certum,* sc. vehementia indicia peccati cum altero *consummati,* sive cum femina, sive sodomiae etc.; b) *formale,* ita ut non sufficiat vis mulieri illata; c) *non condonatum* sive expresse sive tacite; d) *non mutuum.*

Innocens, quamquam habet jus sese separandi, tamen retinet jus conjugem reum revocandi, atque hic redire tenetur, nisi forte gravia mala timeat.

4. *Quamquam generatim in omni causa pro plena separatione, nisi* 1030
periculum sit in mora, ad judicem eumque ecclesiasticum recurri debet: tamen in causis notoriis id non semper summo jure debet urgeri, saltem si scandalum cessat.

5. *In causis, quae jus ad perpetuam separationem tribuunt, maxime si ecclesiastica auctoritate separatio sancita est, parti innocenti datur facultas transeundi ad statum cum vita conjugali incompatibilem,* sc. ad statum religiosum vel sacros ordines; reo autem id non licet, nisi ex expresso vel tacito consensu compartis: quem tacitum consensum adesse censent S. Alphonsus, Sanchez aliique, si per biennium revocatio facta non sit seu reconciliatio negata, idque Sanchez quem

S. Alphonsus laudat, expresse dicit de separatione ob adulterium sola fori civilis sententia comprobata. S. Alph. n. 969; Sanchez *de matr.* l. 10 d. 10 n. 8.

Sectio III.

De personis contrahentibus, atque impedimentis matrimonii.

1031 Matrimonialis contractus, quum Ecclesiae jurisdictioni subjaceat, ejus legibus regi debet. Praecipuae leges praeter eas, quae jam notatae sunt, respiciunt impedimenta. Quorum alia sunt, quae matrimonium reddant *illicitum* — impedimenta *impedientia*, alia quae illud reddant *etiam invalidum* — impedimenta *dirimentia*.

Caput I.

De impedimentis impedientibus.

Ex impedimentis impedientibus alia sunt naturalis, alia ecclesiastici juris. Juris naturalis sunt: sponsalia, vota quaedam (adde certo quodam sensu: cultûs disparitatem); juris ecclesiastici, in quantum etiamnunc viget, enumerantur: Ecclesiae prohibitio sive generalis sive specialis, tempus prohibitum seu clausum. Omnia ea impedimenta simul habes collecta:

„Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.“

§ 1.

Ecclesiae vetitum.

Hoc intellige I. de prohibitione *speciali*, quando propter graves causas certum matrimonium ab Ecclesiae praesulibus inhibetur, v. g. propter scandalum, propter dubium impedimenti dirimentis etc.

Item accidit, ut specialis prohibitio cujuslibet matrimonii intimetur mulieri, quae quaerat solutionem matrimonii rati tantum ex eo quod praetendat, se in contrahendo matrimonio ejus onera et jura nescivisse atque ab iis se plane abhorrere: videlicet si conceditur solutio matrimonii rati consuevit addi, ne mulier ullum audeat in posterum matrimonium inire inconsultâ S. Sede vel S. Congregatione.

1032 II. Intellige *generales* Ecclesiae prohibitiones, sc. 1) ne ineatur matrimonium nisi bannis praemissis, de quo supra actum est; 2) ne a filiis familias matrimonium ineatur sine consensu vel consilio parentum. Verum si parentes injuste dissentiunt, filii hac in re sui juris esse debent; at si lex civilis parentum consensum severius urget, propter externa mala et pericula parocho plerumque nihil relinquitur, nisi ut studeat parentes et filios ad concordiam permovere: — quod impedimentum potius juris naturalis est, ab Ecclesia solum confirmatum.

Item dici debet de cultûs disparitate, quae inter catholicum et acatholicum baptizatum exsistat: quod aliis verbis matrimonium *mixtum* vocatur. Disparitas enim cultûs, quae inter baptizatum et non-baptizatum exsistit, constituit impedimentum dirimens.

De matrimoniis mixtis.

1. Ecclesia haec matrimonia mixta communiter improbavit atque 1033
detestata est; imo ipso jure naturali et divino plerumque reprobantur.

2. Prohibitio juris naturalis et divini fundatur, ut jam supra *de sponsalibus* dictum est, in periculo perversionis, quod conjux catholicus subit, et in periculo, quod contra debitam prolis educationem in vera religione oritur. — At quoniam haec pericula nondum sunt formaliter peccata, fieri potest, ut propter causam proportionate gravem et propter illorum periculorum diminutionem illa naturalis legis prohibitio aut cesset aut non amplius sit gravis. Accedente tunc dispensatione Ecclesiae, matrimonium mixtum licitum evadere potest. Verum etiam accidit, ut ad majora mala declinanda Ecclesia a *sua* lege dispenset, relictis sponsis conscientiae suae quoad legem naturalem: quare non semper ex dispensatione Ecclesiae ad omnimodam liceitatem concludi potest.

Sepositâ causâ gravissimi boni communis, Ecclesia, quando in mixto matrimonio dispensat, praeter specialem causam, *cur* dispenset, has generales conditiones urget: a) ut conjugi catholico liberum relinquatur catholicae religionis exercitium; b) ut omnes liberi in religione catholica educentur; c) ut spes sit et prudens adhibeatur conatus acatholicam partem ad veram fidem convertendi: quarum duae priores conditiones stipulatione antematrimoniali vel etiam juramento ex parte acatholici sponsi in tuto collocatae esse debent.

Dispensandi facultas in hoc impedimento impediente Sedi Apostolicae reservatur: in dissitis quidem regionibus Episcopis non raro per privilegium haec potestas communicatur.

§ 2.

Tempus, sc. clausum.

Concilium Trid. sess. 24 *de ref. matr.* c. 10 statuit: „*Ab ad-* 1034
ventu Domini N. J. Chr. usque in diem Epiphaniae, et *a Fer. IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive* antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, sancta synodus praecipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrare permittit.“ Ergo:

1. Tempus *clausum* ad assignatos dies nunc restringitur; quamquam antea latius patebat.

2. Jure communi nihil prohibetur, nisi *solemnitas,* i. e. tum solemnis nuptiarum benedictio, tum externa pompa, festivi ludus, solemniora nuptiarum convivia. Quare, exclusa solemni benedictione, ritu ecclesiastico matrimonium iniri non prohibetur.

3. At jure locali in variis locis ad ipsam matrimonii celebrationem tempore clauso Episcopi licentia requiri potest. Ibi igitur haec Ordinarii licentia debet matrimonium praecedere. Cf. Conc. Prag. anni 1860 in Coll. Lac. vol. V. col. 519.

§ 3.

Sponsalia.

Quomodo sponsalia impediant matrimonium cum alia persona in- 1035
eundum, supra satis dictum est. Neque Ecclesia in ea re valet dispen-

sare, siquidem nemini fas est jus alienum laedere: nisi forte tam gravis causa exsurgit, propter quam per publicam auctoritatem alienum jus exstingui vel pro exstincto declarari possit. Quod *hîc* raro accidet.

Ceterum si contra priora sponsalia cum alia persona matrimonium initur, hoc validum est, simili modo ut quaelibet res promissa, etsi contra fidem datam alienetur, alienatur tamen valide.

§ 4.

Votum, i. e. certa quaedam vota.

1036 Vota, quae matrimonii impedimentum impediens tantum, non dirimens, constituunt, quatuor vel quinque enumerantur: 1) votum non nubendi stricte ut tale; 2) votum virginitatis, quatenus a voto perpetuae castitatis distinguitur et solum primum actum, qui integritatem violet, spectat; 3) votum (perpetuae) castitatis (vota coelibatûs et virginitatis non raro hoc sensu perfectae castitatis intelliguntur); 4) votum suscipiendi sacros ordines; 5) votum ingrediendae religionis.

Porro pro diversis illis votis, si presso suo sensu sumuntur, diversum judicium ferendum est de eo, qui, voto non obstante, matrimonium iniit.

I. Circa votum non nubendi:

1. Qui nihilominus matrimonium iniit, graviter peccavit.

2. Sed, inito matrimonio, per votum non impeditur, quominus matrimonio utatur; siquidem votum non amplius objectum possibile habet.

1037 II. Circa votum virginitatis presse sumptae:

1. Votum graviter laeditur primo actu consummato contra castitatem.

2. Post tale peccatum contra votum commissum obligatio non contrahendi matrimonii per se non amplius exsistit, quia votum impossibile factum est.

3. Qui virgo init matrimonium, vix non semper ineundo matrimonium graviter peccat, quia aut habet voluntatem consummando matrimonium votum formaliter violandi, aut votum servare sibi *jure impossibile* reddit — siquidem, conjuge postulante, matrimonium consummare debet.

Excipi debet theoretice 1) casus, quando contrahens matrimonium propositum habet intra legitimum tempus ingrediendi religiosum ordinem: at nisi hoc alteri conjugi antea dixerit, generatim eam decipiendo graviter peccat; 2) casus matrimonii virginei mutuo consensu ineundi, si ita agendi causa gravis adsit, quod nostris temporibus sane difficulter permittitur.

4. Vi voti autem, qui virgo matrimonium iniit, non tenetur ad ingrediendum religiosum ordinem — siquidem id multo plus est, quam quod vovens promisit.

5. Neque ob servandam interim virginitatem videtur ex voto obligari, ut per priores duos menses ab usu matrimonii abstineat. Nam quum votum simpliciter servari ipsi impossibile factum sit, seu quia ad actum voto contrarium ex justitia erga alterum conjugem absolute

obligatur, parum conferre videtur, utrum hanc obligationem ad breve tempus differat necne.

III. Circa votum perpetuae castitatis. 1038

Castitatis voto ligatus: 1. ineundo matrimonium graviter peccat, quia sese constituit in impossibilitate votum suum servandi. Theoretice excipe idem, quod supra in II. ad 3 excepi.

2. Neque petere neque reddere potest debitum conjugale, quoties alter conjux id jure suo exigere non potest; ergo a) in primo bimestri, b) quoties per adulterium vel incestum jure suo alter privatus est.

3. Attamen religionem ingredi probabilius non tenetur ex ratione supra data.

4. Elapso bimestri, alteri conjugi debitum petenti reddere debet, quoties petit jure suo utens: petere autem per se nunquam ipse potest. Nam ex una parte ipse per se voto ligatus manet, ideoque illud servare debet, quantum sibi licet: alteri autem petenti debitum negare, injustum ac proin illicitum est. — Ceterum expedit, quam primum dispensationem a voto quaerere, ne perpetuum sit periculum contra votum agendi.

5. Post mortem conjugis novum matrimonium inire non licet, nisi dispensatio a voto absolute facta est, eaque ex causâ absolute nec solum relate ad primum matrimonium exsistente: nam alias etiam dispensatio ipsa a voto castitatis ad hoc vel illud matrimonium ineundum vel continuandum ipsius matrimonii durationem non excedit.

NB. Quae de voto perpetuae castitatis dicta sunt, facile applicantur ad votum castitatis temporaneum, quando aliquis ante tempus elapsum matrimonium inierit.

IV. Circa votum suscipiendi sacros ordines. 1039

1. Qui cum tali voto matrimonium init, peccat, sese in impossibilitatem servandi voti conjiciens: siquidem post initum matrimonium ipsi liberum non amplius est sacros ordines suscipere — nisi cum restrictione supra data simul religiosus fieri velit.

2. Quamquam ad religiosum statum amplectendum probabilius non tenetur, obligatur tamen ad suscipiendos sacros ordines, si uxor a) consensum dedit atque conditiones a sacris canonibus praescriptas servare vult, b) aut irreparabiliter jus conjugale amisit, c) aut mortua est: excipe nihilominus, si propter filios generatos et educandos vel alias obligationes ex matrimonio exortas susceptio sacrorum ordinum moraliter impossibilis, aut ipse non satis aptus evasit.

3. Contractum vero matrimonium — nisi spes fundata sit illud per religiosam professionem alterutrius conjugis dissolvendi, ad quod neuter tenetur — statim consummari potest, atque marito sine novo peccato debitum conjugale et reddere et petere pro arbitrio licet.

V. Circa votum ingrediendi religionem. 1040

1. Cum restrictione jam saepius allata sub II. et III. graviter peccat, qui cum tali voto matrimonium init, quia sese exponit saltem gravi periculo voti laedendi, aut conjugis decipiendi. — Imo qui cum voluntate matrimonii consummandi illud contrahit, hoc proposito in se sumpto graviter contra votum peccat.

2. Inito matrimonio, tenetur a consummatione abstinere atque intra spatium duorum mensium religionem ingredi — nisi praestet, dispensationem a voto implorare. Prima igitur matrimonii consummatione graviter peccatur contra votum, quia eo ipso facultas implendi votum praecluditur.

3. Consummato autem semel matrimonio, nisi altera pars consentit aut propter jus suum amissum consentire debet in perpetuam separationem, et reddi et peti potest debitum conjugale, siquidem castitas in se non est promissa, sed promissum tantum est, dependenter a professione religiosa castitatem promissum iri: quod nunc impossibile factum est.

4. Quoties jus alterius conjugis non amplius obstat, sive quod in continentiam consentit, sive quod per peccatum amisit jus suum, sive quod mortua est, obligatio voti reviviscit, nisi tamen propter exortas ex matrimonio obligationes conditio voventis ita mutata est, ut religiosae vitae susceptio evaserit moraliter impossibilis vel nimis gravis.

§ 5.

De lege civili matrimonio obstante.

1041 1. Quamquam lex civilis de substantia matrimonii nihil statuere potest: nihilominus matrimonia civilem statum intime tangunt. Propterea fere fit, ut legalem agnitionem quibusdam matrimoniis civilis potestas negare possit: quod tamen sic intelligo, ut *per se* ejusmodi causa cum Ecclesia componi debeat, siquidem perturbationibus plenum est, si matrimonia, quae Ecclesia neque irritat neque prohibet, civilis auctoritas pro nullis habeat atque liberos ex iis procreatos ab haereditate excludat.

2. Nostrae autem aetatis gubernia Ecclesiae jura non solent attendere, et proprio marte etiam causas matrimoniales sibi arrogare. Quare etsi non directe, tamen indirecte obligatio exsistere potest has leges attendendi, ne quis temere se suosque gravi damno exponat.

3. Ad quod praecipue spectat observatio matrimonii, quod vocant *civile,* nimirum, ut, ubi postuletur, conjuges sive sponsi se magistratui civili sistant ad declarandum etiam ibi suum consensum. Notandum autem est: 1) ut, si ita fieri liceat, civilis declaratio non detur ante ecclesiasticam; 2) si id impossibile est, ne in civili declaratione intendant jam matrimonium coram Deo contrahere, sed, solam caerimoniam civilem praeviam implere.

1042 4. Gravis quaestio cum hac causa cohaeret, videlicet quid agere liceat judici vel alteri viro in publico munere constituto, coram quo matrimonium contrahere cives secundum leges possunt vel jubentur, si ipse scit vel videt, eos hac sola civili caerimonia contentos fore? Potestne eos admittere atque ita cum eorum peccato cooperari?

R. 1. Id non licet sine gravi causa. Atque sane gravior etiam causa esse debet, ubi matrimonium sic contractum coram Deo invalidum est, i. e. ubi lex Tridentina circa clandestinitatem viget, quam ubi lex illa non viget, quia gravius peccatum committitur a contrahentibus in priore, quam in posteriore casu. Dein gravior omnino causa

accedere debet, quando nupturientes tantummodo per leges *possunt* civile matrimonium inire, quam requiritur, quando *tenentur*. — R. 2. Ubi fieri potest sine graviore incommodo, judex seu magistratus conari debet, num forte commonitione sua nupturientes ad meliorem frugem reducat. — R. 3. Si vero nihil efficere potest, ex repulsa autem nupturientium grave sibi damnum timet, eorum consensum ut testis recipere et adnotare potest. Quare generatim id licebit, ubi secundum leges tenentur nupturi ad civile matrimonium, sive lex Tridentina viget, sive non viget: quia magistratus, nisi consensum recipiat, munere suo cedere cogitur; ubi pro libitu permittitur civilis actus, at simul ejusmodi clandestinum matrimonium valide initur, causa mediocriter gravis judicem seu magistratum excusare videtur; ubi vero, matrimonio civili non praescripto sed permisso, clandestina matrimonia sunt invalida, causa longe gravior adesse debet, ut magistratui talem actum coram se peragi permittere liceat.

Caput II.

De impedimentis dirimentibus.

§ 1.

Praevie notanda.

1. *Ecclesia habet potestatem, eaque sola, impedimenta matrimonii dirimentia statuendi:* cf. Trident. sess. 24 can. 4 et 12. 1043

2. *Leges impedimenta dirimentia statuentes generatim neque propter grave incommodum contrahentium, neque propter legis ignorantiam cessant,* ut de legibus irritantibus universim statuitur: si quae exceptiones sunt, de iis agetur in singulis impedimentis.

3. *Scienter igitur cum impedimento dirimente, quamdiu subsistit, matrimonium sive contrahere, sive consummare non licet.* Haec quidem, si impedimentum certum est. Nam si dubium est, distingui oportet: 1) in dubio impedimento legis naturalis vel divini matrimonium *inire* non licet; 2) in dubio impedimento legis ecclesiasticae, si dubium circa factum versatur, non licet inire matrimonium sine dispensatione; 3) si vero in lege ecclesiastica est dubium juris, stricte necessaria non est dispensatio, quando probabile est, impedimentum non adesse, siquidem tum practice lex ecclesiastica non exsistit vel non sustinetur ab Ecclesia.

Quid autem in dubio impedimento, si nihilominus matrimonium contractum probabiliter est, postea quoad ejus usum liceat, vide infra in tractatione de usu matrimonii.

4. Si quis autem *cum impedimento putativo contraxit,* quod nullum fuisse postea constat, difficile est determinare, utrum matrimonium sit validum necne. Videlicet, si contrahentes vel alteruter eorum fuerint in firma persuasione, adesse impedimentum, quod parvipendentes sese conjunxerunt, potius concubinatum, quam matrimonium intenderunt: quod si ita fuit, matrimonium non subsistit. Si vero dubium tantum conceperunt vel etiam forte putaverunt, se non posse matrimonium inire, attamen illud, quantum potuerint, ambo voluerunt, matrimonium idque validum effectum est.

1044 5. *Haereticos baptizatos generatim impedimentis ecclesiasticis subjacere,* nisi forte in certo quodam impedimento contraria voluntas Ecclesiae probetur, *extra dubium est.* Quod omnino patet ex literis Benedicti XIV. ad Cardinalem Ducem York 9. Febr. 1749, aliisque atque multis Pontificiis rescriptis.

„Exploratum est," ait Summus Pontifex, „ab haereticis baptizatos . . . non tamen ab ejus (Ecclesiae) auctoritate et legibus liberari . . . Quum vero inter Ecclesiae leges illa quoque recenseatur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptismum acceperit, secus alter, rata non habet: in nostra etiam quaestione statuendum erit, quum haeretica mulier Hebraeo nupsit, matrimonium illud pro irrito habendum esse."

1045 Singula impedimenta, simul complectentes ea quae juris ecclesiastici et ea quae juris divini vel naturalis sunt, jam tractamus, his versibus, memoriae juvandae causa, contenta:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier nec loco reddita tuto:
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Eo autem ordine singula tractaturi sumus, ut primo loquamur de impedimentis juris privati, dein de impedimentis juris publici.

A. Impedimenta juris privati.

Haec impedimenta juris privati fere omnia naturalis legis sunt; ecclesiastica lex omnibus addidit majorem firmitatem, atque pleniorem determinationem vel extensionem adjecit. Sunt haec: impedimenta erroris, conditionis servilis, metûs, ligaminis, impotentiae; reliqua juris publici sunt. De his singulis paragraphis agemus.

§ 2.

Impedimenta erroris et servilis conditionis.

1046 1. Ex natura rei matrimonium dirimit: 1) *error personae,* 2) *error ejus qualitatis, quae in personam redundet.*

2. Ex intentione contrahentis expresse addita dirimit matrimonium *error cujuslibet rei, quae pro conditione sine qua non habita sit.*

3. Ex positiva Ecclesiae lege error, si sit *de conditione servili,* matrimonium nullum facit. Scilicet si persona libera putat, alteram personam, quacum matrimonium contrahere intendit, esse etiam liberam, sed eam vere *in statu servitutis* esse postea comperit: matrimonium initum jure ecclesiastico *nullum* est. — V. decret. l. 4 tit. 9 cap. 2. *„Proposuit"*, secundum quod irritum declaratur matrimonium, quod vir liber ignoranter contraxerat cum serva, nisi postea hoc sciens eam cognoverit.

1047 4. Hinc error qualitatis in divitiis, nobilitate, virginitate etc. non reddit matrimonium nullum, nisi probari possit, has qualitates tamquam conditionem sine qua non esse stipulatas vel intentas: alioqui summum

id relinquitur, ut statim petatur solutio vinculi matrimonii rati tantum, si probari potest, consummationem locum non habuisse; aut ut separatio tori fiat.

5. Error qualitatis in personam redundans ut reipsa adsit, debet qualitas illa esse 1) individualis vel quasi-individualis, 3) ea qualitas, sub qua primo et per se contrahens illam personam sibi ut conjugem determinaverat. Sume exemplum:

Si consensus datus sic est: duco filiam primogenitam talis principis, quam puto esse hanc Annam — error in ista qualitate reddit matrimonium nullum;

si vero consensus ita est: duco hanc Annam, quam puto esse filiam primogenitam talis principis — error in hac qualitate matrimonium *nullum non facit.*

Scholion. Breviter addam aliqua de errore circa officia matrimo- 1048
nialia. Videri potest alicui ille error esse substantialis. At prorsus adverti debet, propter generalem voluntatem contrahendi *ut ceteri,* nihilominus matrimonium validum esse posse. Quapropter, si de illo errore agitur, S. Congregatio *constanter tenuit,* matrimonium esse validum, vel saltem non constare de nullitate. Mulieri igitur, quae sic erravit, nihil relinquitur, nisi ut aut officiis matrimonialibus exercendis nunc vera voluntate conjugali consentiat — quod si fit, certe omne dubium tollitur, aut ut solutionem a vinculo matrimonii rati ante consummationem imploret — quae, si ad usum matrimonii permoveri nequit, aliquando a S. Sede conceditur: cf. supra n. 1031 et Acta S. Sedis vol. 5 pag. 551 sqq. Etiam Ben. XIV. pro valore talis matrimonii standum esse docet.

§ 3.

Impedimentum vis et metûs.

1. Metus qui est a) *gravis,* b) *injustus,* c) incussus aut sustentatus *in* 1049
ordine ad matrimonium extorquendum irritum facit matrimonium, ita ut qui metum patitur, perdurante metu, validum consensum dare non possit.

2. Haec matrimonii annullatio est in favorem ejus, qui metum injustum patitur: quare solum per accidens in favorem alterius adduci potest.

3. Hinc: 1) Metus reverentialis, cui accedunt minae, timor diuturnae inimicitiae etc., praesertim in femina, generatim gravis censetur esse; 2) inflictio censurae contra sponsum qui sine causa promissis non vult stare, quum justus metus sit, non irritat matrimonium; 3) medicus, qui, alio medico apto non deficiente, etsi ex sola caritate forte aliquo modo teneatur ad curandam puellam aegrotam, si nolit nisi sub conditione matrimonii promittendi, metum quidem adhibet, non tamen eum qui irritet matrimonium.

4. Utrum sola lex naturalis metum illum gravem faciat impedi- 1050
mentum dirimens, an positivae legis declaratio debuerit accedere, non est extra controversiam. — Similiter, num debeat hoc impedimentum sustineri etiamtum, quando mulieri, nisi peccare velit, optio non datur alia quam libertate cedere et vitam servare, aut libertate non cedere

et necem incurrere: in quibus adjunctis probabile videtur, neque legem naturalem neque positivam, nisi clandestinitatis impedimentum accedat, *metûs* impedimentum sustinere. Cf. *Theol. mor.* n. 735—738.

§ 4.

Impedimentum ligaminis.

1051 1. *Impedimentum ligaminis, vi cujus nemo, vivente conjuge, aliud matrimonium inire potest, juris divini est et indispensabile.* Nititur in matrimonii unitate et indissolubilitate: de quibus supra doctrinam et exceptionem habes declaratas.

2. *Ut igitur novum matrimonium iniri possit, moralis certitudo de alterius conjugis morte requiritur,* eaque probata, quantum fieri potest, authentico testimonio, vel aliquibus testibus immediatis; alioquin judicium Superioris ecclesiastici exspectari debet.

3. Ex defectu certitudinis circa alterius conjugis mortem fieri potest, ut non solum illicite, sed etiam invalide novum matrimonium ineatur, etiam si re ipsa alter conjux obierit. — Nimirum 1) Si primum matrimonium putabatur solutum, sed falso, matrimonium secundum est invalidum neque post obitum prioris conjugis convalescit, nisi rite denuo ponatur consensus. 2) Si ligamen reapse morte solutum erat, sed utrique vel alterutri sponsorum secundi matrimonii erat *persuasum,* prius adhuc subsistere, matrimonium secundum ut in casu primo nullum est, quia impossibilis erat consensus rectus in verum matrimonium; 3) si vero solum dubitabant de priore ligamine atque intendebant contrahere, quantum possent, matrimonium secundum valide contractum est.

§ 5.

Impedimentum impotentiae.

1052 NB. Vix est, quod moneam, hanc materiam tractandam non esse, nisi ab iis, quibus instet necessitas sese ad excipiendas confessiones aptos reddendi; neque ab iis aliter tractanda est, nisi pura intentione et mente saepius ad Deum elevata, ne, dum scientiam sibi necessariam comparare studeant, animae periculum incurrant.

I. *Praevie notanda:*

1. Impotentia distinguitur 1) *antecedens* et *consequens,* prout matrimonii celebrationem antecedit, aut post illam suboritur; 2) *perpetua* et *temporanea,* prout auferri nequit, aut aetate arteve curabilis est; 3) *absoluta* et *respectiva,* prout aliquem ad quamlibet copulam consummatam seu ex sese ad generandum aptam inhabilem reddit, aut solummodo usum matrimonii inter duas certas personas impossibilem facit; 4) addunt distinctionem minoris momenti, prout *ex diversis causis oritur:* maleficio, morbo, frigiditate vel naturali defectu, disproportione viri et feminae.

2. Ab impotentia presse sumpta, quae impedimentum constituit, distinguitur mera sterilitas — quamquam hae non raro confunduntur seu promiscue eadem voce vocantur. Sterilitas enim, ut distinguitur ab impotentia, supponit possibilitatem copulae ex se ad generationem aptae perficiendae; at proles non generatur, quia sive ex parte virilis seminis, sive ex parte mulieris aliquid obstat, quominus semen virile ovum maternum foecundet.

II. *Principia:* 1053

1. *Impotentia perpetua matrimonialem contractum antecedens reddit matrimonium nullum, sive absoluta sive relativa est.*

2. *Temporanea impotentia nulla, nec perpetua subsequens matrimonium facit invalidum; reddit tamen usum cum aliqua limitatione illicitum.*

3. *In dubio de impotentia conceditur triennalis experientia, nisi forte antea plane certo de impotentia constiterit. Postea judicis sententiâ separatio et declaratio nullitatis matrimonii facienda est.*

4. *Etiam in solo dubio de impotentia matrimonium inire non licet, comparte non monita, nisi forte agatur de temporanea impotentia brevi omnino cessatura.*

5. *Quando confessarius in confessione cognoverit, conjuges impotentiâ laborare, in bona fide tamen eos versari, caute agere debet, atque saepe expedit, eos in bona fide relinquere: secus vero eos instruere et ad Ordinarium dirigere debet. Qui raro permittere potest, ut separatione solius tori facta tamquam frater et soror vivere simul pergant.*

III. *Explicatio:* 1054

1. *Absoluta* impotentia perpetua facilius detegitur in viro, quam in femina. In viro igitur est: 1) Si utroque testiculo caret, seu perfecte eunuchus est, sive ab hominibus factus, sive defectu naturae sic natus. 2) Si testiculi officio suo fungi nullatenus possunt; aut si quacumque membri deformatione ad actum generationi servientem substantialiter perfectum vir ineptus est.

NB. Utrum propter testiculos latentes omnis generandi facultas desit, medicorum est in particulari casu discernere. — Idem dic, ut discernatur, num propter genitalium deformationem spes generandi nulla sit.

2. Apud mulieres impotentia absoluta est a) si vagina plane occlusa est, ut semen *recipi* vel permeare nequeat; b) idem putaveram, si mulier plane caret utroque ovario vel etiam solo utero; nunc vero pro norma habeto responsum S. Off., quod interrogatum, *num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat ac liceat,* die 3. Febr. 1887 respondit: *Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum.*

3. Veteres quidem auctores absolutam impotentiam statuunt vel statuere debent non solum 1) si mulieris vagina ita arcta sit, ut a nullo viro penetrari possit, sed etiam 2) si mulier seminare seu quasi-seminare nequeat. Verum, ut ab hoc incipiam, solus defectus quasi seminationis secundum physiologos potestatem concipiendi non tollit: at indicium esse *potest,* quo defectus modo sub n. 2. notati se prodant. De altero autem defectu nimiae arctitudinis quid dici debeat, discatur ex modo dicendis de impotentia relativa.

4. Impotentia *relativa* consistit aut in improportione viri et mu- 1055
lieris, aut in aversione naturali tali, ut vir erga mulierem nunquam excitetur. Disproportionem, quae perfectam copulam impossibilem facit, si antecedit, pro impotentia habeo; non plane, si is similisve defectus subsequitur. Conceptionem enim *posse* fieri sine vasis muliebris perforatione, si modo semen intro trahitur, physiologia et medica hodie docent: verum completa voluptas a muliere ex congressu capi non potest. — Ceteroqui censetur *ea* impotentia *perpetua,* quae auferri nequit, nisi cum vitae periculo: neque tum, eâ sublatâ, matrimonium convalescit nisi novo consensu.

5. Si impotentia relativa ex aversione oritur, videndum est, utrum tractu temporis auferatur necne; quare attende ad sequentes notas de impotentia temporanea.

6. Si conjuges potentes erant, quidquid supervenerit, matrimonium non solvitur; sed si matrimonialis actûs perficiendi spes nulla amplius erit, abstinere debent ab iis actibus, qui alterutrum periculo pollutionis exponunt: quod tunc utique multo rigidius sumatur oportet, quam fieri deberet, si facultatem periculi praeveniendi haberent. Cf. tamen infra de usu matrimonii c. I a. 1 § 1. Alia autem, quae mutuo inter se exercent ex rationabili causa, illicita non sunt.

1056 7. Si vero ab initio dubium est, utrum impotentia perpetua sit, an temporanea: *quamdiu aliquod dubium manet,* experientia per triennium conceditur, etsi semen extra vas effunditur, modo tamen *spes aliqua* perficiendae copulae remaneat: v. S. Alph. n. 1096 et 1103; si igitur triennalis experientia et remediorum usus nihil profuit, separatio seu nullitatis declaratio facienda est. S. Alph. haec applicat: 1) ad impotentiam ex maleficio, quod exorcismis, orationibus, mediis licitis per triennium auferri non potuit; 2) ad impotentiam ex relativa frigiditate seu aversione; 3) ad impotentiam ex nimia excitatione, seu potius debilitate, qua fiat, ut vir semper semen effundat, antequam ad copulam perventum sit (quod tamen arte medica videtur curari posse, ita ut haec ratio vix inducere nullitatis declarationem possit), 4) ad defectum arctitudinis, quae continuato usu fortasse auferatur — nisi forte medica arte ante curari potuerit vel debuerit.

Verum quomodo in casu triennalis experientiae frustra factae probatio veritatis fieri debeat, S. Alph. n. 1103 aliquantum, fusius Bangen *de matrim.* exponit: quibus supersedere eo magis possumus, quod ad forum externum ea spectant.

1057 8. Quando autem *certa* evasit impotentia, separatio — modo de impotentia antecedenti et perpetua agatur — illico et privata auctoritate fieri potest, imo, si periculum peccandi adest, fieri debet. Propter periculum scandali autem communiter novum matrimonium iniri nequit ante judicis ecclesiastici sententiam: quodsi scandalum cessat, haec obligatio in conscientia non ita urgenda est. Ita S. Alph. n. 1101.

9. Gravior etiam difficultas confessario vel parocho oriri potest, si non de separandis illis putativis conjugibus agitur, sed de iis relinquendis in bona fide, quando in separationem difficulter sunt consensuri: quum, re relata ad ecclesiasticum judicem, vix concedi possit, ut tamquam frater et soror simul vivant, quippe quod sit contra hodiernam Ecclesiae consuetudinem. — In qua re sequatur regulas prudentiae alibi datas. Cohabitatio ut fratris et sororis, si spectatis adjunctis grave peccandi periculum non adfuerit, facilius silentio praetermitti potest, ita ut bona fides in hac re non perturbetur.

B. Impedimenta juris publici.

§ 6.

Impedimentum aetatis.

1058 Quamquam illa aetas, quae perfectum usum rationis excludit, ex jure naturali et propter necessariam protectionem privati juris impedit,

quominus matrimonium validum fieri possit: tamen ea aetas, quae ab Ecclesia re ipsa requiritur, et positivae legis est et propter bonum commune atque publicum non minus quam propter privatum contrahentium bonum constituta est. Quare merito hoc impedimentum impedimentis juris publici adnumeratur.

1. Ex decret. l. 4 tit. 2 capp. 6, 10, 14 *impuberes* sunt matrimonii incapaces, nisi ex gravi atque publica causa dispensationem obtinuerint.

Pubertas autem sumitur secundum aetatem, *i. e. mares quatuordecim, feminae duodecim annorum esse debent.* Excipitur in favorem matrimonii, *„nisi malitia supplet aetatem“*, i. e. nisi jam antea ad generandum apti exsistant; quod prudentium judicio relinquitur. Verum etiamtum illicitum est, ante legitimam aetatem matrimonium contrahere sine licentia Ecclesiae, quam ne Episcopus sine urgentissima causa concedat, jure canonico cavetur. Quare extra urgentem causam S. Pontifex adeundus est. V. Mazzotta cap. 12 § 1, Mansella cap. II art. I.

2. *Post annos autem legitimos, etiam qui ad generandum nondum sunt* 1059
apti, matrimonii contrahendi incapaces non sunt, modo impotentia sit temporanea. Exspectandum est pro maribus usque ad annum decimum octavum, pro feminis usque ad decimum quartum, imo in regionibus septentrionalibus etiam pro feminis diutius, ut de impotentia discernatur, siquidem ante illam aetatem natura completa nondum est. Verum antequam proxima potentia exsistat, rarissime *licebit* matrimonium contrahere: neque aetas illa legitima ubique tempus est, quo jam expediat matrimonium contrahi.

3. Propter senilem aetatem tum tantum inhabilitas adest, si ne ope quidem medica copula et seminis effusio haberi potest. Sola seminis sterilitas non est ratio, cur senes matrimonii incapaces habeantur. Quod ex praxi Ecclesiae satis colligitur, quae semper consuevit senum matrimoniis benedicere, etsi spes generandi prolem jam evanuit.

§ 7.

Impedimentum voti et ordinis.

1. Votum constituens dirimens impedimentum intelligitur *votum* 1060
solemne, sive in ordine religioso amplectendo, sive in suscipiendis sacris ordinibus emissum: utrumque pro uno impedimento sumitur.

Habetur tum ex antiquis constitutionibus, tum ex Trid. sess. 24 can. 9: „Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto ..., anathema sit.“

2. Constitutio Greg. XIII. 15. Maji 1584 *„Ascendente Domino“* etiam *vota simplicia in Societate Jesu*, quae post biennium novitiatûs emitterentur, constituit impedimentum matrimonii dirimens: haec autem peculiaris constitutio aliorum ordinum simplicibus votis, quae nunc secundum Constitutiones Pii IX. post expletum novitiatum primo emittuntur, applicari nequit.

3. Quum tota votorum solemnitas sit institutionis ecclesiasticae, etiam ejus effectus dirimendi matrimonii *ecclesiastici* juris est: quod praxis Ecclesiae confirmat.

§ 8.

Impedimentum disparitatis cultûs.

1061 1. Disparitas cultûs alia est inter baptizatos, *alia inter baptizatos ex una et non-baptizatos ex altera parte.* Prior disparitas inter conjuges, ut supra dictum est, efficit matrimonium, quod communiter ‚*mixtum*' dicitur, et constituit impedimentum impediens, non dirimens; altera vero constituit dirimens impedimentum.

2. Hoc impedimentum *ortum duxit ex consuetudine seu lege non scripta; nunc tamen ubique viget,* ita ut etiam in terris infidelium ejusmodi matrimonia iniri nequeant nisi cum dispensatione Ecclesiae.

3. *Circa matrimonia cum acatholicis, qui se christianos vocant, propter baptizandi incuriam multis sectis propriam dubium de valore exsistere potest. De quo notanda sunt statuta S. Officii 17. Nov. 1830 et 20. Julii 1840:* 1) Si constat de baptismo non valide collato sive ex consuetudine sectae, sive ex examine particularis casûs, matrimonium ejusmodi mixtum invalidum est. 2) Si dubium de valore baptismi, qui collatus fuerit, remanet, praesumitur valor in ordine ad matrimonii validitatem. 3) Si quando in tali casu cum dispensatione Ecclesiae matrimonium ejusmodi mixtum initur, videtur sane Ecclesia absolute dispensare, ita ut ne tum quidem matrimonii valor in dubium vocari debeat, si postea certius baptismi defectus detegatur: si initum est sine Ecclesiae dispensatione, matrimonium validum quidem praesumitur, dum baptismus *dubius manet,* at est eratque invalidum, si baptismi nullitas *certo potest probari.*

4. Matrimonia mixta cum acatholicis etiam christianae sectae per accidens aliquando invalida fieri possunt propter persuasionem de solubilitate vinculi. Nam si haec persuasio solum error concomitans est, qui non impediat veram intentionem recti matrimonii, hoc valide contrahitur; si vero haec persuasio moverit contrahentem, ut *expressa vel praevalente voluntate excluserit* perpetuitatem, matrimonium non subsistit. Cf. *Theol. mor.* n. 751—753.

§ 9.

Cognatio.

2601 Triplex cognatio impedimentum dirimens constituit: 1) naturalis, quae consanguinitas dicitur, 2) spiritualis, 3) legalis seu adoptiva. Singula explicanda sunt.

Punctum I.

Cognatio naturalis seu consanguinitas.

I. *Praevie notanda:* 1. Consanguinitas est vinculum ejusdem sanguinis seu relatio illa moralis, quae in origine carnali fundatur. Ut autem accuratius haec mutua relatio diversorum hominum describatur, consanguinitas distinguitur secundum diversam *lineam,* et secundum diversos *gradus.*

Gradus Consanguinitatis.



NB. Quando ergo quaeritur de duorum sponsorum, sume Julium et Annam, mutua cognatione, num exsistat et in quo gradu: videndum est, num habeant Julius et Anna communes progenitores, et quota generatione ipsi ab illis communibus progenitoribus sive a communi proparente distent; et habebis gradum cognationis.

Fac, sciri e. g., avum Julii et matrem Annae fuisse consobrinos. Ut communes progenitores habeas, ascendere debes duabus generationibus; dein, ut pervenias ad Julium, insuper debes descendere per duas generationes, ut ad Annam, per unam tantum. Hinc habes quoad mutuam cognationem Julii et Annae ex una parte 4, ex altera 3 generationes, quae intercedant, ideoque cognationem in *quarto* gradu attingente *tertium*.

2. Linea una vocatur *recta*, transversalis sive *lateralis* altera. — *Recta linea est inter eos, quorum unus ab altero ipsa generatione carnali ortus est.* Qui genuerunt, cum generatis in linea *descendenti* cognati sunt, generati cum genitoribus seu progenitoribus in linea *ascendenti. Linea transversalis seu lateralis est inter eos, qui omnes a communi aliquo stipite descendunt.*

3. *Gradus consanguinitatis in jure canonico vigente, sive in linea recta sive in laterali, secundum numerum generationum computantur, quae intercesserunt, donec a communi stipite ad eos, de quorum cognatione quaeritur, aut ordine inverso, veniatur.* Qui ergo una generatione inter se aut a communi stirpe distant, *primo gradu,* qui duabus generationibus a communi origine distant, *secundo gradu,* et sic porro consanguinei sunt.

At quum in cognatione laterali duo cognati non aequali, sed inaequali numero generationum ab eodem progenitore distare possint, in inaequali distantia gradus secundum remotiorem quidem descensum sumitur, sed notato etiam propiore. V. g. Titus a progenitore Andrea quatuor generationibus distat, Titia ab eodem Andrea duabus generationibus: Titus cum Titia consanguineus dicitur in *quarto* gradu *attingente secundum.*

NB. 1. In civili computatione, uti nunc observatur, consanguinitas collateralis alio modo assignatur; numerantur enim generationes ex utraque parte. Quare gradus canonicus aequalis duplicatur; si inaequalis est, gradus propinquior ad remotiorem additur. Sic patruus cum nepote suo vel nepte sua secundum computum canonicum dicitur consanguineus in secundo gradu attingente primum, secundum civilem computum in *tertio* gradu.

NB. 2. Consanguinitas eodem modo numeratur, sive descensus communis est per ambos parentes eosdem, sive per alterutrum tantum. — Si vero ipsi progenitores jam cognati erant inter se, multiplex consanguinitas inter descendentes adest: quae sane, si quartum gradum non excedit, declarari debet, quando de dispensatione agitur.

1063 II. *Impedimenta declarantur:* 1. *Consanguinitas in linea recta indefinite constituit impedimentum dirimens.* V. Nicol. *ad Bulgar.* c. 37.

2. *Consanguinitas in linea laterali usque ad quartum gradum inclusive matrimonium dirimit.* Decretal. l. 2 tit. 14 c. 8 ex Later. Conc. sub Innoc. III. „ . . . Prohibitio quoque copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cetero non excedat . . ."

3. Consanguinitas *in primo gradu lineae rectae certe ex ipso jure naturali* matrimonium dirimit, *probabilius etiam in reliquis gradibus; probabiliter* idem etiam dicendum est *quoad primum gradum lineae lateralis* seu inter fratres et sorores, minime autem certo.

4. *In reliquis gradibus certo dirimit consanguinitas sola lege positiva ecclesiastica,* ita ut in hisce gradibus *dispensatio concedi possit.*

1064 5. Inde concluditur: 1) Si ex crimine ejusmodi cognatio in primo gradu sive rectae sive transversalis lineae inter duos exstiterit, vel solum possibilitas seu dubium talis cognationis, dispensatio ad ineundum inter se matrimonium nec sperari nec dari potest.

2) Si qui infideles convertuntur, qui in infidelitate in primo gradu cognationis (fratres et sorores) inter se matrimonium contrahere conati sunt, post fidem in matrimonio non relinquuntur, sed aliis sese matri-

monio conjungendi facultas datur, Ecclesiâ seu S. Pontifice pro cautela solvente vinculum prioris matrimonii, idque jam ipsa lege, qua vetat, ne in priore matrimonio maneant.

3) Si qui infideles in ulterioribus cognationis gradibus, qui certo juris tantum ecclesiastici impedimenta inducant, matrimonium inierunt, post conversionem in suo matrimonio tamquam valido relinquuntur.

Punctum II.

Cognatio spiritualis.

1. Spiritualis cognatio est, quae oritur ex *collato baptismo,* vel *con-* 1065
firmatione.

Exsistit autem nunc ex Trid. sess. 24 *de ref. matr.* c. 2: 1) inter sacramenti *ministrum et subjectum;* 2) inter *ministrum sacramenti et parentes* ejus qui sacramentum suscepit; 3) inter *patrinum vel matrinam* et sacramenti *subjectum;* 4) inter *patrinum et matrem* baptizati vel confirmati, et inter *matrinam et patrem* baptizati vel confirmati.

Non exsistit: 1) inter ministrum et patrinos; nec 2) inter patrinum et matrinam.

2. Ut illud impedimentum exsistat, 1) debet *uterque eorum, de quibus agitur, esse baptizatus;* 2) *sacramenti collatio non debet esse mere dubia.* Accuratius haec nota:

1) Baptismus in omnibus requiritur aut susceptus, aut qui nunc suscipiatur; ita quidem ut, si alteruter eorum, qui pro spiritualiter cognatis enumerati sunt, baptizatus non sit, re vera non fiant mutuo cognati, neque a matrimonio post baptismum ineundo impediantur: vide Sanchez *de matrim.* l. 9 d. 62 n. 6 et 7.

2) Requiritur pro patrinis, ut valide fuerint patrini. Igitur: a) ut habuerint animum gerendi munus patrini, b) ut non sint extra numerum designatorum (si modo designati adsunt et munus patrini gerunt), c) ut infantem vel per se vel per suum procuratorem aut in actu baptismi physice tetigerint (idque non solum momentanee summis digitis), aut statim postea ab ipso baptizante in manus receperint, vel eum immediate sacerdoti baptizandum praesentaverint. — Pro confirmatione in patrino eadem intentio atque similis actio requiritur, atque probabiliter etiam insuper, ut ipse confirmatus sit. S. Alph. l. 6 n. 186.

3. Dubia quaedam moventur in baptismo conditionato et 1066
privato.

1) Ex baptismo *conditionato* tunc contrahitur cognatio spiritualis et impedimentum matrimonii, quando praesumptio est pro nullitate prioris baptismi et valore secundi; si autem potius praesumptio est pro valore prioris baptismi, quamquam non ea certitudo, quae conditionatam repetitionem prohibeat, impedimentum dirimens probabiliter non inducitur, i. e. practice tum non adest dirimens impedimentum. Ita S. Alph. l. 6 n. 151.

2) Idem S. Doctor n. 149 admittit sententiam, in baptismo *privato* patrinos, si adhibeantur, non contrahere cognationem, contrahere autem cognationem cum baptizato ejusque parentibus baptizantem: ita etiam

Heiss § 38 III aliique. S. C. C. quidem potius est ex parte eorum, qui etiam quoad patrinos statuunt cognationem, ut in solemni baptismo.

4. Si *parentes propriam prolem* legitimo matrimonio natam extra casum necessitatis *baptizaverint*, a multis dicitur, eos privatos esse jure petendi debitum conjugale: verum satis probabile est, hoc impedimentum non induci. Cf. *Theol. mor.* n. 757—759.

Punctum III.

Cognatio legalis.

1067 1. Hoc impedimentum, ex lege Romana civili desumptum, Ecclesia confirmante, vere evasit lex matrimonium dirimens. Inducitur per *adoptionem perfectam*, quae etiam arrogatio dicitur. V. Decretal. l. 4 tit. 12.

Perfecta autem adoptio, quae dirimit matrimonium, et ab imperfecta distinguitur, has praecipue conditiones habet essentiales: 1) ut filius adoptivus in potestatem patris adoptivi transeat, desinatque esse sui juris, 2) ut non tantum sit haeres legitimus ab intestato, sed etiam *haeres necessarius*. — Quodsi in recentioribus juribus non iidem plane effectus adoptioni adscribuntur, si modo *primus* effertur, videtur pro impedimento standum esse: in dubio adeunda est S. Congregatio.

1068 2. Personae vero, inter quas impedimentum dirimens exsurgat, hae sunt:

1) Adoptans et adoptatus cum ejus descendentibus, qui, stante adoptione, sunt aut erant sub adoptati potestate — est cognatio ex quasi-consanguinitate in linea recta.

2) Adoptatus et uxor adoptantis, et vice versa uxor adoptati et adoptans — est cognatio ex quasi-affinitate primi gradûs in linea recta.

3) Adoptatus cum suis descendentibus [ut supra in 1)] et filii adoptantis sub ejus potestate constituti — est cognatio ex quasi-consanguinitate in linea collaterali.

3. Discrimen autem inter personas, quae n. 1) et 2) et eas, quae n. 3) comprehenduntur, illud est, ut inter personas sub n. 1) et 2) sit impedimentum *perpetuum*, quod sola dispensatione auferri possit; inter personas n. 3) impedimentum *temporaneum*, videlicet tamdiu, quamdiu durat subjectio aut filiorum naturalium aut filii adoptivi sub potestate adoptantis. Cf. *Theol. mor.* n. 759 et 760.

§ 10.

Impedimentum affinitatis.

1069 1. *Affinitas est vinculum propinquitatis, quod exsistit inter eum, qui carnali copula alicui junctus est, et inter compartis consanguineos.* — Gradus autem et linea desumuntur ex gradu et linea consanguinitatis, ad quam affinitas relationem dicit.

2. *Affinitatis radix igitur est copula carnalis sive licita in matrimonio, sive illicita extra illud.* Quare, qui ipse carnalem copulam non habuit, eos solos habet affines, qui suis consanguineis carnaliter conjuncti fuerunt; qui vero carnalem copulam habuit, praeterea pro affinibus habet consanguineos suae compartis.

Gradus Affinitatis.



NB. Ut igitur invenias v. g. Petri et Berthae affinitatem, institue computum consanguinitatis sive inter Petri conjugem vel compartem et Bertham, sive inter Petrum et Berthae compartem.

3. *Affinitas ex legitimo matrimonio orta impedimentum dirimens est usque ad 4^{tum} gradum inclus., ex illicito concubitu orta usque ad 2^{dum} gradum inclus. tantum:* idque ex solo jure ecclesiastico, si forte eximas primum gradum lineae rectae ex legitimo matrimonio ortum.

4. *Copula ut radix affinitatis debet esse perfecta* seu talis, ex qua generatio possit per se sequi. Praesumitur tamen perfecta, si ita fuit ex parte viri: nisi forte de defectu ex parte mulieris constet.

Quare si in pueritia crimen commissum esset, affinitas non censetur adesse, si alteruter eorum qui inter se peccaverunt, fuit infra aetatem pubertatis; si vero anni pubertatis adfuerunt, ut judicari possit abesse affinitatem, defectus probari debet. Cf. *Theol. mor.* n. 762.

1070 5. Post contractum matrimonium conjuges inter se affines evadere possunt ex alterutrius crimine cum alterius consanguineis (sed non ultra *secundum* gradum). Quod si obtinuerit, in poenam ille, qui commisit incestum, ab Ecclesia privatur jure *petendi* debitum conjugale, quum reddere *debeat*. Ab hac poena autem excusat: 1) coactio vel oppressio; 2) imo etiam gravis metus qui ad peccatum impulerit; 3) ignorantia legis ecclesiasticae, idque probabiliter etsi *sola poena ignorabatur*. — Ceteroqui solum peccatum completum hac poena afficitur.

§ 11.

Impedimentum publicae honestatis.

1071 1. Publica honestas est affinitati similis. Loco carnalis conjunctionis sume matrimonium nondum consummatum vel sponsalia, et pro affinitate habes publicam honestatem.

2. *Publica honestas ex sponsalibus oriunda* — idque quum primum sponsalia valida et absoluta evaserint, etsi dein iterum fuerint dissoluta — *dirimit matrimonium in primo gradu tantum;* ergo cum sponsae matre, sororibus, filiabus.

3. *Publica honestas ex matrimonio, etiam invalido, impedimentum dirimens constituit usque ad 4^{tum} gradum inclus.* Verum hîc attendas quasdam exceptiones: 1) non oritur impedimentum *in praejudicium prioris sponsae* ex matrimonio cum sorore etc. sponsae invalide contracto; 2) non oritur ex matrimonio quod nullum sit *ex defectu veri consensûs vel metu;* 3) non oritur ex matrimonio invalido, quod ne speciem quidem veri matrimonii habuit, atque ita neque ex matrimonio *civili* in iis saltem locis, ubi clandestina matrimonia nulla sunt, ex decreto 17. Martii 1879. 4) Ex matrimonio nullo propter *aetatis defectum* publica honestas oritur tantum ut ex sponsalibus.

§ 12.

Impedimentum criminis.

1072 Crimina, propter quae impedimentum dirimens statuitur, sunt: adulterium, conjugicidium, raptus. De ultimo crimine postea dicturi sumus, quum ibi non solius criminis causâ impedimentum statuatur.

I. Primum igitur crimen est: *Adulterium cum fide mutuo data de matrimonio post mortem compartis contrahendo.*

Conditiones, quae adesse debent, ut dici possit impedimentum subsistere, sunt: 1) Adulterium *formale* ex utraque parte; ita ut ignorantia alterutrius peccantium impedimentum auferat. Ita colligitur ex Decretal. l. 4 tit. 7 cap. 1, ubi S. Pontifex virum non esse separandum decernit a muliere, quam stante suo matrimonio priore cognoverat, sed matrimonii *ignaram;* atque ex communi DD. sententia confirmatur: v. S. Alph. l. 6 n. 1036 V.

2) Adulterium *consummatum.* Nam odiosa sunt stricte sumenda, nec vocatur stricto sensu adulterium, nisi copula consummata: imo S. Alph. l. c. IV. dicit „merito probabilem" opinionem, quae requirit consummationem ex utraque parte, seu completum actum etiam ex parte mulieris. Quare si mulier completionem actûs certo cohibuerit — nisi forte conceptio secuta sit — possit aliquis auctoritate tanta confisus impedimentum *nullum* considerare; et si haec sententia in se falsa esset, Ecclesia suppleret.

3) *Promissio* futuri matrimonii debuit esse *seria* ex utraque parte, et aliquo modo *acceptata:* seu debet promissionis esse acceptatio talis, quae repromissionem quoque indicet: ita ut verum sit, eos fidem sibi dedisse. Ita cum S. Alph. l. c. alii bene multi.

4) Promissio debet cum adulterio ita conjungi, ut utrumque *tempore ejusdem matrimonii* factum sit: quare aut debet promissio subsequi adulterium, aut, si antecessit, debuit ante adulterium non esse retractata.

NB. Idem impedimentum dirimens habetur, si loco „mutuae promissionis" adest *matrimonium attentatum:* v. Lacroix l. 6 part. 3 n. 621, S. Alph. n. 1042; ita ex Decretal. l. 4 tit. 7 cap. 2 *„Significavit"* et cap. 4 *„Ex litterarum"*.

II. Secundum crimen impedimentum creans inter reos est: *Adul-* 1073
terium cum machinatione mortis, seu crimen *„uno patrante"*.

Requiritur videlicet 1) adulterium, ut supra.

2) Loco mutuae promissionis sufficit, ut alter ex adulteris conjugicidium (aut proprii aut alterius conjugis) sive physice sive moraliter commiserit, idque intuitu matrimonii cum complice adultero ineundi. Quae intentio aliquo externo signo seu externis conjecturis se utique prodere debet; at practice prava illa mens ex subsequenti matrimonii tractatione facile colligitur: v. S. Alph. l. c.

3) Mors debet realiter ex crimine esse secuta.

4) Non requiritur, ut alterius crimen alter cognoverit vel cognoscat.

III. Tertium crimen est: *Conjugicidium cum conspiratione,* seu 1074
„utroque patrante".

Requiritur nimirum: 1) conspiratio utriusque in necem alterutrius conjugis; 2) mors ex tali conspiratione revera secuta; 3) intentio matrimonii saltem ab alterutro conspirantium habita, atque ita habita, ut hac de re externe aliquo modo constare possit. Id ex probabili auctorum interpretatione colligitur, quamquam ipsum jus scriptum haec non ita clare exprimit: quod approbatur a S. Alph. l. c. 1034 et Feije op. cit. n. 453.

Notandum 1. Conjugicidium adeo constituit impedimentum dirimens, ut ne tum quidem Ecclesia ad ineundum matrimonium complices admittat, si unus infidelis, fidelis alter fuit, et ope fidelis alter

nunc ac fidem catholicam etiam conversus est. — Ita clare habetur in Decretal. l. 3 tit. 33 cap. 1. Idem ex paritate causae dicendum est, si crimen I. aut II. intercesserit, si modo in II. crimine conjux *fidelis* machinationem mortis commisit.

Notandum 2. Si cum conspiratione in conjugicidium adulterium et promissio conjunguntur, erit *duplex impedimentum.*

Notandum 3. Hoc impedimentum, quod certe rationem *poenae* habet, non pauci putant non incurri, si uterque ignarus sit poenae. Ea opinio non ante factum quidem, si de matrimonio *contrahendo* agitur, consulenda est; verum si de matrimonio *contracto* sermo est, attendi debet, ne praepropere usus matrimonii interdicatur. *Theol. mor.* n. 767—770.

§ 13.

Impedimentum raptûs.

1075 Quomodo et quamdiu inter raptorem et raptam impedimentum exsistat, habes ex Trid. sess. 24 *de ref. matr* cap. 6: „*Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.*“

Igitur: 1. Cum raptore, i. e. qui pro se mulierem sive rapit sive rapiendam curat, mulier illa non potest matrimonium contrahere.

2. Hoc impedimentum *temporaneum tantum* est, ita tamen, ut quamdiu mulier in potestate raptoris maneat, ipsa ne libero et voluntario quidem consensu facere possit, ut verum matrimonium exsurgat. Valent nimirum ea, quae de impedimento metûs dicta sunt.

3. Raptus, qui impedimentum hoc inducat, debet esse *mulieris invitae abductio injusta, matrimonii ineundi causa.* Ergo requiritur 1) ut *mulier* abducatur; 2) ut abducatur *de loco in locum* moraliter diversum, non sufficit e cubiculo in vicinum cubiculum; 3) ut abducatur *matrimonii causa,* non solum ad implendam libidinem; 4) ut abducatur *injuste:* quare si raptum praecesserit conventio seu contractus, ex quo viro jus oriatur ad habendam mulierem uxorem, impedimentum non inducitur; 5) ut abducatur mulier invita: aliter fugam habes; at non requiritur vis illata, sufficit fraudulenta circumventio, quam adesse non ita raro sumi potest, si agitur de puella sub potestate paterna constituta, quae invitis parentibus abducitur.

§ 14.

Impedimentum clandestinitatis, seu: de forma substantiali, qua matrimonium contrahi debet.

1076 Clandestinitas, a Trident. Conc. post diuturnam discussionem et pugnam pro impedimento dirimente declarata, nova prorsus impedimenti species est. Quum enim aliis legibus matrimonium irritantibus *ipsi contrahentes* immediate afficiantur, eorumque consensus mediate seu propterea nullus sit, quia contrahentes sunt inhabiles: hac clandestinitatis lege ipse consensus seu externa *consensûs forma* immediate

afficitur, et mediante legalis consensûs defectu ipsi contrahentes inhabiles fiunt.

Lex autem Tridentina haec est: „*Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.*“

Porro ut omnia, quae de clandestinitatis lege scitu necessaria sunt, clarius pateant, agemus 1) de objecto seu de re, quam praescribat lex Tridentina; 2) de extensione et limitatione hujus legis, seu *quosnam* liget, quos non liget.

Punctum I.

De re, quam lex clandestinitatis praescribat.

Res praescripta exprimitur paucis, si dicimus *praesentiam proprii* 1077
parochi et duorum saltem testium. Quare videndum est tum, qui sit legitimus parochus ejusve delegatus, tum quo modo parochus aliique testes assistere debeant.

Parochus proprius est sive sponsi sive sponsae, etsi consuetudo in multis locis parochum sponsae praeeligat.

Nota vero 1. *Proprius parochus dicitur ratione domicilii aut quasi-domicilii alterutrius sponsorum: vagi ubique coram parocho loci contrahere possunt.*

2. *Parochus intelligitur tum parochus proprie dictus, quamdiu parochus manet, tum ii, qui eminenter parochi jurisdictionem habent.* Hinc: Episcopus et Vicarius generalis pro tota dioecesi, similiter alius Praelatus quasi-episcopalem jurisdictionem in certo territorio exercens pro illo loco; Archiepiscopus tempore visitationis etiam in dioecesi suorum suffraganeorum, nisi quoad hoc ejus jus restrictum est, uti revera est in Germania; Legatus Apostolicus in provincia suae legationis; Papa pro tota Ecclesia.

3. Quicunque ordinario jure matrimoniis assistere potest, id *alii* 1078
sacerdoti potest delegare: delegatio praesumpta non sufficit.

4. Magni momenti est scire, quid requiratur, ut aliquis quoad matrimonii causam acquisiverit domicilium vel quasi-domicilium. Sufficit reipsa ad hoc, ut se suaque bona ex magna parte aliquo transferat, cum intentione ibi perpetuo habitandi; ad quasi-domicilium sufficit translatio cum intentione per magnam anni partem ibi ut incola manendi: non sufficit voluntas precario modo ibi manendi ad finem negotii usque, quod diutius protrahi et brevi finiri possit. — Nisi tamen alia argumenta mutati domicilii vel acquisiti quasi-domicilii satis certa adsint, ad matrimonium admitti nequeunt novae incolae, nisi illam suam voluntatem per habitationem *unius saltem mensis* comprobaverint.

NB. Quoad *Status Amer. sept. foederatos* Leo XIII. 12. Maji 1886 sanxit, ut pro iis, qui e loco, ubi viget lex Trid. alio se conferant, continua commoratio unius mensis sine ulteriore animo habitandi ad quasi-domicilium in ordine ad matrimonium sufficiat.

1079 Modus assistendi, *quoad matrimonii valorem talis esse debet, ut percipiatur consensus ab utroque sponso dandus, sive auditu, sive visu.* Quod quidem pro parocho non est difficile. Sed id adverti debet, necessarium esse, ut *simul* cum parocho etiam duo saltem testes eundem consensum percipiant: quare per se id agendum est, ut testes prope accedant ad contrahentes et attenti reddantur eo ipso tempore, quo consensus declarandus est; verum testes illi *absolute possunt* consensum datum colligere ex toto agendi modo sponsorum et parochi. — Parochus qui solum affectaret se non audire vel videre contrahentes, aures obturans et claudens oculos, nihilominus censetur consensum satis intellexisse, ita ut matrimonium propterea non sit invalidum. Cf. *Theol. mor.* n. 774—780.

Punctum II.

De extensione et limitatione legis clandestinitatis, seu ubinam vigeat.

1080 I. Generalia. 1. *Exemptio a lege clandestinitatis, si qua est, non tam personalis, quam potius territorialis est:* seu mediante territorio multi ab hac lege eximi possunt, ita ut valide, etsi per se non licite clandestine contrahant.

2. Exemptio haec nititur in diversis rationibus, quae sunt: 1) *promulgatio alicubi non facta,* 2) *desuetudo* diuturna, 3) *dispensatio* a S. Pontifice concessa, 4) *diuturna impossibilitas tuto accedendi* ad parochum ejusque delegatum. Quae ut magis declarentur, sit:

Regula 1. Clandestina matrimonia (clandestina vocamus omnia, in quibus lex Tridentina utcunque non est plene servata) valent, si *in loco, ubi lex Tridentina non viget,* matrimonium contrahitur ab iis, quorum alteruter: 1) ibi habet domicilium, 2) aut quasi-domicilium, 3) aut vagus est, 4) aut advena ex loco, ubi pariter lex Trid. non viget; *fortasse* 5) si advena ex loco, ubi lex Trid. viget, non tamen ob finem matrimonii contrahendi alienum locum est ingressus: (verum etiamtum quando sine illo fine alienum locum ingressus est, ille casus n. 5 controversiae subjicitur.)

Regula 2. Clandestina matrimonia non valent: 1) si utcunque contrahuntur in loco, ubi viget lex Tridentina, a quibuslibet; 2) si in loco, ubi non viget lex Tridentina, contrahuntur ab iis, quorum uterque *advena est ex loco, ubi viget,* atque in fraudem legis, i. e. in hunc finem, ut contraherent matrimonium, e suo loco recesserunt. (NB. Advenam seu peregrinum distingue semper a vago.)

Regulae illae eruuntur ex responsis S. Congregationis Concil. sub Urbano VIII. ad Archiep. Coloniensem datis et a Bened. XIV. in epist. ad Archiep. Goan. relatis.

3. Si ultra mensem accessus tutus ad parochum ejusve delegatum *generatim* non patet, sufficit contrahere coram duobus saltem testibus.

1081 II. Gravissima quaestio est, num *haereticorum matrimonia* Tridentinae legi contra clandestinitatem latae subjaceant, sicut certissime aliis canonicis impedimentis afficiuntur. Circa quam quaestionem respondeo ita:

Regula 1. Matrimonia et haereticorum et matrimonia mixta *valida* sunt:

1) si in illa regione lex Tridentina nullatenus promulgata est;

2) si promulgata quidem est, sed eo tempore, quo acatholici jam habebant pacificum religionis suae exercitium, atque in ea regione sua templa suosque ministros habebant: ita nunc communius censetur;

3) si regio illa post promulgationem decreti Tridentini haeretica evasit, ita ut aut etiamnunc haeretica sit, aut saltem diuturno tempore catholicae religionis exercitium diu plane jacuerit nec nisi pro catholicis postea facta sit promulgatio;

4) si specialis concessio seu dispensatio a S. Sede data est.

Regula 2. E contrario, seclusa speciali S. Sedis dispensatione, *invalida* habeo haereticorum matrimonia et matrimonia mixta clandestine contracta (quamquam, si de tali matrimonio solvendo vel pro nullo declarando agitur, ad S. Sedem per se recurrendum est):

1) si haeretici in regione, ubi Tridentinum publicatum est, inter catholicos permixti vivunt sine propria communitate legaliter agnita propriisque templis;

2) si, extra casum *supra* 3), quum publicabatur Tridentina lex, haeretici distinctam societatem nondum efformabant, quamquam *nunc* efformant.

III. Practica comprehensio diversarum regionum, pro 1082
quibus valeat, vel non valeat lex Tridentina sive per non promulgationem sive per dispensationem.

A. *In Europa.* Promulgatio legis Tridentinae **facta non est:**
in Anglia, Scotia, in provinciis Borussiae presse dictae, Pomerania et Brandenburg, in *aliquibus* Helvetiae *pagis,* in Saxonia, Suecia, Norvegia, Dania, *in antiquo episcopatu* Bremensi, in *aliquibus* Bavariae *locis.*

NB. Nihilominus in singulis illis regionibus pro catholicis videri debet, num forte post constitutam catholicorum parochiam *pro iis* promulgatio Tridentinae legis sit facta: secus non habebis certitudinem de valore matrimoniorum clandestinorum nisi quoad matrimonia tum protestantium, tum mixta.

B. Subnectam igitur e contrario regiones Europae, in quibus lex 1083
Tridentina **plene viget,** sc.:
in Italia, Lusitania, Hispania, Gallia, Austria (presse sumpta), Belgio hodierno, ex Neerlandia in *dioecesis* Ruraem. quam maxima parte et in aliis locis paucis, in ducatu Luxemburg, in Bavaria (exceptis aliquibus locis in quibus propter promulgationis tempus lex non valet pro matrimoniis haereticorum et mixtis); in plerisque regionibus provinciae ecclesiasticae Rheni Superioris (neque voluit S. Sedes dispensationem dioecesibus Colon., Trevir. etc. datam ad alias illas dioeceses extendere; attamen in singulis locis accuratius videri debet, *sitne* vere lex Tridentina promulgata et *quando*).

C. Seposita quaestione de Bavaria et de provincia Rheni Superioris, 1084
lex Trid. singulis locis **non plene viget,** ita ut *saltem* matrimonia mixta, vel etiam haereticorum clandestine inita valida sint:
in *Archidioecesi* Coloniensi cum dioecesibus suffragan.,

dioecesi Wratislaviensi, *dioec.* Culm., *dioec.* Gnesn. et Posnanensi, in Hungaria et Transsilvania: Russia, Polonia regno Russiaco subjecta, Valachia et Bulgaria, Neerlandia (exceptionem v. supra), in Hibernia.

1085 D. De regionibus *extra Europam* difficile est, accuratum aliquid statuere.

Restringo me ad indicandas regiones Americae Septentr. Stat. Foeder. ex relatione Conc. III. plenar. Baltimor., et regiones Amer. Britann. ex Konings, *theol. mor.* n. 1607 seq.

Ante omnia noto, matrimonia haereticorum et mixta lege Tridentina non attingi[1]. — Dein **non observatur:** 1. In provincia Oregon, imo promulgatio alicubi facta a S. Sede annullata est.

2. Neque servatur in provinciis Baltimor., Philadelph., Neo-Eborac., Boston., Milwaukiensi.

3. Neque obligat in *maxima parte* provinciarum: Cincinnatensis, S. Ludovici, Chicago.

4. In America Britannica non observatur in *dioecesi* Ottawa prov. Quebec, in tota provincia Halifax, in Canada Superiore, neque in *Vicariatu Ap.* Sault S. Mary.

E contrario **observatur:** 1. In provinciis Neo-Aurelianensi; Sanctae Fidei (excepta parte sept. territorii Colorado); S. Francisci cum territorio Utah, excepta ea parte quae est ad orientem fluminis Colorado; in *dioecesi* Vincenopolitana provinciae Cincinnat.; ex *dioecesi* S. Ludovici (provinc. ejusdem nominis) in *ipsa civitate* S. Ludovici cum locis S^ae^ Genovefae, S. Ferdinandi et S. Caroli; in *dioecesi* Alton provinc. Chicago *in aliquibus parochiis*, sc. Kaskaskia, Cohakia, French Village, Prairie du Rocher.

2. In America Britannica observatur in provincia Quebec, excepta dioecesi Ottawa, in provincia S. Bonifacii. — Cf. *Theol. mor.* n. 780—790: ubi tamen dele in n. 785 nomina *Constantinop.* et *Ulm.*

Caput III.

De impedimentis matrimonii tollendis.

§ 1.

De potestate dispensandi.

1086 1. *S. Pontifex in omni impedimento juris ecclesiastici, isque solus sine causa, dispensare potest. Episcopi aliique, qui a S. Pontifice potestatem dispensandi acceperunt, non possunt valide sine justa causa dispensare, neque aliter dispensationem concedere possunt, nisi secundum normam a sancta Sede descriptam.*

[1] Difficultas solum est circa provinciam Sanctae Fidei. Nam pro aliis provinciis, in quibus lex Tridentina per se viget, declaratio Benedictina pro Hollandia data, per S. Sedem expresse extensa est; sed haec extensio pro provincia S. Fidei est negata: quare ibi quaestio de valore matrimoniorum haereticorum et mixtorum ex principiis communibus dijudicandum est secundum ea, quae modo dicta sunt n. 1081.

2. *Episcopi ordinaria (quamquam non propria) potestate — ergo etiamsi speciale privilegium a sancta Sede non acceperunt — dispensare possunt:* 1) *in impedimentis occultis, si causa ita urget, ut recursus ad sanctam Sedem haberi nequeat;* 2) *in impedimentis dubiis dubio facti, quando pro impedimenti exsistentia magna praesumptio non est: atque hanc potestatem pro suo arbitrio aliis delegare possunt.*

In aliis vero causis id tantum possunt, quod per privilegium Summi Pontificis illis concessum est: in remotioribus locis solet ampla facultas concedi.

3. Summus Pontifex suam potestatem per varia tribunalia exercere consuevit, Datariam et Poenitentiariam: prior est pro foro externo, altera per se pro interno foro, verum *nunc* frequenter aditur etiam pro foro externo, cujus tum forma observanda est.

4. Pro majore minoreve difficultate dispensandi nota: 1087

1) A dispensatione videlicet *penitus excluduntur* sequentia impedimenta: a) Defectus consensûs, b) error (non tamen error conditionis servilis), c) vis sive metus, d) ligamen, e) consanguinitas in linea recta et in primo gradu laterali, f) affinitas in primo gradu lineae rectae ex legitimo matrimonio exorta.

2) *Vix unquam* dispensatio concedi consuevit in: a) Cultûs disparitate in regionibus fidelium; b) crimine conjugicidii publico; c) affinitate primi gradûs lineae rectae ex crimine orta, si publicum factum est; d) sacro ordine vel religiosa professione solemni.

3) Impedimenta, in quibus dispensatur quidem, sed quorum dispensatio *graviores omnino causas* requirat, haec sunt: a) Consanguinitas in secundo gradu, maxime si simul attingit primum; b) cognatio legalis; c) cognatio spiritualis inter levantem et levatum (a fortiori inter baptizantem et baptizatum); d) crimen cum mortis machinatione, etsi non publicum; e) publica honestas ex *matrimonio* exorta, saltem in proximo gradu; f) defectus aetatis; g) clandestinitas.

4) Impedimenta igitur, in quibus *ex causis minus gravibus* dispensatur, sunt: a) consanguinitas et affinitas in tertio et quarto gradu; b) publica honestas ex sponsalibus orta; c) crimen adulterii tantum „neutro machinante"; d) cognatio spiritualis *compaternitatis;* e) attamen etiam impedimenta graviora supra recensita, si occulta sunt et ex crimine orta, maxime post matrimonium quoad externam speciem contractum.

§ 2.

De causis dispensandi.

Uti dictum est, dispensatio non sine causa conceditur. Neque 1088
omnis causa pro omni impedimento pro sufficienti haberi potest.

Distinguuntur causae honestae et inhonestae; causae finales seu *motivae* et causae *impellentes.* Causa finalis seu *motiva* ea respicit, quae sibi attingenda aut removenda legislator dispensans proponit, v. g. prolis legitimationem, scandalum et infamiam auferenda vel praecavenda, difficultatem puellae inveniendi virum, cui convenienter nubat et similia: sunt igitur internae rationes, cur dispensatio concedatur, seu quas ipsa dispensatio respiciat. Causae impellentes sive *impulsivae* di-

cuntur eae, quae dispensantem movent, ut facilius dispensationem concedat, quae causam motivam supponunt.

1. *Valor dispensationis et subsequentis matrimonii corruit, si causa motiva vera et sufficiens non exsistit; non corruit, si, exsistente quidem et allegata veraciter sufficienti causa, etiam alia falso addita erat.*

2. *Facilius omnino, etiam in propinquioribus gradibus, dispensatur ex causis inhonestis, quam ex honestis;* siquidem in illis semper quaedam necessitas seu malum avertendum habetur.

1089 3. Praecipuae causae canonicae, quae pro diversitate impedimentorum secundum Instructionem S. C. de Propag. F. 9. Maji 1877 admittuntur, sunt:

1) *Angustia loci* pro muliere, videlicet si locus domicilii 300 focos non habet; 2) *aetas mulieris superadulta:* si 24^{um} aetatis annum jam egressa virum paris conditionis nondum invenerit; 3) *incompetentia dotis*· 4) *lites* super successione bonorum *exortae vel impendentes*, in quibus vir cognatus causam facile defendat; 5) *paupertas viduae prole numerosa onustae;* 6) *bonum pacis* restaurandae per certum matrimonium; 7) *suspecta familiaritas*, quae facile impediri non possit; 8) *copula* habita cum persona illa impedita; 9) *infamia mulieris* sive ex crimine vero sive ex falsa ejus suspicione orta; 10) *revalidatio matrimonii* invalide contracti; 11) *periculum matrimonii mixti;* 12) *periculum incestuosi concubitûs;* 13) *periculum matrimonii mere civilis;* 14) *remotio gravis scandali*, vel publici concubinatûs; 15) *excellentia meritorum.*

Quo graviores causae sunt, eo facilius sufficiunt etiam pro graviore impedimento; si vero leviores sunt, plures conjunctim sufficere possunt ad id, ad quod solae non sufficerent: sed tunc omnes illae causae enarratae verae esse debent. Causae 1—5 reputantur leviores, 6 et deinceps graviores.

§ 3.

De petitione dispensationis.

1090 1. Parochus aut confessarius, quando dispensatio per ipsum petenda est, primo videat, a quo debeat dispensationem petere; dein maxime attendat, quid necesse sit in petitione exponi.

Quando igitur a publico impedimento petenda est dispensatio, exponere debet nomen sponsorum, i. e. cognomen et nomen *integre* scriptum, adeoque v. g. ‚Andreas', non A., et locum atque dioecesim sive originis, sive actualis domicilii; idque faciendum est, sive per Datariam, sive per Poenitentiariam in forma pauperum (sive immediate, sive per Ordinarium) dispensatio concedenda speratur.

Censetur per se *publicum* impedimentum quaelibet consanguinitas, atque etiam facile affinitas ex illicita copula orta, si femina gravida evasit, modo agatur de matrimonio *contrahendo* (v. Bangen II. p. 169). Alioquin *occultum* dicitur impedimentum, si pauci tantum, iique prudentes, qui praevidentur rem silentio premere, conscii sunt; *omnino occultum* dicitur, si praeter impedimenti auctores nemo est, qui illud cognoverit, aut summum unus, qui probare illud non possit (v. infra § 4).

2. In publico impedimento triplici forma dispensatur: 1) in forma 1091
nobilium, 2) in forma ordinaria, 3) in forma pauperum. Omnes illae diversae dispensandi formae occurrunt apud Datariam. Attamen qui in forma pauperum dispensationem petunt, possunt, ut jam dictum est, literas etiam ad S. Poenitentiariam dirigere minoribus expensis.

In forma igitur pauperum, maxime apud Poenitentiariam, expensae longe minores sunt: sed petentes debent revera canonice pauperes vel fere pauperes esse, i. e. ex suo labore vel industria — adeoque etiam si ex salario muneris, quod gerunt — victum quaerere neque praeterea multa bona (qui extra Italiam vivunt, possunt circiter 3000 fr.) possidere. — Si vero bona hanc summam bonorum excedunt nonnihil, status fortunae, uti reipsa est, exponatur. — Qui, quum nullatenus inter canonice pauperes computari possint, tamen fraudulenter ut pauperes dispensationem quaesierunt, valide quidem, sed non licite dispensantur.

3. In casibus *fori interni* apud Poenitentiariam nulla fit distinctio diversae formae, neque taxa pecuniaria ulla imponitur; sed summum expensae in expeditione literarum necessariae solvendae sunt.

Literae melius quidem scribuntur linguâ latinâ; at quum cuilibet tribunali Romano praesto sint interpretes diversarum linguarum, absolute necessarium non est literas ad tribunalia Romana directas latinâ linguâ conficere. Verum si vernaculâ linguâ scribantur, id saltem observetur, ut scribens charactere latino utatur.

4. Ut vero literae, quibus dispensatio petitur, recte conficiantur, 1092
observanda sunt haec ex *Instructione,* de qua n. 1089:

1) *Nomina* „oratorum“ cum cognominibus *integre* scribenda sunt, cum loco domicilii et dioecesi, eaque non, ut classico sermone latino fortasse nominantur, sed quo vocantur in patria. — Si petitio fit in foro interno, ficta nomina adhibentur; sed nitide indicatur nomen et locus confessarii vel ejus, ad quem literae dispensatoriae dirigi debeant.

2) *Causa* vera motiva, ex qua petitur dispensatio, eaque canonica.

3) *Impedimentum* secundum *infimam speciem:* v. g. consanguinitas vel affinitas orta ex copula illicita aut licita, publica honestas ex sponsalibus aut ex matrimonio rato orta, cognatio spiritualis sitne inter levantem et levatum an ejus parentes et ita porro. (Nota tamen: si quis, uxore defuncta, quacum ante matrimonium etiam peccaverat, nunc ejus sororem vult ducere, sola affinitas ex legitimo matrimonio orta indicanda est. S. Poenit. 10. Dec. 1874.)

4) *Gradus* consanguinitatis etc.; qui si est mixtus, etiam propinquior indicandus est idque, saltem si de primo gradu agitur, *ad valorem* omnino requiritur. Item, ne invalida evadat dispensatio, indicandum est, si duplex vinculum consanguinitatis exsistit.

5) *Numerus* impedimentorum, v. g. si adest, ut modo dixi, multiplex consanguinitas vel affinitas (e. g. quae orta sit ex peccato cum compluribus consanguineis sponsae), atque non impedimenta solum dirimentia, sed etiam impedientia: aliter dispensatio erit *invalida.* Verum si unum impedimentum est publicum, alterum occultum (idem dic de circumstantiis indicandis), publica exponuntur apud forum externum, occulta apud forum internum, sed simul mentione facta publici impedimenti ejusque obtentae vel sperandae dispensationis.

6) *Variae circumstantiae,* ob quas dispensatio vel difficilior redditur, vel cum graviore poenitentia conjungi solet, v. g. agaturne de matrimonio contrahendo an jam contracto, idque malâ an bonâ fide, praemissis bannis et in facie Ecclesiae an illis legibus spretis, continuerintne sese post cognitam matrimonii nullitatem annon, inductumne sit causa dispensationis prava mente extorquendi ita ipsam dispensationem, an sine illa: haec omnia hucusque; attende tamen *nunc* sequentia sub 7).

1093 7) *Copulae incestuosae* inter ipsos sponsos commissae declaratio a die 25. Junii 1885 ex decreto Leonis XIII. non amplius exigitur[1], sicut neque amplius necesse est ad dispensationem, ut prava intentio per istud crimen dispensationem quodammodo extorquendi manifestetur.

Antea tum illa prava intentio tum incestus sine illa prava intentione declarari debebat: quousque sub poena nullitatis, acriter disputatum est. S. Poenitentiaria non semel declaraverat, debere hujus criminis declarationem fieri sive fuisset incestus formalis sive materialis, sive ante sive post petitam, sed nondum applicatam dispensationem commissus, sive etiam interea iteratus; atque incestus late intelligebatur non solum de peccato inter consanguineos sponsos vel affines, sed etiam inter eos, qui spirituali vel legali cognatione vel publica honestate conjuncti essent. — Quae igitur omnia *pro dispensationibus post diem 25. Junii datis* abolita sunt.

Ceterum etiam antea, quando in foro externo non in forma pauperum dispensatio petebatur, necessitas declarandi incestûs inter ipsos sponsos commissi non ita late patebat. Cf. *Theol. mor.* n. 811.

8) Tandem expedit statim indicare, si qua ex clausulis in dispensatione ex praxi curiae apponendis observari non possit, ut statim petatur ejus remissio.

9) Inscriptio literarum foris quidem est, si ad Poenitentiariam diriguntur, *„Eminentissimo Principi, Reverendissimo D. D. N. Cardinali N., Romam“,* allocutio in literis ipsis item: *„Eminentissime Princeps, Reverendissime Domine“;* si ad Datariam diriguntur, allocutio est: *„Beatissime Pater“,* foris sive: *„Ad Sanctissimum D. N. N. N., Summum Pontificem, Romam“,* sive etiam: *„Em. Principi, R^mo D. D. N. Cardinali N. Pro-Datario, Romam“;* vel inscriptio foris fiat idiomate italico.

§ 4.

De concessione et exsecutione dispensationis.

1094 In foro interno semper *committitur* confessario dispensatio; in foro externo generatim per Ordinarium parocho committitur inquisitio eorum quae praescribuntur, quibus peractis Ordinarius publico instrumento dispensat ex S. Pontificis mandato.

[1] Vidi quidem, aliquos sustinere etiamnunc *gravem obligationem* declarandi incestûs commissi; verum huic opinioni non assentior. *Orta* enim est *obligatio* declarandi ex eo, quod incestus fuerit impedimentum impediens et propterea induxerit nullitatem dispensationis in impedimento dirimente, nisi ipse etiam declaratus fuerit; paucis ratio obligationis erat necessitas declinandi nullitatem: quae ratio quum cesset, cessare videtur omnis obligatio. Quod, postquam scripsi, confirmatur ex doctrina, quam hac in re Romae vigere comperi.

Utriusque igitur fori clausulas praecipuas sacerdos cognoscat oportet.

I. Clausulae praecipuae fori interni: 1. *„Si preces veritate nitantur“:* in qua re confessarius poenitenti per se credere debet.

2. *„Audita prius sacramentali confessione“:* quae *necessaria* est, non ita absolutio, quam differendi potest justa causa exsistere.

3. *„Sublata occasione peccandi“*, i. e. sive re, sive animo reddendo occasionem ex proxima remotam.

4. *„Dummodo impedimentum sit occultum“:* notitia 5, vel pro circumstantiis etiam 10 personarum non obstat; si dicitur „omnino occultum“, notitia *unius*, qui accedentibus indiciis rem in judicio probare possit, obstat.

5. *„Injuncta gravi poenitentia“* — quae, si a Poenitentiaria determinata est, sub poena nullitatis debet ipsa imponi; alioqui taxanda est ex arbitrio confessarii, poenitens sub poena nullitatis eam acceptare saltem debet. Si additur „gravi *et longa*“, intelligitur *saltem per annum* v. g. quavis hebdomada semel jejunare, aliquoties in hebdomada rosarium recitare et similia; si additur *„et diuturna“*, intellige saltem per tres annos; si dicitur *„gravissima“*, plura ex operibus indicatis quavis hebdomada peragenda impone.

6. *„Dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur.“* Quare si impedimentum postea fortasse publicum evaserit, novâ dispensatione opus est, nisi forte, petentibus conjugibus, confessarius de data dispensatione fidem facere possit. — Hac de re statim igitur poenitentes monendi sunt.

7. *„Praesentibus laceratis sub poena excommunicationis etc.“* Clausula sic intelligitur, si apposita est, ut saltem infra triduum post applicatam dispensationem literae *destruantur*. — Quodsi ad confessarium a poenitentibus eligendum literae diriguntur, iique diversum eligunt, posterior confessarius literas destruere debet.

8. *„Certiorata altera parte de nullitate matrimonii, ita caute tamen, ut oratoris delictum non cognoscatur.“* Quae clausula apponi solet, si agitur de matrimonio jam contracto, sed ex crimine alterutrius invalido. Clausula haec saepe difficulter impletur: quare si ita est, ejus clausulae remissio statim peti potest. Recenti tempore non raro S. Poenitentiaria providit aliâ clausulâ, qua in casu necessitatis permittit, ut agatur secundum auctores probatos, videlicet, ut liceat sistere in renovatione consensûs ex parte ejus, qui nullitatis conscius est.

II. Clausulae praecipuae pro foro externo: 1. *„Si vera sint exposita.“* 1095
— Hinc, etsi informatio fieri *debeat*, tamen *valor* dispensationis non a facta inquisitione, sed ab ipsa sola rei veritate pendet.

2. *„Imposita eis pro modo culpae salutari poenitentia“:* de quo supra[1].

3. *„Dummodo super petita dispensatione recursus ad Apostolicam*

---

[1] Antea addebatur etiam clausula, quae post decretum Leonis XIII. d. d. 25. Junii 1885 non amplius tanti momenti erat, et reipsa nunc suppressa est, scilicet: „Recepto prius ab eis juramento, quod sub spe facilius assequendae dispensationis, incestum non commiserint“ — intellige non spem concomitantem, sed crimen *in hunc finem* commissum; quodsi uterque hujus pravae intentionis reus erat, sed perjurus negaverat, dispensatio *erat* nulla, etsi per Datariam expedita esset.

Datariam factus non sit.„ Quam clausulam S. Poenit^ia in causis publicis apponit, ne fiat collisio inter tribunalia.

4. *„Ipsos ab incestûs reatu . . . et censuris incursis . . . in utroque foro dispenses.“* Nimirum si qua censura aliave poena contra incestum statuta sit, hanc, postquam causa pro dispensatione ad S. Sedem delata est, nemo remittere potest, nisi ab ipsa S. Sede facultatem acceperit: quia *tota causa* censetur tunc S. Sedi reservata. Plura in *Theol. mor.* n. 819 sq.

§ 5.

De matrimonio revalidando.

1096 I. Duplex est modus revalidandi matrimonii, ordinarius unus, alter extraordinarius, qui fit per sanationem in radice. — Ordinarius modus ille est, ut, *dispensatione applicata,* nunc matrimonium validum contrahi possit. Quod tamen non semper eodem modo fit.

1. Si propter omissam formam Tridentinam, vel propter quodlibet aliud impedimentum publicum matrimonium nullum erat, publice in forma Tridentina nunc contrahi debet: nisi ab hac — quod sane raro fit — etiam detur dispensatio.

Si propter solam neglectam formam Tridentinam matrimonium nullum erat, conjuges putativi, postea in loco, ubi lex Trid. irritans non viget, habitantes, fiunt veri conjuges, si scientes sui matrimonii nullitatem nunc vitam conjugalem conjugali affectu protrahunt.

2. Si vero servata erat forma Tridentina, et matrimonium *occulto* defectu laborat, sufficit ubique occulta consensûs renovatio.

3. Haec consensûs renovatio, si impedimentum non est relativum, sed unam partem solam respicit, v. g. ob consensum fictum, sufficit, ut ille consensum renovet, si modo altera pars ignara in priore consensu permaneat, vel efficaci voluntate eum non retractaverit.

1097 4. Si impedimentum relativum est, ut cognationis etc., Ecclesia per se vult, ut ab utroque novus consensus praestetur, isque independenter a priore: quare necesse est, ut altera pars hucusque ignara moneatur de nullitate, vel saltem de ea dubitet. Quod quum saepe difficile sit solummodo innuere hisce verbis: „angor de nostro matrimonio, renovemus coram Deo consensum“ vel similibus, sciendum est, Ecclesiam *posse* sic dispensare, ut per consensum novum ejus, qui scit nullitatem prioris, et perseverantiam consensûs alterius partis nunc verum matrimonium oriatur, si quidem de impedimentis juris ecclesiastici sermo est; atque sumi potest, Ecclesiam revera id facere, si aliter renovatio non sit possibilis. Praestat tamen, ut antea praecedenti § dixi, statim S. tribunal hac de re monere. Cf. *Theol. mor.* n. 823—827.

1098 II. Dispensatio seu sanatio in radice sic perficitur, ut *Ecclesia seu S. Pontifex priorem consensum, intentione veri matrimonii* a putativis conjugibus *datum neque efficaciter revocatum, nunc assumat:* ex eo tanquam ex radice et causa efficiente nunc verum matrimonium exsurgit, quum abolita sit pro hoc casu contraria lex ecclesiastica.

Ita autem lex contraria aufertur, ut omnes effectus juridici sic sustineantur, ac si ab initio matrimonium fuerit validum.

Quare etiam *quoad istos effectus* (legitimationem filiorum) aliquando datur sanatio post mortem conjugum vel alterutrius conjugis.

Conditiones necessariae, ut haec sanatio fieri possit, habes ex ipsa definitione data in verbis italicis typis impressis. Cf. *Theol. mor.* n. 828—832.

Sectio IV.

De jure, quod ex matrimonio conjugibus oritur.

NB. Hîc iterum in mentem revocandum est cum S. Alphonso, 1099
ne in tractanda hac materia alius finis habeatur nisi sola necessitas ad evadendum instrumentum curandis vulneribus peccatorum aptum. Quare accurata quidem notitia illarum rerum, quantum requiritur ad discernenda peccata, confessariis necessaria est: at in hac scientia sibi comparanda, quando tempus necessitatis instat, oratione et crebro ad Deum recursu sese communire debent, ne ex lubrica illa re conscientiae maculam contrahant, sed potius in amore Dei et merito crescant.

Jus, quod ex matrimonio oritur, ex ejus fine repetendum est. — Internus et essentialis finis ad propagationem generis humani dirigitur; secundarius autem finis remedium contra concupiscentiam est. Prior finis a S. Scriptura indicatur Gen. 1, 28 „Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram"; posteriorem finem S. Paulus profert I Cor. 7, 2 „Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat". Ex quibus et ea, quae liceant conjugibus, et ea, quae sibi debeant, sequuntur.

Caput I.

Quae licita sunt conjugibus, quaeque illicita.

Brevi hac regula, quae saepe pro ipsis conjugibus sufficit, licita et illicita continentur:

1. *Licet absolute,* quidquid *pro* fine matrimonii essentiali utile est.
2. *Graviter est illicitum,* quod *contra* finem matrimonii essentialem est, seu quod tendit ad illum frustrandum.
3. *Saltem non graviter illicitum* illud est, quod, quum contra finem primarium seu essentialem non sit, versatur *praeter* finem.

Verum quo brevius confessarius ea, quae ad usum matrimonii spectant, expedienda curare debet, quantum necessitas conscientias recte instruendi illud patitur, eo accuratius ipse, quid liceat, ex certis rationibus et ex auctoritate sciat oportet, ne aut laxior illicita approbet, aut rigidior licita prohibeat.

Articulus I.

De licitis et illicitis ex parte rei, seu ex parte ipsius actionis.

§ 1.

De actibus inter conjuges mutuis.

1. *Licitus actus est ex natura sua ad prolem generandam destinatus,* 1100
etsi per accidens proles non generetur, seu licita est copula carnalis es-

sentialiter consummata. Quare non obstat sterilitas, neque ex se tempus praegnationis: per accidens fieri potest, ut attendi debeat ad periculum prolis *conceptae;* quod tamen raro adest grave, rarius satis cognoscitur. — Similiter non constat de copulae peccaminositate in casu impotentiae *supervenientis*, si modo congressus possit *perfici.* Nec grave peccatum est vel peccatum ex se, tempus pro generatione minus aptum eligere, v. g. a 15mo die post mulieris menstruationem usque ad paucos dies ante sequentem menstruationem. Imo id suaderi potest conjugibus, si aliter in periculo peccandi sunt; item si uxor solet prolem mortuam edere: quo in casu ex gravi incontinentiae periculo licebit tamen matrimonio uti cum periculo, ne proles baptismo careat.

1101 Si autem non de vera impotentia agitur, sed de morbida affectione mulieris, ob quam impossibile vel graviter damnosum sit mulieri vasis perforationem pati, videtur viro licere imperfectius coire, si tamen semen vas muliebre ita contingat, ut ab illo recipiatur vel intro attrahatur; nam physiologi docent, generationem hoc modo sequi *posse.* Sine ejusmodi gravi causa autem ita agere, peccatum saltem veniale est. Grave peccatum erit, si imperfectus coitus tendit ad impediendam conceptionem, idque saltem ex pravo affectu, sed tum etiam ipso opere, quando vir vas uxoris tam parum penetrat, ut ne vagina semen virile excipiat quidem atque ex eo conceptio impossibilis vel improbabilis fiat.

1102 2. *Liciti illi actus imperfecti sunt, tactus, aspectus etc., qui ad copulam praeparant vel disponunt, quando intentio copulae adest, aut saltem possibilitas et pro eo casu etiam voluntas, si forte urgens pollutionis periculum oriatur.*

3. *Illiciti aut non sunt, aut non sunt graviter illiciti actus imperfecti venerei inter conjuges mutuo facti etiam extra voluntatem vel facultatem copulae, saltem si grave pollutionis periculum non inducunt.*

4. *Graviter autem illiciti illi actus imperfecti sunt, qui adeo turpiter mutuo exercentur, ut ex sese proximum periculum pollutionis inferant, antequam conjuges ad copulam procedere possint aut velint.* Si vero ex se non ita turpes sunt, etsi timetur subjective periculum pollutionis, eos actus admittere seu ad petitionem alterius (etiam interpretativam) *reddere,* peccaminosum non erit; neque ea quae, in se pudica, in signum mutui amoris fiunt ex justa causa, omitti oportet propter subjectivum periculum. Accidente pollutione, in ea quiescere seu ea delectari quidem non licet; at non puto, conjuges hac de re esse monendos.

1103 5. *Graviter illicita ex se est seminis extra copulam effusio seu frustratio ex consulto facta vel inducta.* Huc refer: congressum sodomiticum seu in vase non legitimo, vel affectum talem; onanismum seu copulam abruptam vel non perfectam cum seminis extra vas effusione. A quibus distingui debet actus, cujus se aliquando conjuges accusant, se praepostere vel a tergo congressos esse, intelligentes solam inordinationem in situ; quod igitur ut confessarius distinguat, inquirat, num possibilis fuerit generatio: si vero etiam in *hoc modo inordinato* sola effusio seminis extra vas facta est, eaque praevisa, habes peccatum mortale.

Unde jam patet, praeter illegitimam seminis effusionem vix esse aliquid, si inter conjuges mutuo agitur, quod *absolute* in omni casu pro mortali statui possit. — Generatim quidem puto, grave peccatum esse a) copulam ante seminationem abrumpere, nisi fiat ex improviso irruente

periculo; b) virilia in os uxoris immittere: quod tamen si immediate ante copulam fiat, sine alio periculo, a peccato mortali complures excusant.

Verum si quando congressus perfectus impossibilis vel prohibitus est, etiam in actibus imperfectis, qui propterea nondum sunt prohibiti, longe cautiores esse debent conjuges, eo quod periculum pollutionis non possint avertere.

§ 2.

De actibus conjugum, qui sine mutua ad invicem relatione fiunt.

1. *Actus,* qui ab alterutro conjuge exercentur *cum relatione ad* 1104
personam extraneam, malitiam gravem adulterii contrahere, ex se evidens est. Idque valet etiam de solo interno affectu, v. g. si quis in actu maritali de aliena muliere vel de uxore defuncta cogitat. — Simile quid dic de circumstantiis sacrilegii et incestûs, quae contrahi possunt.

2. *Actus,* qui ab alterutro conjuge *solitarii* fiunt sine relatione ad 1105
extraneam personam, sed etiam sine expressa relatione ad compartem (in proprium corpus), *gravia peccata sunt, si grave periculum pollutionis adest* — quod longe facilius ita adest, ut praeveniri nequeat, quam in actibus mutuis —; alias peccata sunt, sed non gravia: censentur nimirum, quamquam modo superfluo et periculoso, ad actum consummatum eumque legitimum tendere vel ad eum quodammodo praeparare, nisi illa relatio excludatur.

Hinc retrahendi quidem sunt conjuges ab iis actibus, non tamen exaggeratione nimia.

Refer huc etiam cogitationes de rebus venereis, vel sermones, si adeo producuntur, ut periculum pollutionis inducatur. — At huc recenseri non debet excitatio mulieris etiam post copulam ex parte viri completam, qua sibi usque ad complementum actûs ex sua parte satisfaciat: nam hunc actum habeo pro licito complemento actûs conjugalis, quod, etsi necessarium non sit ad generationem, conferre tamen aliquid videtur ad eam perficiendam.

3. *Ceteroqui peccata illa pollutionis ejusve periculi* graviora sunt in conjugibus, quam in solutis, atque *adulterii malitiam participant.* Atque idem, quod de pollutione viri dicitur, dici debet de pollutione mulieris i. e. de completa voluptate solitarie quaesita.

Articulus II.

De licitis et illicitis inter conjuges ratione circumstantiarum.

§ 1.

Ratione ipsius matrimonii.

Id, quod hîc considerandum est, respicit matrimonii certum dubiumve sive valorem sive nullitatem.

1. *Si cognoscitur matrimonium certo ut invalidum,* etsi ab uno con- 1106
juge tantum, neque matrimonium nunc sanari potest: *non licet aut petere aut reddere debitum conjugale,* quolibet malo ex illa denegatione orituro, nisi forte haec cognitio ex solo sacramentali secreto habeatur.

Nam aliter actus fit fornicarius, proin intrinsecus malus, quem exercere vel in eum consentire, in nullo casu licere potest. Cf. tamen quae supra dixi n. 1002 de impedimento ecclesiastico probabiliter cessante.

2. *Si dubium de valore matrimonii ab utroque conjuge habetur, saltem ante inquisitionem in rei veritatem factam neque petere neque reddere debitum licet:* alias (secundum principia de dubia conscientia) conjuges temere sese actibus fornicariis exponerent.

3. *Si vero, inquisitione facta, dubium perseverat, conjuges in vita maritali pergere possunt; excipe,* si cum impedimento ligaminis fortasse exsistente dubia aut mala fide matrimonium contrahere attentaverint.

4. *Si alteruter de valore matrimonii dubitat, ille ex sua parte aut abstinere debet a petendo debito, aut pergere potest, prout eum consideramus aut ante inquisitionem veritatis, aut post frustraneam inquisitionem:* monere vero alteram compartem in bona fide versantem non tenetur; atque petenti debitum est reddendum, siquidem ille propter dubium alterius suo jure non est privandus, quum melius sit, materialem fornicationem permittere, quam committere injustitiam formalem.

1107 5. *Qui mala vel dubia fide cum dubio impedimento ligaminis contraxit, a petendo debito tamdiu prohibetur, donec certus fuerit de ligamine non exsistente:* qui vero *bona* fide contraxit, si post inquisitionem dubium de ligamine solvi non potest, jure suo non privatur; quare etiam a conjuge altero postulare potest, ut debitum matrimoniale sibi reddat. Ratio, cur in causa dubia ligaminis, qui mala fide egit, severius dijudicandus sit, quam in aliis impedimentis, ea est, quod probabile jus tertii, quod in possessione est, obstat.

Videtur autem aliquando contingere posse, ut sine plena probatione mortis prioris conjugis tamen bona fide novum matrimonium ineatur, siquidem nupturientes putent, majorem certitudinem non requiri; idque etiam quando alio modo, v. g. per clandestinitatem, mala fide agunt. Cf. *Theol. mor.* n. 842—844.

§ 2.

Circumstantiae personarum.

1108 Ad circumstantias personarum revocari debet: 1) impotentia superveniens; 2) jus conjugalis debiti amissum ex incestu; 3) jus conjugale precarium factum ex quolibet adulterio; 4) jus conjugale ligatum ex voto castitatis.

1. In impotentia superveniente, quousque liceat copulam exercere, supra n. 1100 est dictum. Si vero hanc exercere non amplius licet, nihilominus ea interdicta non sunt, quae vocantur actus imperfecti, modo pollutionis periculum ne inducant: quamquam et multo cautiores conjuges tunc esse debent, saltem ille, qui petit; qui reddit, facilius excusatur, etsi forte aliquando praeter intentionem et consensum pollutio accidat. Ut immunis sit ab *omni* peccato, causa cohonestans accedere debebit in petente.

1109 2. Qui ex incestu cum sui conjugis consanguineis (usque ad *secundum* gradum canonicum inclusive) suo conjugi affinis factus est: secundum restrictionem quae data est n. 1070 amisit *jus petendi* debitum

conjugale ex lege ecclesiastica; cujus igitur condonatio a conjuge fieri nequit; verum tenetur debitum reddere. Interdicitur copula, non aliud vitae conjugalis consortium.

3. Attamen qui quodcunque adulterium commisit, a suo conjuge *repelli potest* quoad vitam conjugalem secundum ea, quae dicta sunt circa *causas divortii:* sed ipse adulter ex se non amisit *facultatem* petendi, quasi ipsa debiti conjugalis petitio ipsi peccato esset: id enim soli incestui pro poena impositum est; multo magis obligatur ad reddendum conjugi petenti.

4. Qui voto castitatis ligatus est, ex sua quidem parte petere non potest ullum, etsi imperfectum actum conjugalem, at debet alteri petenti reddere: imo id a S. Alphonso n. 944 recte extenditur ad casum, quando altera quoque pars voto ligata esset, quamdiu aliunde jus non amiserit, etsi ille, qui contra suum votum petit, monendus sit ex caritate, ut ab illicita petitione desistat. Cf. infra n. 1115.

§ 3.

Circumstantiae temporis.

1110 1. Circumstantia temporis, ob quam copulam conjugalem habere non liceat, vix alia notanda est, *quam quae inducat gravis damni periculum*: quod exsistere potest tempore morbi. Hinc:

1) Si propter ejusmodi circumstantias grave damnum vel periculum pro alterutro conjuge sequitur, *gravis* causa requiritur, ut matrimonio uti liceat; quae si adest, de obligatione abstinendi nondum constat.

2) Si vero inducatur ex usu matrimonii imminens mortis periculum, ille usus est graviter illicitus: quo magis autem hoc periculum imminuitur, eo facilius usus matrimonii licitus fit. At si uxor consuevit *in partu* in grave vitae discrimen adduci, hoc periculum non est imminens; quare *non tenetur* quidem uxor, at *licebit* ei ex gravi causa (v. g. incontinentiae) sese huic periculo exponere: quod tamen minui multum potest eligendo tempus, quo conceptio raro fit.

3) Consueta autem incommoda, capitis gravedo vel dolor ne excusant quidem uxorem a reddendo debito conjugali. Sed de his infra.

2. Tempora festorum, jejuniorum, dies S. Communionis, quamquam consilium secum ferunt abstinendi a petendo debito conjugali, tamen ab eo reddendo non excusant: neque uxor propter frequentiorem Communionem se difficilem praebere debet viro, imo ne rogatu quidem, ut continentiae consentiat.

§ 4.

De circumstantia loci et sitûs.

1111 1. Usus matrimonii ex natura sua exigit locum secretum. Cujus rei violatio ratione scandali grave peccatum est. — Imo id etiam notari debet, conjuges peccare, nisi caveant, ne filii de re maritali notitiam capientes scandalum patiantur. Quod scandalum facillime oriri potest, si pueri sive puellae grandiusculi modo in eodem cubiculo cum parentibus dormiant.

2. Ratione sacrilegii vetatur usus matrimonii in loco sacro. De qua re et de casibus exceptis confer, quae *Theol. mor.* I. n. 384 dicuntur.

1112 3. De situ id unum fere notandum est, etsi naturalis sitûs violatio sine causa facta venialis deordinatio sit, grave peccatum nulla mutatione induci, nisi forte copula perfici nequeat ad generationem apta. Imo aliqua seminis per accidens perditio, si conjunctio ad generationem certo sufficiens facta sit (per se perfectior, quam de qua n. 1101), secundum S. Alphonsum pro gravi peccato non habetur (lib. 6 n. 917 in fine et *II. Apost.* tract. 18 n. 39); neque per se pro *ullo* peccato habendum est, si solus modus possibilis generationi adhuc aptus adhibetur, etsi „non modica" pars seminis dispergatur; cf. S. Alphonsum ib., Sanchez *de matr.* l. 9 d. 16 n. 5.

De alio peccato, quod saepe solam sitûs circumstantiam debitam laedit, vide supra n. 1103.

Ceterum per se de situ conjuges in confessione interrogandi non sunt: nam si peccatum grave committitur, id alio modo deprehendi solet; ut de situ interrogatio fieri debeat, per accidens erit.

Aliquando vero situm per se naturalem conjuges mutare *debent*, ut tempore graviditatis jam progressae, ne foetus damnum capiat.

De circumstantia finis et intentionis nihil necessarium est addere: nam quae gravia peccata constituant, ex *dictis* habes; de veniali peccato aliunde facile judicabis.

Caput II.

De obligatione circa actus conjugales.

1113 Quoniam pleraque, quae de conjugali vita dicenda sunt, ex praecedentibus satis colliguntur, ea, quae de obligatione ulterius exponi debent, ad duas quaestiones breviter reduci possunt: 1) quae sit obligatio reddendi debitum, 2) quae obligatio denegandi.

§ 1.

Obligatio conjugale debitum reddendi.

Quum secundum Apostolum mulier non habeat potestatem corporis sui, sed vir, et vir non habeat potestatem sui corporis, sed mulier, statuendum est:

1. *Serio et rationabiliter petenti debitum conjugale reddendum prorsus est:* quod imprimis de actu perfecto intelligitur, sed etiam extendendum est per se ad actus imperfectos non certo malos.

2. *Si alter jus petendi vel exigendi amisit, reddendi obligatio per se non erit:* at generatim neque obligatio *omnino* denegandi vel in denegatione persistendi, nam haec denegandi obligatio oriri tantum potest ex obligatione caritatis alterum monendi, ne ipse peccet: verum hoc ipsum praeverti potest, si conjux rogata, potius quam reddat, ipsa *petat* debitum.

1114 3. *Excusatur aut omnino aut saltem a mortali peccato,* qui non reddit debitum petenti, *secluso incontinentiae periculo probabiliter animadverso* (quod periculum tamen facile adesse potest) in his adjunctis:

1) *Si non est petitio seria,* aut si deprecanti facile remittitur petitum;

2) *Si petitio est nimis immoderata.* Cavendum quidem est, ne facilius petitio pro immoderata habeatur: nam hoc non ex quolibet incommodo, sed ex serio damno pendet, quod prudenter timetur.

3) *Si ad breve tempus,* secluso semper periculo, *differtur.*

4) *Cum eadem restrictione* etiam admitti debet, *raro* denegare, si saepe praestatur, ex parvitate materiae esse veniale peccatum, v. g. ut S. Alphonsus dicit, si mulier, quae saepius in hebdomada rogata debitum praestare consuevit, semel in mense denegat.

5) *Si vir uxoris et prolis curam non habet,* ita ut ex culpa viri vagabundi illae sibi suaeque miseriae atque gravi paupertati relinquantur, uxor obligari non potest; imo nisi vir resipiscat, ne periculum quidem incontinentiae ratio esse videtur, quae uxorem cum tanto incommodo obliget, ut mero arbitrio et libitui viri addicta sit.

6) Si sine culpa viri magna paupertas et conjugibus et numerosae proli impendet, haec per se ratio non est, cur debitum denegetur; siquidem grave periculum incontinentiae non perpetuo aberit, et tandem proli melius est pauperem esse, quam omnino non esse. Tamen si proles concipienda aut ipsi conjuges extremae necessitati exponerentur, haec ratio denegandi foret: v. S. Alph. n. 941. — Verum consuli potest, ut tempus n. 1100 indicatum observent.

1115 4. *Obligatio reddendi debitum non exstinguitur per hoc, quod petens illicite tantum petat, si modo non injuste petit, neque rem illicitam.* — Quare contra votum petenti obsecundandum est, quamdiu jus non amisit; imo id dicendum est etiam, quando uterque solo voto obstrictus sit: nam petens quidem peccat, reddens minime.

Perfecte amenti vel ebrio, si petit, reddendi debitum conjugale per se non est obligatio. Facultas autem reddendi vel petendi ex parte alterius plerumque aderit: excipe casum, quando uxor non sterilis furiosâ amentiâ laborat, siquidem summum abortûs periculum aderit; verum si vir in gravi periculo incontinentiae est, aliter non superaturus, non puto constare de omnimoda obligatione abstinendi.

Viro ebrio, si alioquin est in periculo incontinentiae, vel postea graves rixas vel inimicitias gesturus cum uxore, gravis ratio est, cur uxor potius debitum reddat, vel reddere debeat. At quominus *obligatio* ita urgeatur, obstant graves defectus, quos proles concipienda — si ea est spes — contrahere potest. Quare in tali casu uxori haec prolis damna etiam considerare licet; quo obligatio pro adjunctis minui vel exstingui possit.

1116 5. *Ex obligatione mutua reddendi debitum conjugale sequitur pro conjugibus obligatio cohabitandi,* ita ut sine mutuo consensu aut necessitatis causa diu unus ab altero abesse nequeat: quare si diu vir absens esse debet, uxorem, si commode possit, secum debet ducere: S. Alph. n. 939.

Etiam gravis obligatio justitiae sequitur, qua uterque conjugum tenetur, ne se impotentem voluntarie reddat ad debitum, sive fit excessu peccandi luxuriose, sive excedente labore et maceratione. — Si vero ad vitam servandam id necessarium esset, ut induceretur impotentia, v. g. excisione ovariorum vel uteri uxoris, id utique licebit;

ex causa gravi quidem, sed non ita imminenti id non licebit sine alterius (hîc: viri) consensu.

§ 2.

De obligatione denegandi.

1117 1. Obligationem denegandi debitum conjugale adesse posse *per accidens* propter grave damnum, quod sine justa causa ex eo induceretur, jam ex iis, quae dicta sunt, satis patet.

2. Idem dic de obligatione denegandi *per se* exsistente, si postulantur actus imperfecti, qui evidens pollutionis periculum secum ferunt. Quodsi periculum adeo certum non est, reddentem excusari a peccato, etiam supra jam dixi.

3. Magis autem illicita sunt ea, quae tendunt in effusionem seminis extra vas, vel eam intendunt, sive est onanismus, videlicet abruptio copulae voluntaria cum effusione virilis seminis extra vas (saepe nomine onanismi vocant peccatum pollutionis studiose causatae; quare si poenitens id peccatum nominat, videndum est, quid velit designare), sive est sodomia. Haec igitur agere, aut in ea consentire, gravissime illicitum est.

1118 Hinc: 1) sodomia ex parte utriusque conjugis gravissimum peccatum est.

2) Onanismus per se ex parte viri gravissimum est peccatum.

3) Ex parte uxoris onanismus ejusmodi peccatum praecipue tum est, quando utcunque inducit virum ad illud scelus, sive directe, sive indirecte nimiis querelis de prolis numerositate et similibus, aut si utcunque approbat.

4. Quare, si vir onanista est, uxor id agere debet, ut virum ad impium scelus omittendum inducat, monitis et precibus pro spe fructûs aliquoties iteratis, tum ex obligatione fraternae correctionis, tum ne ipsa videatur consentire. In hoc casu praecipue suadeatur, ut extra tempus n. 1100 indicatum abstineant.

At si nihil proficit, grave autem sibi est, viro usum corporis denegare aut periculum propriae incontinentiae subire: mulier, utpote quae ex sua parte rei licitae operam det, peccati rea non est, si *nihil aliud* fit, praeterquam quod vir se retrahit. S. Alph. n. 947.

In hoc quidem casu, quando vir jure matrimoniali abusus est, uxor *post abusum* nequit sese tactibus excitare ad complendum ex sua parte actum conjugalem, quia haec excitatio tunc non erit nisi mera pollutio: num vero de hoc speciatim sit monenda, confessarii prudentiae relinquitur.

Neque placere potest viri peccatum; at concomitanter gaudium concipere de absentia molestiarum graviditatis, partûs etc., ex se nondum peccatum est, si vere uxor peccatum viri detestetur, neque propter hanc molestiarum carentiam illud velit: consultius tamen est, mentem ab iis affectibus avertere, ne demum ipsius peccati approbatio concipiatur.

Verum si non sola retractione viri, sed alio modo onanismus fiat, ita ut statim ab initio copula contra leges naturae inchoetur et contra

eas perficiatur, sane mulier tali rei nullatenus acquiescere vel cooperari potest.

Nota. Confessarius modestus et parcus esse debet in interrogationibus de usu matrimonii. Ex una quidem parte non semper potest ab interrogando abstinere, si justam causam habet suspicandi, non omnia rite manifestari a conjugibus, aut conjuges in errore periculoso versari; ex altera autem parte excederet omnino partes prudentiae et decentiae, si quoslibet conjuges de hac re interrogaret, imo si unquam sine vera necessitate ad res minutas descenderet. Quodsi gravis ratio interrogandi sit, incipiat prorsus a generali aliqua interrogatione, v. g. an in matrimonio bene vivant, uxorne viro obediat: responsa data et modus respondendi facillime confessarium docebunt, utrum ulterius interrogandum sit necne.

Responsa sive S. Poenitentiariae sive S. Officii circa plures quaestiones hîc breviter expositas dare supersedeo; siquidem in manibus fere omnium sunt et rem in se satis claram attingunt. — Id unum moneo, etiam nuper d. 10. Martii 1886 S. Poenitentiariam respondisse, in fundata suspicione de hoc poenitentis crimine *regulariter* non esse silendum, sed interrogandum et monendum: (innuitur ergo, *per exceptionem* id fieri posse, ut potius silentio res praetereatur atque poenitens in bona fide relinquatur).

Pro appendice complebo doctrinam de mutuis inter maritum et 1119
uxorem relationibus atque officiis, recapitulando, quae sparsim variis in locis jam ex parte adnotavi. Cf. ex Busenb., Lacroix l. 3 p. 1 n. 708.

Qua conjuges, seu quoad matrimonium ejusque usum, maritus et uxor paris conditionis sunt, atque alter alteri debet obsecundare. Quatenus autem societatem domesticam spectamus, quae per matrimonium fundatur, maritus Superioris tum officium, tum potestatem habet.

Quapropter maritus 1. *debet uxorem atque familiam alere, atque bona* non sua tantum, sed etiam communia (vel etiam uxoris) *administrare.* — Hinc graviter peccat: a) si bona dilapidat atque familiae curam negligit; b) si, dum potest, uxorem indigentem et familiam non alit, nisi forte quoad uxorem ex hujus culpa divortium factum sit.

2. Tenetur maritus *invigilare in bonos mores et familiae et uxoris.* Et quamquam uxor hac in re multum eum juvare potest et debet circa educationem filiorum: nihilominus ut Superiori prima cura marito incumbit, ita ut ipse videre debeat, utrum per uxorem aliosve bonae educationi bonisque familiae moribus satis provideatur necne, et ut ipse uxorem, si negligentior sit, ad officia religionis implenda debeat urgere. — Hinc a) incuriâ hac in re graviter delinquere potest; b) a fortiori graviter peccat, si uxorem ab officiis religionis necessariis impediat, vel etiam sine sufficienti causa ab exercitiis religionis non necessariis quidem, sed multum utilibus: ceteroqui si eam impediat ab iis, quae consilii sunt, plerumque venialiter tantum peccet; c) etiam graviter peccat, si uxorem nimis severe aut crudeliter tractat eamque verbis *pro conditione sua* graviter contumeliosis contristat.

E contrario *uxor* graviter peccat: 1) si sibi, spreto viro, imperium 1120
vindicet; 2) si nolit sequi virum in domicilii habitationisque mutatione, nisi forte ex mutatione periculum valde grave subitura sit vel sit pacta

de contrario, vel vir post nuptias factus sit vagus; 3) si uxor, reverentiae plane immemor, virum contumeliis prosequatur pro conditione gravibus, vel rixis seu verbis ad gravem iram vel blasphemiam provocet; 4) si contra rationabilem viri voluntatem et contra consuetudinem feminarum similis conditionis notabile aliquid expendat sibique sine justa causa rerum administrationem arroget (justa causa esset v. g. viri prodigalitas, damnum a domo sive familia avertendum).

Ceterum christiani conjuges incumbere debent, ut in suo statu non solum graves obligationes impleant, sed sese christiano more vere sanctificent. Atque sane intra ipsius domûs limites multas habebunt occasiones eximiarum virtutum exercendarum, supernaturali motivo atque spiritu fidei omnem domesticam conversationem sanctificantes, bona et religiosa lectione, si per tempus licuerit, saltem diebus Dominicis, sese excitantes, communi exercitio precum mane et vespere divinam opem implorantes, mutua pace et caritate sese praevenientes, mutuo exemplo sese provocantes ad Deum super omnia et in omnibus amandum, ejusque cultum et amorem in filiis aliisque subditis promoventes. Haec vel similia toties inculcat S. Scriptura. Quare etiam parochus vel confessarius in eo sit, ut hoc modo conjuges ad vitam vere christianam et perfectam perducat in eaque promoveat.

Liber II.

De Poenis ecclesiasticis.

1121 Postquam de Sacramentis, quae vitae christianae media adjuvantia diximus, actum est, restat, ut agatur de mediis coërcentibus, quibus Ecclesia pro potestate a Christo accepta filios dyscolos in officio retinere conatur, seu de *Poenis ecclesiasticis.*

Porro quum poenae aliae sint arbitrariae, quae secundum Superioris arbitrium in certis delictis infliguntur, aliae lege condita jam determinatae et fixae, de his solis agere possumus. Quas in tres ordines distinguere licet: in poenas *medicinales*, *vindicativas*, *poenalitates*, quae primarie rationem impedimenti, poenae rationem secundarie tantum habent. Primus ordo censuras complectitur, tertius irregularitates, secundus paucas alias poenas censuris similes: quare has cum censuris tractabimus, atque omnes duplici tractatu absolvemus, 1° de censuris; 2^do^ de irregularitatibus, *his* adjungentes etiam eas, quae poenae non sunt.

Tractatus I.

De Censuris et poenis similibus.

Sectio I.

Generalis diversarum censurarum explanatio.

Cf. Suarez *de censuris*, Thesaurus *de poenis eccles.*, Kober, *der Kirchenbann etc.*

Caput I.

De censuris in communi.

§ 1.

Notio et conditiones censurarum.

I. Censura ut poena ecclesiastica communi acceptatione, quae ex variis juris canonici legibus eruitur, sic definitur: *Poena medicinalis, qua homo baptizatus delinquens et contumax quibusdam bonis spiritualibus privatur.* 1122

Singula perpendenda sunt: 1) est privatio bonorum *spiritualium,* quia spiritualis poena; 2) bonorum spiritualium privatio *quorundam,* Ecclesia sc. neque potest omnibus privare, neque vult, sed diversis pro diversa censura; 3) privatur homo *baptizatus,* in alios enim Ecclesia hanc jurisdictionem non exercet; 4) *delinquens* et *contumax,* quod denotat legis poenalis ecclesiasticae transgressionem, et ipsius poenae quendam contemptum; 5) poena *medicinalis,* quia, ut distincta a poena vindicativa, dirigitur ad emendandum reum, ut, emendatione secuta, poena auferatur.

II. Unde fere erues, *ut censura re ipsa incurratur, requiri:* 1123

1. peccatum *mortale.* Quare, nisi quasdam leves et partiales censuras excipias, quidquid excusat a peccato mortali, excusat a censura; imo si de dubio hac in re agitur, saltem quilibet confessarius absolvere potest a censura, quae fortasse contracta sit;

2. peccatum *externum,* atque externe grave, i. e. ut peccatum tamquam mortale certo se prodiderit: mere interna Ecclesia sic non punit; verum distingue peccatum non-externum a peccato occulto tantum;

3. *in suo genere completum,* ita ut revera ipsum illud peccatum, contra quod poena statuta est, sit commissum, non solus conatus, nisi ipse conatus exprimatur: nam lex poenalis *stricte* sumenda est;

4. *non mere praeteritum:* nisi enim in se vel aliquo effectu, qui auferri debeat, perduret, abest contumacia, ac propterea non nunc infligitur poena;

5. similiter non commissum *cum ignorantia* sive facti sive legis ecclesiasticae vetantis sive ipsius poenae, nisi forte ignorantia fuerit crassa vel affectata (de qua vide n. 15 not. 1). Sed si dicitur: „qui *scienter, ex consulto* fecerit", quaelibet ignorantia excusat; si dicitur:

„*temere* facientes, *praesumentes*", non affectata quidem ignorantia, sed crassa excusat;

6. neque commissum *ex gravi metu,* nisi forte agatur de iis rebus et praeceptis, in quibus ne gravis quidem metus a *lege ut humana* excusat; verum si additur: „qui sponte hoc fecerit", etiam levior metus excusat.

1124 7. Num revocatio et resipiscentia excuset, quam reus ostendat antequam ultimus effectus, qui ad incurrendam censuram necessarius sit, sit secutus: non ita facile determinatur. Qui propter revocationem desinit esse mandans, consulens, certe non jam ut mandans etc. poenam incurrit. — Si vero ipse exsecutor est, puto, eum, qui illo intermedio tempore sincere confiteatur, posse absolvi a quolibet confessario, neque deinde censuram incurri propter peccatum coram Ecclesia jam deletum; sed qui solo interno dolore coram Deo a peccato resipuerit, nihilominus postea censurâ ligari. Cf. *Theol. mor.* n. 860—868.

§ 2.

Divisio censurarum.

1125 1. *Prima* divisio est in *excommunicationem, suspensionem, interdictum:* prima privat communione fidelium, altera ecclesiastica potestate, tertia usu quarundam rerum sacrarum, prout fusius postea explicabitur.

2. Sunt censurae *a jure* et *ab homine,* prout leges ecclesiasticae seu jus ecclesiasticum certas censuras pro quibusdam peccatis jam tulit, aut Superior ecclesiasticus, occurrentibus delictis, pro arbitrio suo poenam illam sive in singulos, sive in plures subditos statuit. Si dicitur „a jure", intellige 1) jus commune universalis Ecclesiae — quod maxime intelligitur —, 2) etiam jus *particularis ecclesiae*, etiam a solo Episcopo statutum.

3. Censurae in jure constitutae sunt aut *latae* aut *ferendae sententiae:* prout contra delinquentes ita lex statuta et sententia jam quodammodo lata est, ut eo ipso, quod crimen commissum sit, poena incurratur, nulla amplius interposita judiciali sententia; aut sententia judicialis, quae censuram infligat, post crimen commissum ferenda est, ita ut lex solum moneat vel jubeat Superiorem ecclesiasticum censuram infligere. (Inde fit, ut censurae „ferendae sententiae", ut re ipsa incurrantur, ab homine ferri seu infligi debeant.)

1126 4. Censurae „ab homine" feruntur aut *per modum mandati*, aut *per modum sententiae.* Priores imitantur censuras latae sententiae, siquidem Superior aliquid praecipit vel prohibet, ita ut inobediens ipso facto poenam incurrat; per modum sententiae censura fertur, quando, criminis perpetrati nondum plane praeteriti inquisitione facta, Superior reum pro culpa punit.

5. Aliae sunt censurae *notoriae*, aliae *occultae*, prout notum est, aliquem censuram incurrisse, ita ut nulla tergiversatione id tegi vel occultari possit, aut notum non est.

6. Aliae sunt censurae *reservatae*, aliae *non reservatae*, prout Superior earum absolutionem aut sibi reservavit, aut omnibus confessariis concessit.

NB. Censurae *ab homine,* saltem si in singulos latae sunt, semper reservantur. — Censurae vero *latae sententiae*, quae hodie vigent, ex

Constit. Pii IX *„Apostolicae Sedis“* pro majore minoreve reservatione ita distinguuntur: a) Censurae *nemini reservatae* (a quibus quilibet confessarius absolvere potest, nisi deducta sit causa ad forum externum); b) Censurae Ordinariis seu *Episcopis reservatae;* c) Censurae *Romano Pontifici ordinario modo reservatae;* d) Censurae *R. Pontifici speciali modo reservatae,* ex quibus saltem unam etiam magis excipere possumus tanquam e) *specialissime reservatam.*

§ 3.

Quis in quos censuras ferre possit, seu de auctore censurarum earumque subjecto.

1. Ecclesiam, ideoque saltem supremum ejus rectorem, R. Ponti- 1127
ficem, habere potestatem ferendi censuras, ex notione Ecclesiae tamquam societatis perfectae per se patet; insuper ex verbis Christi, Matth. 16, 19; 18, 18 et ex perpetua praxi Ecclesiae evincitur.

2. *R. Pontifex, vel Concilium generale* censuras ferre potest in tota Ecclesia vigentes; dein jure saltem ecclesiastico possunt, dependenter tamen a S. Pontifice, Concilium provinciale pro tota provincia, Episcopi cum suis Vicariis pro suis dioecesibus, Legati Pontificis in provincia suae legationis, Cardinales per se in suis ecclesiis, Praelati regulares in suos subditos secundum ordinis sui instituta.

Hinc: 1) *Summus Pontifex ipse nullis censuris obnoxius est;* Episcopi possunt tum papalibus censuris subjacere, tum censuris a Concilio provinciali latis.

2) Verum *Episcopi et Cardinales* generalibus quidem excommunicationibus papalibus subjacent, nisi eximantur; sed *suspensionibus et interdictis non subjacent, nisi exprimantur:* ita ex privilegio juris.

3) Consuetudine inductum est, ut *Reges et Principes* a nemine, nisi *a solo Summo Pontifice, censuris affici possint.*

4) *Impuberes* ex Ecclesiae indulgentia *a censuris latis eximuntur,* praeter casum a) *percussionis clericorum,* b) *violationis clausurae monialium.*

3. Episcopus in regulares exemptos *suo jure* censuras ferre 1128
non potest; potest tamen in iis casibus, in quibus S. Pontifex ei delegatam potestatem concesserit.

Videlicet 1) sunt causae satis multae, in quibus regulares etiam exempti jurisdictioni Episcopi loci tamquam Delegati Sedis Apostolicae subjacent, quarum complures Concilium Trid. constituit: in iis per se etiam censuris puniri possunt. 2) Verum sunt ordines exempti, qui speciale hoc privilegium habent, ut censuris non possint ab Episcopo puniri; quare illi aliâ quidem poenâ, sed non censurâ, si puniendi sunt, plecti debent. 3) At hoc ipsum privilegium speciale non mansit intactum, sed ei derogatum est pro certis casibus, maxime a Gregorio XV. Constitutione *„Inscrutabili“* 5. Febr. 1622, praecipue relate ad sacramentorum administrationem erga saeculares atque praedicationem verbi divini.

4. Episcopus in peregrinos vi sententiae particularis censuram ferre potest, propter delictum in sua dioecesi commissum; non vero ligantur peregrini territoriali censurâ illius loci.

Absentes subditos Episcopus punire potest censurâ tum propter

delictum antea in dioecesi ipsa commissum, tum propter delictum quod dioecesim spectat, tum ex communiore sententia etiam propter alia delicta per speciale mandatum personaliter prohibita.

Episcopus peregre exsistens suos quidem subditos etiam censurâ punire potest; attamen non ita plene liber est ad instruendam causam in foro externo sine Episcopi loci consensu.

5. Delegari ad ferendas censuras jure canonico soli clerici possunt: verum S. Pontifex hac lege non absolute tenetur. Cf. *Theol. mor.* n. 869—873.

§ 4.

De cessatione censurarum earumque absolutione.

1129 1. Quamquam ad contumaciam frangendam censura infligitur, *non tamen per se solâ delinquentis poenitentiâ cessat,* sed communiter indiget *absolutione:* aliquando cessat elapso tempore, vel impleta conditione.

2. Per se absolvere potest tantum Superior, qui censuram inflixit ejusque delegatus, aut ejus Superior, vel successor. Forma absolvendi in foro *interno* ea est, quae ad cautelam in quacunque absolutione sacramentali adhibetur ex Ritualis praescripto. — Ex natura rei autem — ideoque etiam licet sic agere in casu necessitatis — sufficit, cum intentione absolvendi id externe quolibet modo indicare; quare etiam absens valide absolvi potest, etiam per telephonium vel telegraphum.

3. *Generali regula concessum est, ut a censuris juris et ab iis quae generali sententia ab homine ferantur, quilibet confessarius absolvere possit, nisi sint expresse vel ex natura rei reservatae:* hinc regula sub 2 enuntiata maxime servatur in iis censuris, quae speciali mandato vel sententia contra aliquem latae sunt, ita ut ille solus, qui tulit, aut ipsius Superior, aut qui specialiter ab ipso sit delegatus, eas absolvere possit. Qui tamen ab alieno Episcopo non particulari, sed generali sententia censuram incurrit, a *suo* Ordinario potest absolvi. Censurarum autem *latae sententiae,* quae universali lege (S. Pontificis) statutae sunt, pro majore minoreve facultate absolvendi distinctionem jam supra habes n. 1126.

1130 4. Nihilominus haec *reservatio quoad absolutionem censurarum multas habet exceptiones.* Praeter speciales facultates, quae maxime in dissitis regionibus dari solent, haec communi jure valent:

1) *In articulo vel periculo mortis* quivis confessarius a quibusvis censuris absolvere potest, imposito tamen onere saltem in casibus R° Pontifici specialiter reservatis, ut cessante periculo seu impedimento reus se sistat Superiori legitimo, nisi velit in eandem censuram reincidere. — In gravioribus criminibus pro foro externo *juramentum* exigitur, ut reus velit stare mandatis Ecclesiae; in interno foro pro adjunctis utiliter a confessario idem exigi *potest.*

2) Quoniam in Corpore juris obligatio imponitur, non literis quaerere absolutionem, sed personaliter Superiorem adire (— nisi forte censura lata sit in eos speciatim, quos per solas literas absolutionem petere posse, Superior novit, v. g. in moniales violantes clausuram —): providere debuit absolutioni eorum, qui sive perpetuo, sive diu censeantur

impediti esse, quominus Superiori ne sistant. Id ita factum est, ut in quibuslibet censuris papalibus *qui impeditus esset,* quominus S. Pontificem, i. e. Poenitentiarium Romanum ejus vice fungentem, adiret, absolvi posset a suo Episcopo; qui impeditus esset, quominus adiret Episcopum, a quolibet confessario: sed *absolute* ille tantum qui ultra quinquennium seu impedimento quasi-perpetuo laborare praevideretur: qui vero ultra sex menses ad quinquennium usque, cum onere se postea Superiori sistendi; infra sex menses solum impeditus, a censura non posset absolvi nisi in articulo mortis, a peccatis aliquando. Cf. n. 855 sqq., ubi etiam habes qui dicantur impediti.

Sed videtur nunc in dies magis *universalis* fieri norma S. Officii, secundum quam sine distinctione longi vel brevis impedimenti in casu urgentis necessitatis in eoque solo absolutio a qualibet censura Papali dari possit a simplici confessario; at cum onere saltem infra mensem per literas et per medium confessarium recurrendi ad S. Poenitentiariam, idque sub poena reincidendi in eandem censuram: cf. n. 857[a].

Nihilominus, etiam quando obligatio non est per se, literis quaerere absolutionem, hanc viam semper inire licet, ut citius res componatur; imo aliquando ex eo etiam obligatio esse potest, quod aliquis ex privilegio absolutus sit non absolute sed cum conditione, ut intra determinatum tempus Romae negotium componat.

3) Generali concessione per Trident. sess. 24 c. 6 *de ref.* et 1131
Constitutione Pii IX. „*Apostolicae Sedis*“ indultum est, ut in casibus *occultis* Episcopi possint a censuris Papalibus absolvere, exceptis iis, quae specialiter reservatae sint.

Disputatur num hoc privilegio includantur Praelati regularium relate ab absolvendos suos subditos. S. Poenitentiaria hac de re interrogata, post Constitutionem Pii IX. id negavit. Alii putant, non vi quidem privilegii, sed vi communis juris dispositionis id sustineri posse, ut regulares exempti, si absolutione ejusmodi indigeant, siquidem Romam proficisci non possint, absolvantur a *suo* Superiore, i. e. saltem a Provinciali vel ejus speciali delegato, nisi in quibusdam gravioribus delictis recursus ad S. Pontificem speciatim praescriptus sit: verum etiam hoc per nuperrimum illud responsum S. Officii (n. 857a) tangitur.

Caput II.

De prima censurarum specie, seu de excommunicatione.

§ 1.

Generalis notio.

1. *Excommunicatio est gravissima omnium censurarum, estque vi no-* 1132
minis et reipsa exclusio a communicatione fidelium, seu exclusio ab illis bonis, quorum fideles qua fideles, i. e. qua membra Ecclesiae participes sunt.

Ab illis igitur bonis, quorum valida participatio ecclesiasticae potestati subdita est, ita excluduntur excommunicati, ut ne valide quidem eorum participes fieri possint, ab aliis spiritualibus bonis ita excluduntur, ut eorum participatio saltem non liceat.

2. *Attamen plenum suum effectum illa excommunicatio non habet, nisi in vitandis,* seu in iis, qui neque ipsi cum fidelibus communicare possunt, neque a fidelibus recipi possunt, seu quibuscum fideles communicare nequeunt. Distinguuntur enim post Constit. Martini V. *„Ad evitanda scandala“* excommunicati tolerati et vitandi. Cum toleratis igitur reliqui fideles libere agere possunt etiam in sacris actionibus; et quamquam haec pristinae severitatis relaxatio solummodo in favorem et gratiam fidelium facta est, indirecte tamen ipsorum excommunicatorum poena multo levior evasit.

1133 3. Vitandi hi soli sunt: 1) *nominatim excommunicati* vel in individuo denuntiati; 2) *notorii clericorum percussores,* etsi excommunicationis publica et juridica declaratio ipsius percussoris facta non est, si modo nulla ratione se defendere possunt vel celare.

4. *Communicatio cum vitandis sine causa excusante per se quidem peccatum est, plerumque tamen veniale peccatum tantum* (quaenam communicatio grave peccatum sit, v. infra); eaque antea puniebatur *excommunicatione minore*[1]; nunc vero Constitutione *„Apostolicae Sedis“* sublata est excommunicatio minor ipso facto incurrenda; imo prohibitio cum vitando communicandi in civilibus ordinarie loquendo non videtur amplius tam stricte urgere, quum communis socialis vitae conditio hodie videatur causa excusans esse, quam in singularibus casibus probari non oportet.

§ 2.

Effectus immediati excommunicationis singillatim expenduntur.

1134 Excommunicatio est exclusio a communione fidelium, quo nexus ille spiritualis et vitalis inter Ecclesiae membra disrumpitur. Hinc:

1. *Privat suffragiis communibus,* i. e. precibus et bonis operibus, quibus unus ab altero apud Deum juvetur per modum impetrationis et propitiationis, videlicet, 1) iis orationibus, quae nomine Ecclesiae a publicis ministris Deo deferuntur, ita ut vitandus per specialem ministri intentionem earum ne particeps quidem reddi valide possit, possit toleratus; 2) iis suffragiis, quibus sine speciali applicatione singula membra propter aliorum bona opera gratiâ divinâ juvantur; 3) participatione indulgentiarum, idque etiam quando excommunicatus per contritionem Deo reconciliatus sit. Privatim tamen orare etiam pro vitandis sane licet.

2. *Privat sacramentis recipiendis;* videlicet 1) graviter haec receptio prohibita est; 2) non tamen invalida, nisi forte propter defectum dispositionis in sacramento poenitentiae nullitas inducatur; 3) in gravi necessitate, v. g. infamiae periculo et similibus, excommunicatio suscipiendo sacramento non obstat, quod tamen in vitando vix potest evenire.

NB. Qui admittunt ad sacramenta nominatim excommunicatum, ipsi incurrunt: a) excommunicationem Papae reservatam, si *sponte* et

[1] Excommunicatio minor id inferebat, ut, qui ea tenebatur, ante absolutionem 1) non posset licite sacramenta recipere, 2) neque licite eligi ad beneficia et dignitates ecclesiasticas. Utrumque sub gravi prohibebatur: S. Alph. 147—150. — Absolutio vero hujus censurae dari poterat a quolibet approbato confessario.

scienter admittunt aliquem, qui a Papa nominatim excommunicatus est; b) interdictum ab ingressu ecclesiae, si utcunque aliquem ab alio nominatim excommunicatum admittunt.

3. *Privat sacramentis administrandis,* idque 1) per se sub gravi; 2) sed non facit irritum sacramentum, nisi forte aliquando absolutionem sacramentalem; 3) quemlibet sive toleratum sive vitandum excusat gravis necessitas sive propria, sive aliena, ita ut v. g. moribundus potius juvari *debeat;* 4) toleratus insuper excusatur, si a fidelibus rogatus sacramenta administrat.

4. *Privat officiis divinis reliquis,* seu S. Missae sacrificio et publicis 1135
officiis liturgicis, quae excommunicato non licet *peragere*, neque iis *assistere.* Imo peragere ei non licet ullum exercitium ordinis sacri, nisi forte *toleratus* rogetur a fidelibus.

At 1) nemini prohibetur, quin assistat concioni; 2) toleratus non prohibetur, quin ab aliis fidelibus rogatus sacris intersit, quod multo magis applica heterodoxis, qui pro haereticis formalibus non sunt sumendi; quare Ecclesia potius optat, ut hi sacris functionibus assistentes doctrinam et praxim Ecclesiae addiscant; 3) alioqui vero excommunicatus ex eo, quod sibi per se prohibitum sit, quominus Sacris intersit, non peccat diebus Dominicis et festis Missam non audiens, nisi forte omnino diu vel ex quodam contemptu negligat solutionem excommunicationis quaerere; 4) excommunicati vitandi, si se ingerant in officia divina, expellendi sunt: quod si fieri nequeat, fideles debent recedere atque sacrae functiones relinqui (Missam tamen ultra canonem vel consecrationem productam sacerdos cum ministro solo perficere debet usque ad sumptionem Ss. Sanguinis, reliqua in alio loco decenti peragere); 5) quilibet *notorie* excommunicatus sic potest quidem expelli, non tamen debet; 6) verum clericus, qui alioqui breviarium dicere debet, a privata recitatione nullatenus excusatur: dicere autem „*Dominus vobiscum*", vel cum socio sine aliqua necessitate recitare, pro veniali peccato habetur.

5. *Privat sepulturâ ecclesiasticâ,* diverso tamen modo; nam: 1136

1) Vitandus, qui sine signis poenitentiae decessit et in loco sacro sepultus est, exhumandus est, locus vero, *utpote pollutus,* est reconciliandus. 2) Vitandus, qui absolvi non poterat, attamen poenitentiae signa dedit, etiam post mortem absolvendus est, dein in loco sacro sepeliendus. Quodsi ante absolutionem sepultus est, *supplenda est absolutio,* sed non censetur locus sepulturae pollutus. 3) Toleratus, qui *notorie* excommunicatus est, si sine signo poenitentiae vel reconciliationis cum Ecclesia desiderii decessit, etiam privandus est sepultura ecclesiastica, imo si sepultus est in loco sacro, inde removendus est. At locus ille reconciliatione non indiget; id quod valet etiam, si notorie haereticus in loco sacro sepultus est. 4) Admissio ad sepulturam, si agitur de nominatim excommunicato, punitur: a) interdicto ab ingressu ecclesiae („Apostol. Sedis" ser. VI n. 2); b) excommunicatione Rom. Pontifici reservata, si clerici sponte et scienter exsequias faciunt circa eum, qui nominatim a Papa excommunicatus est (ibid. ser. II n. 17); c) excommunicatione non reservata ii puniuntur, qui mandant vel cogunt tradi ecclesiasticae sepulturae quoslibet nomi-

natim interdictos vel excommunicatos, aut notorios haereticos (ibid. ser. IV n. 1).

1137 6. *Privat jurisdictione ecclesiastica* sive externi, sive interni fori: 1) ita quoad vitandos, qui et illicite et invalide agerent, excipe tamen absolutionem sacramentalem in articulo mortis. 2) Toleratus, quamdiu titulo suo privatus non est, valide quidem agit; sed licito usu jurisdictionis privatur, nisi vel rogatus vel ex metu gravis damni seu diffamationis agat.

7. *Privat beneficiis ecclesiasticis,* 1) non quidem beneficio jam obtento; verum qui propter censuram muneri implendo impar evasit, non potest sibi omnes fructus retinere, nisi aliter providerit; atque etiam privari potest ipso beneficio, si per annum in excommunicatione permanserit. 2) Inhabilis autem est quilibet excommunicatus beneficiis *obtinendis,* ita ut ei *conferri* beneficium valide nequeat.

8. *Privat communicatione forensi,* ita ut excommunicatus 1) non possit publicum munus ullum in judicio ecclesiastico exercere vel saltem repelli valeat, possit tamen, si contra se agatur, sese defendere; 2) in ipso foro civili prioribus temporibus potuerit repelli et recusari, quominus esset judex, actor, advocatus; vel, si vitandus erat, ipso facto excludebatur.

9. *Privat communicatione civili* secundum pristinum jus, quod tamen hodie in praxi fere non viget, nisi vel agatur de communicatione in divinis, vel eam communicationem habeas, quae tibi periculum creet, alterum in crimine confirmet aliisve scandalo sit.

1138 Prohibuit quidem jus canonicum: signa familiaritatis, praecipui honoris, associationem privatam in fundendis precibus, communionem contráctûs et negotiationis, invitationem ad mensam; verum et illicita communicatio plerumque solum veniale peccatum secum trahebat, et quam plurimae causae jam dudum recensebantur, cur haec communicatio plane licita evaderet, sc.: utilitas, necessitas, status subjectionis, conjugalis foederis, ignorantia. Ex quibus causis quum nostra aetate aliqua vix non semper, vel saltem in plerisque casibus, exsisteret, haec prohibitio vel privatio fere inutilis evasit.

Cf. *Theol. mor.* n. 885—899.

§ 3.

Effectus excommunicationis mediati.

1139 Ad mediatos effectus pertinet: 1. *Irregularitas,* quae ex violatione censurae contrahitur: de quo vide infra *de irregularitatibus.*

2. *Suspicio haeresis,* quae habetur ex eo ipso, quod aliquis in excommunicatione per annum mansit: qui enim tantorum bonorum privationem aequo animo fert, suspicionem excitat, quasi non recte secundum fidem de iis sentiat.

3. Haec per annum in excommunicatione obstinata perseverantia *habetur pro probatione criminis,* propter quod poena est inflicta.

4. Post annum judex potest procedere ad *privationem ecclesiasticorum beneficiorum,* ut supra dixi.

Caput III.

De secunda censurarum specie, seu de suspensione.

§ 1.

Notio et divisio.

1. *Suspensio est censura, qua clericus privatur quodam usu potestatis* 1140
ecclesiasticae vel functionum sacrarum exercitio. Pro distinctione ab aliis poenis haec nota:

1) Suspensio est poena *in solos clericos;* 2) ea privat tantum *activo usu quarumdam rerum sacrarum,* non usu *passivo* seu receptione: quare nulla suspensio obstat, quominus clericus, si aliter dispositus est, sacramenta ecclesiastica recipere possit, aut defunctus ritu ecclesiastico sepeliatur; 3) suspensio distinguitur a depositione et degradatione, quae sunt poenae per se *vindicativae* et privant non usu tantum et exercitio ecclesiasticae potestatis, sed ipso titulo *ecclesiastico* atque, *quantum ab Ecclesia pendet,* ipsa potestate. Dixi „quantum ab Ecclesia pendet"; nam potestate solius ordinis, utpote in charactere indelebili fundatâ, is, qui ordinatus est, privari nequit.

2. *Suspensio non semper omni usu potestatis privat,* sed esse potest: 1141

1) Suspensio *ab officio,* quae privat usu et ordinum et jurisdictionis.

2) Suspensio *a beneficio,* quae perceptione fructuum beneficii ejusque administratione privat.

Suspensio ab officio saepissime partialis tantum est, ita ut habeatur:

3) Suspensio *ab ordine,* quae sacrorum ordinum usu privat; imo haec esse potest partialis: *a Pontificalibus,* quae liberum exercitium presbyteratûs relinquat; *a presbyteratu, a diaconatu* etc.

4) Suspensio *a jurisdictione,* eaque partialis, v. g. *a confessionibus audiendis.*

Si suspensio sine alia determinatione statuitur, intelligitur totalis, i. e. *ab officio et beneficio.*

3. Pro diverso modo, quo feratur suspensio, non solum consuetas distinctiones latae et ferendae sententiae etc. habes; sed Concil. Trid. statuit peculiarem formam suspensionis *ab informata conscientia* „ex quacunque causa etiam ob occultum crimen [non ob publicum] quomodolibet etiam extrajudicialiter" sess. 14 c. 1 *de ref.,* quae tamen a beneficio fieri nequit.

4. *Suspensio id etiam speciale habet, ut non sit semper censura;* 1142
potest enim ut *poena vindicativa* imponi, quod in dubio non est sumendum.

Signa autem, ex quibus ut poena vindicativa dignoscatur, sunt: 1) si non indefinite, sed expresse *in perpetuum* imponitur; 2) si pro peccato *omnino praeterito;* 3) si ex informata conscientia *ne implicite quidem causâ manifestatâ;* 4) si ex *sententia particulari* judicis *post* patratum crimen ad certum tempus: non, si ita est latae sententiae; 5) si *oretenus* infligitur ab eo, qui censuram in scriptis tantum infligere potest; 6) si statuitur eam durare *ad arbitrium* vel *beneplacitum* judicis; 7) si fertur *in communitatem qua talem.*

§ 2.

Effectus suspensionis.

1143 1. *Suspensus per se graviter peccat, si actum sibi prohibitum exercet.* In aliquibus tamen parvitas materiae admitti potest, ut quando suspensus ab ordine benedictionem mensae (i. e. prandii vel coenae) faciat.

Easdem vero causas excusantes omnino admittere debemus, quas in excommunicatione excusare cognovimus, videlicet gravem metum, periculum diffamationis, aut etiam petitionem fidelium, relate ad eum, qui occulte suspensus est neque vitandus.

2. *Suspensus publice non toleratus invalide exercet jurisdictionem,* quippe qua privatus exsistit; toleratus autem semper valide eam exercet, quantumvis illicite, sicut de excommunicato dictum est.

3. *Qui suspensionem, quae censura sit, exercitio ordinis sacri sibi per suspensionem interdicti violat, irregularitatem incurrit.* Excipe semper causas n. 1. relatas; nam quod sine novo delicto gravi fit, irregularitatem non inducit.

1144 Hinc communiter deducunt: 1. Episcopus a Pontificalibus suspensus, non incurrit irregularitatem, si in Pontificalibus celebrat. Celebrare enim non est episcopalis ordinis proprium, sed presbyteralis; id autem *in Pontificalibus* facere, grave quidem illi peccatum est, at non mutat actûs *substantiam,* quae ad inferiorem *ordinem* sibi non interdictum spectat.

2. Episcopus a Pontificalibus suspensus, qui sacros ordines confert, vel confirmat, sacra olea consecrat, sive altaria, templa, fit irregularis. Haec enim omnia aut ex Christi institutione, aut ex Ecclesiae lege ad *ordinem* pontificalem pertinent; ordo vero episcopalis vere ordo *sacer est,* a presbyteratu distinctus. Quapropter id, quod aliqui dicunt, ne in illis quidem casibus irregularitatem contrahi, eo quod episcopatus ordinem novum et distinctum non constituat, prorsus rejiciendum est: v. S. Alph. *H. Apost.* tr. 19 n. 64.

§ 3.

Suspensionis cessatio.

1145 1. Suspensio pro certo tempore lata *ipso temporis lapsu* cessat.

2. Suspensio, quae censura non est, *dispensatione* ejus, qui eam inflixit, indiget, quâ auferatur.

3. Suspensionis censura indefinite lata, vel cujus cessatio ante tempus definitum petitur, *absolutione* est auferenda[1].

4. Quae absolutio Superiori reservatur: 1) si est suspensio ab homine, 2) si utcunque est pro certo tempore statuta, 3) si ex natura causae absolutio in foro externo necessaria est, 4) si in ipso jure reservatio est expressa: hinc raro nostra aetate habes suspensionem non reservatam, a qua in foro interno quilibet confessarius possit absolvere.

[1] Si qua vero suspensio „ab informata conscientia" indefinite fertur „ad beneplacitum", tunc cessabit cum jurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis: ita Instr. S. C. P. F. 20. Octobr. 1884 n. 4.

5. In articulo mortis autem probabile est, hanc absolutionem fieri posse, salva obligatione pro suspenso, se post recuperatam forte sanitatem Superiori sistendi et standi mandatis Ecclesiae.

Caput IV.

De tertia censurarum specie seu de Interdicto.

§ 1.

Generalis notio et divisio.

1. Tertia et ultima censura est *interdictum, quod est censura, qua* 1146
aut certis personis aut in certis locis interdicuntur quaedam sacramenta aliaeque quaedam sacrae functiones, diverso tamen modo, quam in excommunicatione et suspensione. Nam prior usu rerum sacrarum privat, ut ille usus est *communicatio cum Ecclesia et fidelibus.* Suspensio usu sacrarum rerum privat, quatenus est *exercitium sacrae potestatis.* Interdictum usu illarum privat, quatenus sunt *quaedam res sacrae.* Cf. Suarez *de censuris* disp. 32 ab initio.

2. *Quoad divisionem interdicti* haec nota:

1) Interdictum est aut *locale,* aut *personale,* aut *mixtum,* prout a) usus rerum sacrarum immediate prohibetur fieri *in aliquo loco* (atque homines, quatenus in eo loco sunt, afficiuntur), aut b) immediate prohibetur *certis personis,* aut c) *utrumque simul* immediate fit.

2) Interdictum est aut *generale,* aut *speciale* sive *particulare,* prout a) interdictum fertur in aliquod totum, et *consequenter* in partes, quatenus ad illud totum pertinent, aut b) *immediate* in singularem seu particularem locum vel personam fertur. Hinc esse potest:

Interdictum locale generale, locale speciale, personale generale, personale speciale.

3) Interdictum aut *totale* aut *partiale* est, prout omnium illarum rerum sacrarum usus, quae prohiberi solent, interdicitur, aut una alterave pars tantum. Sic partiale interdictum est, quod vocatur *„ab ingressu ecclesiae“.*

3. *Quoad culpam seu causam,* propter quam interdictum ferri 1147
potest, haec breviter dicenda sunt:

1) Interdictum personale speciale requirit culpam personalem ipsius rei, qui punitur, eumque poena statuta ubique comitatur.

2) Interdictum personale generale (v. g. in cives talis loci, in capitulum, familiam latum) non requirit necessario culpam *omnium* membrorum; nihilominus comitatur, saltem ex parte, omnes particulares personas sub communitate ista comprehensas, ubicunque exsistunt. Sed personaliter innocentes possunt ab interdicto se eximere, si possibile ipsis est desinere esse membra illius communitatis, et si re ipsa desinunt.

4. *Quoad ambitum interdicti* haec adverte:

1) Interdictum locale generale comprehendit omnia loca particularia sive sacra sive non sacra intra limites loci generalis exsistentia; imo loca exempta in illis conditionibus ab ipso jure interdicuntur, sicut etiam suburbia et loca adeo vicina, ut ad ea facillime transitus et con-

fluxus fieri possit atque ita interdictum effectu fere careat. Quare etiamsi locus ille vicinus alius dioecesis sit, habetur interdictus *a jure:* v. Suarez *de cens.* disp. 32 sect. 2 n. 23. Interdictum vero locale speciale ad determinatum locum vel determinata loca restringitur.

2) Dein in locali interdicto attende principium: Accessorium sequitur principale, non vice versa.

3) Interdictum locale semper involvit aliquod interdictum *personale speciale*, idem dic de interdicto personali generali; scilicet ii personaliter speciatim interdicuntur, qui causam interdicto dederunt, reliqui non ita.

§ 2.

Uberior explicatio effectuum interdicti.

1148 I. *Prohibentur quaedam Sacramenta*, videlicet: 1) Ss. Eucharistiae distributio, nisi sit pro Viatico; 2) nuptiarum *benedictio;* 3) collatio ordinum; 4) extrema unctio praeter casum necessitatis, si quando aliud sacramentum moribundo ita certo conferri non possit.

Personaliter vero interdicti ad sacramenta *nullatenus* admittendi sunt, nisi et versentur in periculo mortis neque de impoenitentia constet.

II. *Prohibentur alia officia divina*, scilicet Ss. Missae sacrificium aliaeque liturgicae functiones.

At 1. In generali interdicto non comprehenduntur clerici, ita ut illi januis clausis et sine cantu divina officia peragere possint et debeant.

2. In locis generaliter interdictis licebit officia divina januis apertis et cum cantu peragere in festis solemnioribus, sc. Nativitatis Domini N., Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Corporis Christi cum tota sua octava: ita ut ii, qui personaliter rei non sint, possint etiam ad S. Communionem accedere.

3. In ecclesiis etiam specialiter interdictis, in quibus Ss. Eucharistia asservanda est, licet semel in hebdomada celebrare occulte et januis clausis ad renovandum Ss. Sacramentum pro infirmis.

III. *Prohibetur ecclesiastica sepultura.* Excipiuntur: 1) clerici, nisi ipsi *personali* interdicto comprehenduntur; at exsequiarum officia sine solemnitate et in ecclesia peragenda sunt, imo in interdicto locali speciali exsequiae habendae sunt sine Missa; 2) infantes et innocentes in *locali* interdicto sic excipiuntur, ut extra locum interdicti sepeliri possint, vel etiam festis illis solemnioribus in loco generaliter interdicto. Cf. *Theol. mor.* n. 908—912.

§ 3.

De interdicto „ab ingressu ecclesiae" speciatim.

1149 1. Per interdictum *„ab ingressu ecclesiae"* reo haec prohibentur:

1) celebratio divinorum officiorum vel exercitium ordinis sacri in ecclesia;

2) assistentia divinorum officiorum in ecclesia;

3) sepultura (sepeliri) in ecclesia aut ecclesiastico coemeterio, nisi poenituerit: ex cap. *„Is cui"* (20) l. 5 tit. 11 in 6.

NB. *Ecclesia* sumitur pro omnibus aedibus sacris publice deputatis ad officia divina ibi peragenda; comprehenduntur igitur *oratoria publica, non oratoria privata.*

2. Non obstante interdicto ab ingressu ecclesiae, licet tali interdicto, nisi aliud quid obstat, sequentia agere:

1) tempore, quo divina non peraguntur in ecclesia, eam ingredi; vel etiam tempore, quo peraguntur, sed tum solummodo per eam transitum facere, ita ut mora non trahatur ad assistendum divinis officiis: ita probabiliter secundum complures scriptores, v. Del Vecchio I. n. 555;

2) imo tempore, quo divina non peraguntur, licet interdicto sacramenta *recipere*, sed non ea administrare;

3) *extra ecclesiam*, si id alias interdicto licet, potest divina peragere; idque licere potest etiam in coemeterio: nam id unum, quod propter illud interdictum in coemeterio quolibet ecclesiastico non licet, est, virum interdictum sepeliri.

§ 4.

Violatio interdicti, ejusque culpae gravitas.

1. *Omnes, qui personale interdictum violant, per se graviter pec-* 1150
cant, nisi forte causa necessitatis, ut in aliis censuris, praecipue occultis, excusat, aut parvitas materiae, v. g. assistentia in divinis officiis brevi tempore facta ab aliquo qui specialiter interdictus non est.

2. *Clerici graviter peccant* locale interdictum violantes per sacramentorum administrationem, celebrationem divinorum vel januis apertis vel solemniter vel admissis interdictis, sepulturae concessionem: praeter casus in jure exceptos. — Attamen si brevi tantum tempore janua relinquitur aperta, censetur materia parva.

3. *Laici interdictum locale violantes graviter peccant:* 1) si recipiunt sacramenta prohibita, 2) si cogunt alios ad officia divina aut impediunt exclusionem eorum qui prohibentur assistere, 3) si compellunt ad ecclesiasticam sepulturam, 4) si ipsi in loco interdicto aliquem sepeliunt.

4. Si quis vero innocens clam tantum in ecclesiam se confert ibique divinis officiis interest, secundum complures veniale tantum peccatum committit, quamquam unum ex gravioribus peccatis venialibus.

5. Qui interdictum *personale* violat per exercitium actionis sacro 1151
ordini annexae, vel in loco quoquo modo nominatim interdicto quodvis divinum officium celebrat, incurrit *irregularitatem:* cf. d'Annibale I. n. 374. — Aliae poenae hodie manserunt sequentes:

1) excommunicatio non reservata in eos, qui mandant vel cogunt ad sepulturam ecclesiasticam hominis nominatim interdicti (Constit. *„Apostolicae Sedis“* ser. IV. n. 1);

2) suspensio Rom. Pontifici reservata contra eum, qui ab Episcopo nominatim interdicto ordinem suscepit, eaque suspensio incurritur *ab ordine sic suscepto* (ibid. *Suspens.* n. 6);

3) interdictum ab ingressu ecclesiae contra eos, qui interdictum locale violant celebrando aut celebrari faciendo divina (ibid. *Interd.* n. 2);

4) activa et passiva electione privantur clerici vel religiosi violantes interdictum locale; ex cap. *„Is qui“* (18) l. 5 tit. 11 in 6.

NB. Ab interdicto personali speciali, quod a jure sit latum pro indeterminato tempore, nisi reservatio sit expressa aut natura causae eam exigat, absolvere quidem potest, si de foro interno agitur, supposita justa dispositione poenitentis, quilibet confessarius; ab aliis autem interdictis absolvere ille tantum potest, qui tulit, vel qui ejus Superior est. Excipitur probabiliter articulus mortis, ut supra dictum est de suspensione.

Caput V. — Appendix.

De poenis ecclesiasticis vindicativis, quae quoad effectus censuris sunt similes.

1152 Aliquam, etsi brevissimam, notionem dandam duxi de aliis poenis ecclesiasticis, ex quibus quaedam cum suspensione, cum interdicto aliae cognationem habent. Priores sunt depositio et degradatio; posteriores cessatio a divinis et denegatio ecclesiasticae sepulturae.

§ 1.

Depositio.

1. *Depositio poena ecclesiastica est* — utar verbis Bened. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 cap. 6 n. 3 — *per quam clericus perpetuo removetur a suscepti ordinis exercitio, aut ab officio et ecclesiasticae jurisdictionis usu, aut a beneficio, aut denique ab ordine simul et officio atque beneficio.*

2. Distinguitur a suspensione: 1) eo quod semper privat non tantum licito, sed etiam valido usu ejus potestatis, quae ab Ecclesia pendet (a fortiori inducit, sicut suspensio, inhabilitatem ad aliquod ecclesiasticum officium vel beneficium accipiendum); 2) eo quod depositio est de se *perpetua,* neque mere medicinalis poena.

3. Ut haec poena infligi possit, clericus convictus esse debet alicujus gravis sceleris commissi.

4. Clericus depositus retinet nihilominus utrumque privilegium fori et canonis.

§ 2.

Degradatio.

1153 1. *Poena degradationis,* quae multo magis perpetua est et per se non condonatur, *id addit super depositionem, ut clericum coram ecclesiastico foro omnino releget ad statum laicalem,* ita ut omni officio clericali et jure ad id privatus exsistat, neque amplius privilegio fori vel canonis fruatur.

2. Distinguitur tamen degradatio *verbalis* et *realis* (sive actualis). Verbalis degradatio solo privilegio fori privat, relinquit clerico privilegium canonis; cum reali degradatione utriusque privilegii exstinctio conjungitur.

3. Pro majore dignitate clerici degradandi major numerus judicum, imo Episcoporum requiritur, ut coram iis res agatur. Cf. tamen Trid. sess. 13 c. 3 *de ref.*

Degradationem verbalem subsequitur, si ad illam procedendum est, realis, qua clericus ornatu suo competenti indutus gradatim sacris vestibus et insignibus exuitur cum caerimoniis in Pontificali descriptis. Quibus expletis, degradatus judici laicali adstanti traditur, ut secundum civiles leges in reum animadvertatur; commendatur quidem judici, ut moderatione utatur et a poena sanguinis abstineat.

4. Degradationem Episcopus infligere nequit, nisi propter gravissima crimina, in quibus clericus incorrigibilem se ostendit, aut quibus *in jure* haec poena decernitur. Incorrigibilis ille censetur, qui neque depositione neque excommunicatione ad meliorem frugem reduci potuerit.

Crimina, quibus ex jure communi degradationis poena annexa sit, a Bened. XIV. l. c. *de syn.* l. 9. c. 6 n. 7 haec recensentur:

1) haeresis et apostasia, saltem si relapsus aut pertinacia accedat; 2) falsificatio literarum Apostolicarum; 3) assassinium; 4) frequens sodomia; 5) celebratio Missae vel exceptio confessionum sine ordine presbyterali; 6) furtum SS. Eucharistiae; 7) procuratio abortûs (post foetum animatum) effectu secuto.

At in aliis etiam criminibus valde atrocibus, si ut supra de incorrigibilitate constat, ad degradationem tandem procedi potest.

5. Clericus vero degradatus per se nullo modo eximitur ab obligatione recitandi officii divini, aliisve oneribus, nisi forte propter aliam poenam superadditam — e. g. condemnationem ad triremes — recitatio divini officii fiat moraliter impossibilis.

§ 3.

Cessatio a divinis.

1. Cessatio a divinis non tam poena est, quam publicus luctus 1154
impositus propter gravissimum crimen in aliquo loco commissum; est autem semper *localis.*

2. In effectibus suis, ut ex ipso nomine apparet, similitudinem habet cum interdicto.

3. Differt ab interdicto per hoc, quod neque certis quibusdam diebus, neque privatim a quibusdam personis divina peragi possunt, sed totaliter abstinendum est 1) a sacramentis, 2) a divinis officiis, 3) a sepultura ecclesiastica.

4. Quandam speciem cessationis a divinis habemus in iis casibus, quando ecclesia polluitur. Alias cessatio a divinis ab homine imponi debet; nam ab ipso solo jure praeter ecclesiae pollutionem in nulla causa ex sese imponitur.

5. Sacramenta *necessaria,* quae in interdicto conceduntur, etiam tempore cessationis a divinis conferri licet.

§ 4.

Sepulturae ecclesiasticae denegatio.

1. Praeterquam excommunicatis et interdictis, etiam aliis ecclesia- 1155
stica sepultura negari debet. De quo confer, quae Rituale Rom. habet *de Exsequiis* cap. 2.

Speciatim hi enumerandi sunt: 1) infideles *non baptizati,* imo etiam infantes sine baptismo mortui; 2) *notorii haeretici sive schismatici* eorumque sectarum asseclae, et increduli vel apostatae; 3) *ii qui in duello occubuerunt:* quos Bened. XIV. privari vult ecclesiastica sepultura, etsi extra locum conflictûs post data signa poenitentiae et receptam absolutionem defuncti sint, — quare mitior agendi ratio cum iis, qui poenitentes et reconciliati obierunt, si alicubi invaluit, ex sola legitima consuetudine excusari potest; 4) *suicidae,* nisi probabile sit, eos in amentia sive rationis impotes sibi vim intulisse, aut nisi ante decessum poenitentiam ostenderunt; 5) omnes peccatores publici et notorii, qui *in impoenitentia defuncti* sunt.

1156 2. Non deneganda est sepultura ecclesiastica iis fidelibus, qui, quantumvis peccatores fuerint, ante mortem sinceram poenitentiam egerunt. Quare non excluduntur a christiana sepultura: 1) capitis damnati, qui sacramentaliter confessi sunt, quamquam *solemnitas* omittitur; 2) ii qui artem illicitam exercuerunt, si similiter ante mortem sunt conversi; 3) ii qui diu sine sacramentorum participatione vitam egerunt, si modo ante mortem sacramentorum recipiendorum desiderium manifestaverunt seu sacerdotem advocarunt; 4) ii, qui aliter scandalo publico fuerunt, sed in mortis articulo scandalum submoverunt atque satisfactionem praestiterunt.

3. *In dubio, num causa denegandae sepulturae subsit, potius in mitiorem partem inclinandum est.* Verum animadverte, eum qui publice scandalo fuit, tamdiu pro impoenitente haberi, donec publice vel saltem coram testibus poenitentiam ostenderit. — In dubio *juris* consulatur Episcopus, cujus judicio per se standum est.

4. Si catholici ex necessitate cum acatholicis vel infidelibus sepeliri debent, ita ut ne pars quidem separata coemeterii iis concedatur, nihil relinquitur, nisi ut *singula sepulchra* benedicantur.

Sectio II.

De censuris latae sententiae singillatim consideratis secundum Bullam Pii IX. „Apostolicae Sedis" ex die 12. Octob. 1869.

Cf. Pennacchi *de Constit. „Ap. S.";* d'Annibale, Formisano, *Comment.* in eand. Bullam; Heiner, *die kirchl. Censuren;* meam *Theol. mor.* n. 920—1002.

Caput I. seu Series I.

Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatae latae sunt contra:

1157 1. *„Omnes a christiana fide apostatas*[1]*, et omnes ac singulos haere-*

[1] i. e. qui post susceptum baptismum et fidem christianam religionem relinquunt ex mente et externe id produnt: qui externe desciscit, praesumitur apostata. Quoad excommunicationem nihil interest, fiatne transitus ad falsum cultum an ad nullum.

ticos[1], *quocunque nomine censeantur et cujuscunque sectae exsistant*[2]; *eisque credentes*[3], *eorumque receptores*[4], *fautores*[5], *ac generaliter quoslibet eorum defensores*[6].

2. „*Omnes et singulos scienter*[7] *legentes*[8] *sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes*[9], *necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos*[10], *eosdemque libros retinentes*[11], *imprimentes*[12], *et quomodolibet defendentes*[13].

3. „*Schismaticos*[14] *et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore exsi-* 1158
stentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt[15].

4. „*Omnes ac singulos cujuscunque statûs, gradûs seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes*[16], *necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit*[17].

---

[1] qui scientes et deliberato animo negant vel in dubium vocant aliquem articulum fidei ab Ecclesia propositum; essentialiter non differunt ab apostatis, sed solum materialiter minus negant, quam illi.

[2] Transitus ad certam sectam non est necessarius; sufficit, animum haereticum manifestasse, nisi forte consilii causa fiat.

[3] Hi vere sunt apostatae vel haeretici; quamvis enim non ipsi certum articulum ex se rejiciant, tamen id faciunt implicite, quum *consentiant* haereticis.

[4] Receptor dicitur, qui occultat vel protegit reum, quando juste quaeritur ad poenam: nisi forte amicitiae causa id faciat.

[5] i. e. sive omissione obligationis sui officii, sive commissione, in causa tamen haeresis.

[6] Defensio debet esse non necessario doctrinae quidem, at, si hominis haeretici, in causa tamen haeresis.

[7] Verbum „*scienter*" refer ad omnia membra sequentia.

[8] Ergo non oculis lustrare librum ignotae linguae, neque in lingua nota legentem audire, vel librum legi jubere; imo a censura excusat etiam parvitas materiae v. g. pagina in qua specialis error non defenditur.

[9] Ergo non sufficit, ut aliquae haereses sparsim occurrant; sed libri notabilis pars hunc finem prae se ferre debet, ut accitis rationibus haeretica doctrina stabiliatur.

[10] Altera classis librorum est eorum, qui literis ab ipso Summo Pontifice datis vel subscriptis nominato titulo sub poena excommunicationis prohibentur.

[11] sive sibi, sive pro altero retinere: pauci dies sunt materiae parvitas, maxime si interim quaeritur licentia.

[12] intellige: scribentem eo fine ut imprimatur, si re vera impressio sequatur; eum qui imprimendum mandat; qui negotium suscipit; qui characteres collocat, aliosque proxime cooperantes, nisi gravi omnino causa excusantur.

[13] Defensio sive realis, ne destruatur vel supprimatur; verbalis per laudes et commendationes, nisi hae fiant cum restrictione, ita ut reprehendatur falsa doctrina, efferatur dicendi modus.

[14] i. e. qui se separant a reliquo corpore Ecclesiae.

[15] i. e. qui se separant a legitimo capite: quare hi quoque re ipsa sunt schismatici.

[16] Non attenditur causae justitia vel injustitia, sed injuria quae committitur appellando a Superiore ad tribunal inferius.

[17] Ut complices poenâ afficiantur, debet adesse influxus *efficax*, et appellatio re secuta.

1159 5. „*Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos*[1], *Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuntios, aut eos ex suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes*[2], *vel rata habentes*[3], *seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem*[4].

1160 6. „*Impedientes*[5] *directe*[6] *vel indirecte*[7] *exercitium jurisdictionis*[8] *ecclesiasticae sive interni*[9] *sive externi*[10] *fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes*[11].

7. „*Cogentes*[12] *sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones*[13]*: item edentes leges*[14] *vel decreta*[15] *contra libertatem aut jura Ecclesiae*[16].

8. „*Recurrentes*[17] *ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejus legatis aut delegatis quibuscunque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte*

---

[1] Intelliguntur omnes qui episcopali charactere insigniti sunt, quamquam, nisi dioecesim regendam habent, non omnia injuriarum genera contra eos exerceri possunt.

[2] intellige: effectu secuto.

[3] si videlicet antea quaedam egerunt, ex quibus alii concludere poterant, ejusmodi violentiam ipsis ut ipsorum nomine faciendam gratam esse.

[4] i. e. cooperantes efficaciter.

[5] Obstaculum ponere vi, minis, jussione.

[6] erga ipsum eum, qui jurisdictione potitur.

[7] v. g. erga alios, ita tamen, ut vis etc. redundet in eum, qui jurisdictione ecclesiastica fruitur.

[8] distingue ergo ab iis, quae sunt solius ordinis, vel alicujus juris quod nullam in alios potestatem denotat.

[9] ut: audire confessiones, vel ea exercere quae apud S. Poenitentiariam geruntur.

[10] ad quae spectant illa, quae gubernationem Ecclesiae respiciunt.

[11] Probabiliter ipsi recurrentes etc. aliique cooperantes tum demum censuram incurrunt, quum a foro saeculari mandatum contra Superiorem ecclesiasticum latum eique intimatum vel contra eum publicatum fuerit, ita ut impedimentum ex se efficax Superiori ecclesiastico sit creatum.

[12] Soli ii sunt, qui auctoritate potiuntur, vel qui leges, quibus judex cogatur, condunt: ita ex decreto S. Off., a Leone XIII. conf., d. 23. Jan. 1886.

[13] Praeter jus commune hîc intellige etiam varia Concordata; simul adnumerari licet *legitimam* consuetudinem, *si qua exsistit*, quâ major potestas civili foro competat.

[14] Ergo si plures factores concurrere debent ad legalem legis exsistentiam, omnes ii qui efficaciter cooperati sunt excommunicati evadunt, ubi primum lex specietenus perfecta fuerit seu promulgata.

[15] Intellige ordinationes, quae quandam cum lege similitudinem ejusve stabilitatem habeant, non solum particularia **mandata**.

[16] Habes in nostrorum temporum regnis amplissimam materiam, quae huc spectat.

[17] Puto, solum recursum sufficere, etsi, qui recurrit, passus sit repulsam.

prohibentes[1], *aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes*[2] *vel perterrefacientes*[3].

9. „*Omnes falsarios*[4] *literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis,* 1161
ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per R. Pontificem vel S. E. R. Vice-Cancellarios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem R. Pontificis signatarum: necnon falso publicantes[5] *literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes*[6] *supplicationes hujusmodi sub nomine R. Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.*

10. „*Absolventes*[7] *complicem*[8] *in peccato turpi*[9], *etiam in mortis ar-* 1162
ticulo[10], *si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.*

11. „*Usurpantes*[11] *aut sequestrantes*[12] *jurisdictionem, bona, reditus ad* 1163
personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes[13].

12. „*Invadentes, destruentes, detinentes per se vel alios civitates, terras, loca ac jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, retinentes,*

---

[1] sive formaliter vetando, sive molestiam inferendo iis, qui promulgant vel qui utuntur literis vel concessionibus, sententiis S. Sedis etc.

[2] qui malum *inferunt.*

[3] qui malum inferri *jubent,* vel qui *minis gravibus* terrent.

[4] Qui in literis nomine R. Pontificis confectis vel subscriptis aliquid *mutat, addit, demit,* quo sensus mutetur.

[5] i. e. sive conficias publicare, sive veras sine jussu S. Pontificis publicare ac si fieret ejus mandato; ergo falsas conscribere non *illico* excommunicatione punitur.

[6] i. e. literas supplices ad S. Pontificem directas signare ac si S. Pontifex ipse eas signasset.

[7] Habes hic casum *specialissime* R. Pontifici reservatum. Ita se gerere, ac si valida data esset absolutio, non solum excipere confessionem; S. Poenitentiaria a. 1882 et S. Officium 5. Dec. 1883 dixerunt, fictionem absolutionis a censura non excusare.

[8] Intelligitur peccatum mortale ex parte utriusque, atque ita ut mutuo se ut complices aut cognoverint quando peccaverunt, aut cognoscant quando absolutio datur: aliis verbis formalis complicitas et formalis ut complicis absolutio. — Non incurritur censura, si illud peccatum turpe utcunque, etiam sacrilege, a poenitente reticetur.

[9] Quodlibet peccatum contra *sextum* praeceptum *externe grave,* sive cum ejusdem, sive cum alterius sexûs persona commissum; sive post sive ante sacerdotium commissum; etiam, ut tenet S. Offic. 28. Maji 1873, turpe colloquium vel turpes aspectus.

[10] Extra articulum mortis praeter censuram statuitur nullitas absolutionis; in articulo mortis nunquam absolutio invalida est ex defectu jurisdictionis, sed absolvens incurrit excommunicationem, si temere ipse complex se ingerit, quando alius sacerdos potest vel potuit advocari.

[11] Assumere sibique vindicare, ac si jure suo agat.

[12] Ea segregare ab usu et administratione eorum, ad quos jure pertinent, ita ut ii a jure suo impediantur.

[13] Ergo non omnia bona ecclesiastica *hac severa* poena proteguntur, sed solum ea, quae ad ecclesiarum rectores vel ad beneficiatos ut tales pertinent.

perturbantes supremam jurisdictionem in eis[1]*; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.*"[2]

Appendix.

1164 Ad hasce excommunicationes per Bullam „*Apostolicae Sedis*" latas alia addenda est ex Constit. Pii IX. „*Romanus Pontifex*" 28. Aug. 1873.

„*Si Dignitates, Canonici cathedrales ... concedere et transferre in nominatum et praesentatum ad eandem ecclesiam, ejus curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore ausi fuerint, praeter nullitatem ... praedictae concessionis et translationis praefatos Canonicos ac Dignitates excommunicationis majoris, necnon privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcunque, aliorumque redituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et nodatos fore decernimus et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore exsistenti dumtaxat specialiter reservamus*[3].

„*In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis aliisque, de quibus supra, in eos peracta, necnon ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cujusque status, conditionis et praeeminentiae et dignitatis fuerint*[4].

„*Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sunt insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam.*"[5]

---

[1] Protegitur temporalis possessio atque temporalis principatus *Romanae* Ecclesiae ejusque Capitis: punitur hostilis invasio, devastatio, illegitima detentio, temporalis principatûs illegitima occupatio, vel in eo successio.

[2] Quilibet cooperatores, sive positivi, sive etiam negativi quando ex hoc alii primarie agentes animum hauserunt: *perturbantes* ut incurrant censuram, sufficit, ut in pacifico exercitio supremae jurisdictionis temporalis S. Pontifex impeditus fuerit. — De spirituali jurisdictione vide supra § 6.

[3] Crimen igitur, de quo sermo est, praecipuum est illud: eum in Vicarium capitularem, Episcopali sede vacante, eligere vel sufficere, vel ei administrationem dioecesis concedere, qui et postquam ad eandem sedem vacantem electus aut praesentatus fuerit; non autem eundem in munere Vicarii capitularis, ad quod antea electus fuerit, relinquere. Ratio legis est impedire, quominus ille in administrationem Episcopatûs intrudi possit, quem S. Sedes fortasse nolit confirmare.

[4] Personae, quae excommunicantur, sunt a) Dignitates et Canonici, qui talem instituere conantur; b) ille, qui ejusmodi munus sibi oblatum suscipit; c) omnes, qui auxilium, consilium, favorem praestant.

[5] *Excommunicationem* incurrunt illi tantum et eorum quilibet, qui Episcopali charactere insigniti non sunt, quamquam fortasse reges sunt vel Cardinales. — Episcopi mitiore poena *suspensionis* et *interdicti* puniuntur.

Caput II. seu Series II.

Excommunicationes ordinario modo R. Pontifici reservatae latae sunt contra:

1165 1. „*Docentes et defendentes*[1] *sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae*[2]; *item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV. in Const. ‚Suprema‘ 7. Julii 1745; ‚Ubi primum‘ 2. Julii 1746; ‚Ad eradicandum‘ 28. Sept. 1746*[3].

1166 2. „*Violentas manus, suadente diabolo*[4], *injicientes*[5] *in clericos vel utriusque sexûs monachos*[6], *exceptis quoad reservationem*[7] *casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.*

1167 3. „*Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes*[8], *et quoslibet complices*[9], *vel qualemcunque operam aut*

---

[1] Hinc necessarium non est, ut interno assensu aliquis eas theses damnatas teneat: adverte insuper, si quae theses *ut haereticae* damnatae sunt, contrahi excommunicationem *speciali modo* R. Pontifici reservatam.

[2] Sunt: a) articuli 45 Wicleffi et 30 art. Joan. Hussii, b) 41 theses Lutheri, c) theses 79 Bajanae, d) thesis de confessione epistolari, e) theses 45 ab Alex. VII. damnatae, f) theses 65 ab Innoc. XI. damnatae, g) propositiones M. de Molinos, h) theses 2 et postea 31 ab Alex. VIII. damnatae, i) theses 101 Quesnellii, k) theses 5 de duello per Bened. XIV. damnatae, l) propositiones 85 Conciliab. Pistoriensis; praeter eas, quae expresse ut haereticae damnatae sunt.

[3] Bened. XIV. damnavit praxim postulandi a poenitente sub poena denegandae absolutionis nomen complicis, quo ille corriperetur: quod non excludit, posse aliquando confessarium, qui simul gerit officium Superioris, postulare, ut sibi complex indicetur, si nimirum agitur de gravi damno a communitate avertendo.

[4] Quod intelligitur de peccato *mortali*.

[5] Violentas manus injicere de qualibet corporali injuria seu laesione mortaliter peccaminosa intelligitur; atque comprehendi videntur omnes cooperantes.

[6] Clerici et religiosi *sensu lato* sumuntur, includendo omnes novitios, pias congregationes, omnes tonsuratos qui privilegio canonis (ut hic articulus vocatur) non sint privati.

[7] Distinguitur laesio levis, simpliciter gravis, enormis sive ratione corporalis laesionis sive atrocis injuriae propter circumstantias. — Ex juris dispositione Episcopus absolvere potest a) a percussione levi (quamquam semper supponitur peccatum grave); b) a percussione etiam gravi occulto; c) a percussione non-enormi etiam publica commissa ab impubere, muliere, iis qui in communitate vivunt. Religiosus, qui religiosum percusserit, si *enormiter*, a R. Pontifice absolvendus est, alioquin a Praelato percussi, suo Praelato consentiente; si clericum saecularem percussit, a R. Pontifice, nisi *levis* fuerit percussio, quam absolvat Ordinarius clerici laesi. — Haec de jure communi; sed non raro per privilegia conceditur facultas etiam amplior.

[8] Provocatio et acceptatio duelli censurae subjacet, etsi duellum non sequatur.

[9] Complices sume ipsius *duelli*, i. e. si duellum re ipsa secutum sit.

favorem praebentes, necnon de industria spectantes[1], *illudque permittentes*[2], *vel quantum in illis est non prohibentes*[3], *cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.*

1168 4. *„Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis*[4], *quae contra Ecclesiam vel legitimam potestatem seu palam seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcunque praestantes*[5], *eorumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes*[6], *donec non denuntiaverint*[7].

5. *„Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes*[8].

1169 6. *„Violantes clausuram monialium, cujuscunque generis aut conditionis, sexûs vel aetatis fuerint*[9], *in earum monasteria absque legitima licentia*[10] *ingredientes, pariter eos introducentes*[11] *vel admittentes*[12], *itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. ‚Decori' praescriptam*[13].

7. *„Mulieres violantes regularium virorum clausuram*[14], *et Superiores aliosve eas admittentes*[15].

---

[1] intellige eos, qui hoc fine et palam sese conferunt ad locum conflictûs.

[2] i. e. qui positive locum vel occasionem concedunt.

[3] i. e. qui ex officio prohibere vel impedire debent.

[4] Quod in secta juramentum secreti servandi emittitur, utut peccaminosum sit, per se nondum satis est, ut haec censura incurratur: sectae finis dirigi debet contra Ecclesiam vel legitimam auctoritatem civilem.

[5] Coetibus sectae interesse plerumque quidem favor est sectae praestitus, attamen non necessario semper, maxime si homo ignotus sive curiositatis sive explorandi causa accesserit.

[6] *Occulti* duces propterea non desinunt esse, quod eorum nomina publice in ephemeridibus nuntiantur, siquidem nescitur, an fallendi causa id fiat Denuntiatio haec ubique fieri debet sive Inquisitoribus sive Episcopis ab iis, qui certam notitiam habent, nisi forte ii, a quibus notitiam acceperunt, denuntiaverint. Si denuntiatio saltem infra mensem a cognita obligatione fit, excommunicatio non incurritur; fieri potest per intermediam personam, v. g. confessarium.

[7] Post factam quandocunque denuntiationem excommunicationis *reservatio* cessat, imo fortasse ipsa excommunicatio.

[8] i. e. qui a nemine coactus cum plena libertate et scientia id facit.

[9] In clausuram igitur papalem monialium neque mares neque feminae ingredi possunt; etiam impuberes qua tales a censura non excusantur.

[10] Licentia dari debet ab Episcopo vel ex ejus delegatione, et insuper saepe a Praelato regularium.

[11] sive extranei, sive moniales ipsae.

[12] Non possunt esse, nisi moniales vel qui aliquam in monasterio auctoritatem habent: admittere est ingressum concedere, vel egressum impedire seu protrahere, ut ingressi egressum differant in causa esse.

[13] *Casus* a S. Pio V. enumerati sunt: magnum incendium, infirmitas leprae, infirmitas epidemiae; quibus adjunge simile periculum gravissimum; *forma* ea est, ut, si possibile sit, fiat recognitio causae ab Ordinario vel simul a Praelato regularium, neve protrahatur mora extra monasterium ultra necessitatem.

[14] Clausura virorum tam arcta non est, sicut mulierum: quare complura sunt loca, in quibus simul esse possunt religiosi et extraneae; neque clausura regularium violatur per ingressum masculorum.

[15] Superiores et officiales *admittentes* esse possunt etiam ***negative.***

8. „*Reos simoniae realis in beneficiis quibuscunque eorumque complices*[1]. 1170

9. „*Reos simoniae confidentialis*[2] *in beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis.*

10. „*Reos simoniae realis ob ingressum in religionem*[3].

11. „*Omnes qui quaestum facientes*[4] *ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constit. Pii V.* ‚*Quam plenum*' *2. Jan. 1569*[5].

12. „*Colligentes*[6] *eleemosynas majoris pretii pro Missis et ex iis lucrum captantes*[7]*, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent*[8].

13. „*Omnes qui excommunicatione mulctantur in Const. S. Pii V.* ‚*Admonet nos*' *4° Cal. Apr. 1567, Innoc. IX.* ‚*Quae ab hac Sede*' *prid. Non. Nov. 1591, Clem. VIII.* ‚*Ad R. Pontificis curam*' *26. Jun. 1592, et Alexand. VII.* ‚*Inter ceteras*' *9° Cal. Nov. 1660 alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R E. respicientibus*[9]. 1171

14. „*Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiam per Viaticum ministrare absque parochi licentia*[10]. 1172

15. „*Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes*[11].

16. „*Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso*[12]*, ei sc. impendendo auxilium vel favorem.* 1173

17. „*Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis nominatim a R. Pontifice excommunicatis et*[13] *ipsos in officiis*[14] *recipientes.*"[15]

---

[1] Ergo postquam pactum simoniacum ex utraque parte coeptum est impleri

[2] Ergo, *antequam realis evasit*, ille qui in confidentiam beneficium ecclesiasticum accepit, jam censurae subjacet.

[3] Idem intellige ut ad notam 1; de cetero moniales semper pacisci possunt de dote; etiam monasteria virorum accipere aliquid possunt pro *sustentatione* tempore novitiatûs, vel si monasterium, saltem si pauper est, vere susceptione candidati gravatur, etiam ultra tempus novitiatûs.

[4] i. e. pecuniam aliudve pretium accepisse.

[5] Enumerantur: a) indulgentiae concessio; b) eligendi confessarium, qui absolvat a reservatis, c) celebrandae Missae et sepulturae tempore interdicti, d) utendi cibis vetitis, e) adhibendi plures patrinos in baptismo, f) absolvendi a simonia reali.

[6] i. e. non unum alterumve stipendium, sed aliquem majorem numerum.

[7] seu ex stipendiis aliquid sibi retinere.

[8] idque ita, ut stipendia *alio* mittantur, ubi consueta stipendia minora sunt.

[9] scilicet ii, qui de alienatione vel infeudatione locorum ad S. Sedem pertinentium utcunque „tractant"; ergo ne cum ipso quidem S. Pontifice id tractare licet, nisi hic *antea* annuerit. [10] Intellige exceptis suis subditis et familiaribus.

[11] Requiritur licentia scripta a Vicario Urbis sigillo munita, et praesentia sacerdotis delegati. [12] i. e. crimen, propter quod alter excommunicatus sit.

[13] Sumitur ab interpretibus illud *et* explicative.

[14] Intellige Missam aliasve liturgicas functiones, sacramenta, sepulturam, sive ut illas functiones excommunicatus obeat, sive ut earum particeps reddatur.

[15] permissionem facere, non: solum *cum* iis ad officia peragenda admitti eaque sic peragere.

Addenda est ex clausula seriei I^ae ipsius Constitutionis *„Apost. Sedis“:*

18. *„Absolvere praesumentes sine debita facultate [ab excommunicationibus speciali modo R. Pontifici reservatis] etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo R. Pontifici reservatae innodatos se sciant.“*

1174 19. (ex Trid. sess. 22 c. 11 *de ref.*) in usurpatores quorumlibet bonorum ecclesiasticorum[1].

Caput III. seu Series III.

Excommunicationes latae sententiae Ordinariis reservatae latae sunt in:

1175 1. *„Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere*[2] *praesumentes*[3], *necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.*

2. *„Procurantes*[4] *abortum, effectu secuto*[5].

3. *„Literis Apostolicis falsis*[6] *scienter utentes*[7], *vel crimini in ea re cooperantes.“*[8]

---

[1] Verba Tridentini Concilii sunt haec:

„Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali vel regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae, seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacunque arte aut quocunque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque etiam ex donatione suppositae personae pervenerint, ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a R. Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem ecclesiae patronus fuerit etc.“ (sequuntur aliae poenae).

[2] Incurritur excommunicatio per matrimonium etiam merum civile, idque etiam in locis, ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, ex decreto S. Offic. 22. Dec. 1880.

[3] Ergo ignorantia etiam crassa et supina excusat.

[4] Quum omissa sit vox prius consueta *cooperantes*, non jam comprehenduntur qui solum auxilium praestant, sed qui ex industria sive per se sive per alios causam abortûs ponunt vel ponendam curant; verum probabile etiamnunc est, matres non comprehendi (cujus rei rationem v. *Theol. mor.* n. 970).

[5] Quod nunc solum attenditur; distinctio inter foetum animatum et nondum animatum *quoad censuram* locum amplius non habet.

[6] I. e. sive corruptis sive confictis vel falso signatis vel publicatis.

[7] Usum intellige, qui eo tendat, ut literae effectum habeant tamquam verae.

[8] Cooperantes sunt sane: conficientes, mandantes, consulentes, aliique operam praestantes. Cf. ser. I n. 9, ubi contra principales falsarios severior etiam poena statuitur.

Caput IV. seu Series IV.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae constitutae sunt in:

1. „*Mandantes seu cogentes*[1] *tradi ecclesiasticae sepulturae*[2] *haereticos* 1176
notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. „*Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusque sacri tribunalis scripturas diripientes*[3] *aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.*

3. „*Alienantes*[4] *et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis ‚Ambitiosae‘ de reb. eccles. non alienandis*[5].

4. „*Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare*[6] *infra mensem*[7] 1177
confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati[8] *fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Greg. XV. Constit. ‚Universi‘ 20. Aug. 1622 et Bened. XIV. Constit. ‚Sacram. Poenitentiae‘ 1. Jun. 1741.*“[9]

---

[1] De clericis, qui sepeliunt, cf. supra ser. II n. 17 et infra *de interdicto.*

[2] Ex jure canon. intelligitur sepultura *in loco sacro.*

[3] ‚Diripere‘ intelligo: destruere; si quis vero putet esse *eripere,* sane ereptio *e manibus officialium* facile erit *laesio* personalis quae certe censurâ punitur.

[4] Sumitur late etiam pro diuturna locatione, emphyteusi, hypothecatione. Recipientes quidem *quilibet:* alienantes solum qui sunt Episcopo vel Abbate inferiores bonorum eccles. administrationem habentes.

[5] Excipiuntur: a) bona quae ab antiquo consueverunt in emphyteusim dari, b) locatio *ad breve tempus,* c) venditio fructuum, qui non conservantur, d) contractus in evidentem utilitatem Ecclesiae seu loci pii, quando res moram non patitur, e) alienatio mobilium non pretiosorum, i. e. *non magni* valoris et immobilium *modici* valoris v. g. 500 francorum.

[6] Denuntiatio fieri debet a quolibet qui crimen immediate percepit, et ab eo qui relatione hominis fide digni audivit nisi hic denuntiaverit; sed sub poena excommunicationis solus ille tenetur ad quem vel quocum inhonesta verba vel tractatus facta sunt.

[7] a cognita obligatione: verum damnum grave potest obligationem interim suspendere.

[8] Ex laudatis Constitutionibus non solum denuntianda est formalis sollicitatio, sed quaelibet verba vel facta inhonesta, etiam consensus manifestatus in sollicitationem a poenitente profectam; at parum interest, utrum poenitens consensum dederit an non, imo utrum tum rem intellexerit annon, utrum a longo tempore res facta sit an nunc, utrum ab alio jam facta sit denuntiatio an a nemine. Debet autem satis constare de mortali peccaminositate facti.

[9] Casus expressi sunt: *in actu* sacramentalis confessionis, *immediate ante* (poenitente jam genuflectente), *immediate post* (negotio alio non interjecto), *occasione* confessionis (v. g. si poenitens vult instituere confessionem atque confessarium accersit, vel si in confessione, vel immediate ante seu post, initium sollicitationis fit, quod postea completur), *praetextu* confessionis (si confessarius poenitentem *simulate* invitat ad confessionem), *cum simulatione* confessionis in

1178 Accedunt: 5. Excommunicatio[1] jussu Pii IX. per S. Officium 4. Dec. 1872 promulgata seu renovata: in *missionarios* sive saeculares

confessionali, vel loco consueto confessionum, vel loco nunc specialiter ad confessionem electo (quae simulatio in confessionali longe facilius adest).

Attende responsa S. Officii in Constitutione laudata Benedicti XIV. confirmata:

1. An sit denuntiandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat? R. Affirmative.

2. An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? R. Affirmative, rejecta opinione contraria ut non probabili.

3. An confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus? R. Quum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.

4. An confessarius, qui feminam in confessionario dicentem, se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a confessione dissuadet, sit denuntiandus? R. Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; secus si in confessionario, seu in loco confessionis.

5. An sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in confessione poenitentem, sit denuntiandus? Cens. affirmative; et opinionem negativam non esse probabilem.

6. An interpres, si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus? R. Negativam opinionem non carere probabilitate.

7. An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus? R. idem ac ad 6.

8. An quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus? R. Affirmative, et opinionem negativam non esse probabilem.

9. An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? R. Affirmative, et opinionem negativam non esse probabilem.

10. An confessarius . . . si sollicitet *in aliis sacramentis?* R. Negativam opinionem esse probabilem.

11. An confessarius, qui sollicitat *ad actus (alios) illicitos* extra actus venereos. R. ut ad 10.

12. An confessarius, si laudat poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitasse, et ideo sit denuntiandus? R. Si laus sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, *negative;* secus *affirmative.*

13. An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit? R. Affirmative, i. e. esse denuntiandum. (NB. Abjurare debet haeresim, siquidem delictum sollicitationis ex jure canonico reum reddit *suspectum de haeresi.*)

14. An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit a non fide dignis, sed solum a levibus personis? R. Negative.

15. An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem? R. Negative, seu negativam opinionem non carere sua probabilitate.

16. An denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur sollicitasse? R. ut ad 12, sc. pro circumstantiis.

NB. Falsa accusatio sollicitationis est casus R. Pont. sine censura specialissime reservatus, siquidem poena cognita erat: Const. Ben. XIV. „*Sacram. Poen.*“

[1] Absolutio extra articulum mortis dari nequit, *nisi lucro restituto,* eoque

sive regulares cujuscunque ordinis et instituti in Indiis Orientalibus, China, Japonia, America sive Australi sive Septentrionali *mercaturam, etiam semel tantum, exercentes;* et in Superiores sive immediatos sive mediatos qui illos non puniant saltem eos e loco delicti removendo.

Per Trident. Concilium latae: 6. *in: Eos, qui libros de rebus* 1179
sacris[1] *tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt: sess. 4 de edit. S. Script.*

7. *Raptores*[2] *mulierum cum complicibus: sess. 24 c. 6 de ref. matr.*

8. *Dominos temporales*[3] *et magistratus, qui libertatem matrimonii ineundi laedant: ibid. c. 9.*

9. *Qui laedant libertatem*[4] *mulierum quoad vitam religiosam vel ingressum in monasterium*[5]*: sess. 25 c. 18 de ref. regul.*

10. *Magistratus saeculares qui denegent auxilium brachii saecularis*[6] *ad impediendam violationem clausurae monialium: ibid. c. 2.*

11. *Qui falsam doctrinam de praemittenda sumptioni Ss. Eucharistiae confessione quasi non necessaria, vel de nullitate matrimonii clandestini independenter a lege Ecclesiae asseruerit, sicut sess. 13 can. 11 de Euch. et sess. 24 c. 1 de ref. matr. damnatum est.*

12. Tandem notari debet, vim suam retinere censuras, quae spectent *internum regimen cujuslibet ordinis religiosi vel instituti locique pii,* et quae respiciunt *electionem Summi Pontificis.*

Caput V. seu Series V.

Suspensiones latae sententiae.

Textus Bullae „Apost. Sedis“: Art. I. „Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve praelatos de praedictis ecclesiis seu monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint literas Apostolicas de sua promotione.“

Art. II. „Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.“

---

in manus Ordinarii vel Vicarii Apostolici, quod impendi debet in usus pauperum, operariorum etc., sed non in usum ejus ordinis, ad quem reus pertinet — Facta restitutione, excommunicatio non est reservata.

[1] Intelliguntur libri S. Scripturae, eorumve commentationes: ita S. Officium 20. Dec. 1880: sic *haec* censura Tridentina a Pio IX. limitata est.

[2] Raptus matrimonii causa.

[3] Non summi Principes, sed alii, qui colonos sibi subjectos habent; sed necessarium non est, ut coactio in *subditos* exerceatur.

[4] Sive qui cogunt vel coactioni interfuerunt, sive qui impediunt.

[5] Censura restringenda est ad casus, in quibus agitur de ordinibus stricte dictis. [6] Ad instantiam Episcopi.

Art. III. „Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis testimonialibus.“

Art. IV. „Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.“

Art. V. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra religionem degentes.

Art. VI. „Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserint ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.“

Art. VII. „Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrant; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.“

Igitur incurrunt:

1180 A. Suspensionem *a beneficiis* (ad beneplacitum S. Sedis): [Ex supra dictis cap. III. non est censura veri nominis.]

1. Capitula, conventus, aliique omnes (i. e. etiam singuli, si qua singuli rei sunt), qui recipiant praelatum, a S. Sede eorum ecclesiae vel monasterio praefectum, antequam exhibuerit literas Apostolicas suae promotionis (art. I).

1181 B. Suspensionem *a collat. Ordinum.*

a) *per triennium* (reservatur R. Pontifici):

2. Qui confert ordines (intellige majores, ad quos solos in rigore titulus sustentationis requiritur: cf. supra n. 960) absque titulo beneficii vel patrimonii et simul cum pacto, ne ordinatus petat alimenta (art. II.).

NB. Alias, si ‚collatio ordinum‘ dicitur, neque aliunde patet restrictio, intelliguntur etiam ordines minores, imo ipsa tonsura.

b) *per annum* (R. Pontifici reservatur):

3. Qui ordinat alienum subditum sine literis dimissorialibus, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut beneficii non sufficientis jam collati (art. III.).

Subditus esse aliquis potest ratione originis, domicilii, beneficii, familiaritatis: de quo vide *Sacram. Ordinis* n. 956 sq.

4. Qui ordinat proprium subditum tanto tempore alibi commoratum, ut impedimentum canonicum contrahere potuerit, sine literis testimonialibus Ordinarii illius loci. (Intellige commorationem per aliquot [6—12] menses, vel talis temporis, propter quod in casu matrimonii testimonium *statûs liberi* requiritur: cf. supra n. 961 et 216.)

5. Conferens ordines sacros religioso *non solemniter* professo sine titulo beneficii [1] aut patrimonii, nisi habetur legitimum privilegium (Art. IV.).

C. Suspensionem *ab usu Pontificalium.* 1182

a) *Indefinite* (*speciali modo* Romano Pontifici reservatam):

6. Illi, qui, Episcopali charactere insigniti, dioecesis vacantis administrationem a Vicario Capitulari transferunt (aut ad id *cooperantur*) in eum, qui electus est aut praesentatus ad Episcopalem illam sedem. Vide hîc cap. I. § 13.

7. Episcopi, qui in aliena dioecesi sine licentia expressa Pontificalia exercent, aut in personas Ordinario illius loci non subjectas (Trident. sess. 6 c. 5 *de ref.*): — non est specialiter reservata —; nota, facile posse etiam tum incurri suspensionem n. 3.

b) *Per annum* (reserv. R. Pontifici simpliciter):

8. Qui illegitime ordinant clericos in Urbe Roma commorantes (cf. *infra* de suspensione *„ab ordine suscepto"*, susp. n. 12 et 13).

9. Episcopi *titulares*, qui alicui sine sui praelati expresso consensu aut sine literis dimissorialibus ordinem vel etiam tonsuram tantum conferunt, etsi fit titulo familiaritatis. (Trid. sess. 14 c. 2 *de ref.*).

D. Suspensionem *ab exercitio ordinum* (in perpetuum, — R. Ponti- 1183
fici reservatur).

10. Religiosi ejecti extra religionem degentes (Art. V.).

NB. 1. Quamquam dicitur *„in perpetuum"*, tamen quum *propter mutatam conditionem* desinere possit, *veri nominis censura videtur esse.* — Qui autem non ejectus, sed *dimissus* est, non est sensu proprio *suspensus;* attamen ut celebrare atque sacerdotales functiones exercere possit, Episcopi licentia indiget.

NB. 2. Ut suspensionis *censura* incurratur, debet religiosus juste esse ejectus, i. e. ex justa causa, et servata forma justa seu legitima.

E. Suspensionem *ab ordine suscepto* (i. e. cum tali peccato suscepto [2]) 1184
(reservatur R. Pontifici, nisi aliud notetur), *indefinite:*

---

[1] Scite notat Comment. Reat., peccare quidem graviter eum, qui ordinet, et qui ordinetur, non solum quando titulus *nullus* sit aut talis ut *jus nullum* oriatur, sed etiam quando sit insufficiens, fiduciarius, injustus, restitutioni aut resolutioni obnoxius: at censuram hanc (n. 5) non incurri, modo *aliquod jus,* etsi non sufficiens, non plenum, non perpetuum, in ordinandum seu ordinatum transeat.

[2] Haec suspensio *„ab ordine suscepto"* solummodo in casibus 11 et 14 *censura* est: in aliis casibus sub n. 12. 13. 15. 16. 17 non est proprie censura secundum probabilem interpretationem (v. cap. III. § 1 supra), quum feratur *„ad beneplacitum* vel S. Sedis (n. 12 et 13) vel Ordinarii" (n. 15. 16. 17): quare ejus violatio irregularitatem non infert.

11. Qui ordinem suscipere praesumpsit (qui enim bona fide ita egit, dispensationem ab Episcopo habere potest tanquam ab irregularitate) ab excommunicato, suspenso, interdicto *nominatim denuntiatis*, aut *a notorio* haeretico vel schismatico. (Art. VI.)

12. Clerici saeculares extranei Romae commorantes et

13. Clerici saeculares Romani: nisi hi utrique observant normam desumendam ex Art. VII. „*Apost. Sedis*" quoad ordines suscipiendos (n. 12 et 13 statuitur „*ad beneplacitum S. Sedis*").

14. Ordinati per saltum. (Trid. sess. 23 c. 24 *de ref.*)

(Episcopus tum tantum ex se dispensare potest a n. 14, quando ordinatus aut non ministravit in illo ordine, aut si delictum occultum est.)

15. *(Ad beneplacitum proprii Ordinarii.)* Ordinati ab Episcopo non proprio sine literis dimissorialibus vel potius testimonialibus. (Trid. sess. 23 c. 8 *de ref.*)

16. *(Ad beneplacitum proprii Ordinarii.)* Ordinati in aliena dioecesi aut in loco exempto sine licentia Ordinarii loci; et ii, qui sine licentia ordinantur ab Episcopo titulari. (Trident. sess. 6 c. 5 et sess. 14 c. 2.)

17. *(Ad benepl. futuri Ordinarii.)* Qui suscipiunt ordinem sacrum cum literis dimissorialibus *illegitime* concessis, sede vacante. (Trid. sess. 7 c. 10 et sess. 23 c. *de ref.*)

1185 F. Suspensionem *ab officio et beneficio seu totalem* incurrunt

a) *per annum* (reservatur, si publica est, R. Pontifici, alioquin Ordinario):

18. Qui *concedunt* illegitime literas dimissoriales, sede vacante (communiter si infra annum concedunt). (Trid. sess. 23 c. 10 *de ref.*)

b) *(Ad beneplacitum Ordinarii ejus, cujus jus laeditur):*

19. Qui sine parochi proprii licentia sponsos matrimonio jungunt, *aut* benedicunt. (Trid. sess. 24 c. 1 *de ref. matr.*)

Nota 1. Haec suspensio non valet, ubi Trid. lex de clandestinitate *promulgata nunquam est.*

2. Suspensio fertur in omnes sacerdotes, sive parochos alienos, sive alios sacerdotes tum saeculares, tum regulares: in ejus absolutione ipsi etiam regulares exempti subjacent jurisdictioni Episcopi.

20. *(Indefinite* et ex subjecta materia *reservata):* Episcopus, si quis crimine concubinatûs reus a synodo provinciali admonitus non resipiscat. (Trid. sess. 25 c. 14 *de ref.*)

Caput VI. seu Series VI.

Interdicta latae sententiae incurrunt:

1186 A. *Interdictum totale.*

1. (Interdictum *speciali modo R. Pontifici reservatum*, idque *totale generale*, *personale*, *indefinite*): Collegia, Universitates, Capitula quaecunque appellantia ab Ordinationibus seu mandatis R. Pontif. ad Concilium generale futurum. (Cf. c. I. § 4 ubi vides, singulos, qui rei sunt, incurrere etiam excommunicationem: interdictum vero afficit etiam *innocentes,* qui membra sunt collegii etc. secundum regulas de interdicto.)

2. (Interdictum *totale ejusdem speciei,* sed *non speciali modo* reserv.)

Capitulum infra annum a vacatione sedis concedens literas dimissorias pro ordine suscipiendo praeter casus a jure exceptos. (Trid. sess. 7 c. 10 *de ref.*)

B. *Interdictum ab ingressu ecclesiae:* 1187

3. Ii, qui, episcopali charactere insigniti, suspensionem (n. 6) incurrunt propter dioecesis administrationem translatam in eum, qui electus aut praesentatus est ad illam sedem episcopalem (specialiter *R. Pontifici reserv.*): v. c. I. § 13.

4. *(Reservatur ei, cujus sententia laesa est):*

Qui aut 1) celebrant divina in ecclesiis seu locis interdictis,

aut 2) ibi divina celebrari faciunt (sive qui *auctores sunt,* mandando, jubendo, cogendo),

aut 3) ad divina admittunt *nominatim excommunicatos.*

NB. 1. Divina intelliguntur: officia divina, sacramenta, ecclesiastica sepultura.

NB. 2. Quid vero per interdictum „ab ingressu ecclesiae" intelligatur, v. *de interdicto in genere* n. 1149.

NB. 3. Hoc interdictum inter censuras proprie numerari debere ex eo colligitur, quod non statuitur *„ad arbitrium Superioris"*, sed *„donec competenter satisfecerint* ad arbitrium Superioris"; quare, cessante per debitam satisfactionem contumacia, reus absolutione donandus est.

5. *(Ex re subjecta ad S. Sedem recurri debet.)*

Metropolitanus, aut in ejus defectu antiquior suffraganeus Episcopus, qui non denuntiat infra tres menses Episcopum non residentem, si ultra secundum semestre illegitime abesse pergat. (Trid. sess. 6 c. 1 *de ref.*)

Subjicio textum Bullae *„Apostolicae Sedis"*:

Art. I. *„Interdictum R. Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt universitates, collegia et capitula, quocunque nomine nuncupantur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem R. Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia."*

Art. II. *„Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato judice, vel a jure*[1] *interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint."*

---

[1] Loca a jure interdicta intellige *„hypothetice interdicta"*. Nimirum quando Episcopus *civitatem* vel similia loca generaliter interdicit, ipsum jus interdicit *loca exempta* im ambitu loci generaliter interdicti forte exsistentia.

Tractatus II.

De Irregularitatibus.

Conferri merentur Reiffenstuel et Schmalzgrueber suis locis in Comment. juris can.; Tamburini et Mazzotta in theol. mor.; S. Alph. l. 7 n. 341—470; Boeninghausen *de irregular.*; d'Annibale, *Summula* vol. 1 tr. 7.

Caput I.

De Irregularitatibus generatim.

1188 1. Irregularitas definitur: *canonicum impedimentum, quo aliquis prohibetur, quominus ad gradum clericalem vel altiorem gradum ascendat, gradusve suscepti officium exerceat.*

2. Quapropter *irregularitas in se et primarie rationem impedimenti habet, non poenae. Attamen non raro in poenam statuitur*, eamque vindicativam. Hinc exsistit divisio in irregularitates *ex defectu*, et in irregularitates *ex delicto*.

3. *Irregularitas ex defectu non ratione culpae, sed ratione aut indecentiae aut impossibilitatis munera cum clericali statu conjuncta exercendi constituitur;* ac sine ulla culpa adesse potest et adest. Quum igitur solum factum respiciat, consequitur, ut *nulla ignorantia ab ea excusare possit,* atque ut aliquae sint prorsus indispensabiles, aliae vero, quando circumstantiae personarum indecentiam minuant, dispensatione tolli possint.

4. Quia autem gravius est, ex officio suscepto ejici, quam ad illud non admitti, generalis regula est: ante ordinem suscipiendum ille irregularis *simpliciter* est, qui ad *aliquod* munus suscipiendi ordinis decenter exercendum ineptus est; post ordinem autem susceptum quando supervenit defectus, irregularitas non inducitur simpliciter, sed relate ad illa munera tantum, quibus exercendis clericus non amplius idoneus exsistit. — Irregularitas ex defectu potest igitur esse *partialis*.

1189 5. *Irregularitas ex delicto* — quae, nisi aliud exprimitur, *totalis est* — quamquam proxime et in se etiam est impedimentum suscipiendi vel exercendi officii clericalis: tamen vere habet rationem *poenae,* ejusque gravis et extraordinariae, quum vere grave omnino sit, ad certa officia perpetuo fieri inhabilem. Quare merito statuunt scriptores, delictum debere esse 1) *externum atque consummatum*, 2) *certo mortale*, 3) *indubium* et indubie in lege expressum, 4) practice probabile est, debere delictum *cum cognitione poenae* esse commissum, 5) *non ante pubertatem* vel *ante baptismum* commissum: (nisi adjungatur infamia).

6. Irregularitas „*ab homine*“ non exsistit; sed ii soli irregulares sunt, quos lex ecclesiastica lata irregulares esse declaravit.

7. *Irregularitas ex defectu aliquando ex se, defectu sanato, tollitur; alioquin etiam irregularitas ex defectu, si absolutam indecentiam aut ineptitudinem non induxit, dispensatione sola aufertur, sicut quaelibet irre-*

gularitas ex delicto: de auferenda irregularitate ex delicto usuvenit tum vox dispensationis tum absolutionis.

8. Dispensatio, quamquam per se ad S. Pontificem spectat, dari 1190
potest ex Trid. cap. *‚Liceat'* (6) sess. 24 *de ref.* in irregularitatibus ex delicto occulto ad forum contentiosum non deductis, excepta irregularitate ex occulto homicidio voluntario, ab Episcopis: de quo cf. n. 1197. — In irregularitatibus ex defectu, si dubium occurrit, Episcopi judicio stari potest. — In aliis irregularitatibus, si quid ulterius Episcopi possunt, id ex speciali tantum privilegio habent.

9. Effectus irregularitatis sunt hi: Impedit, quominus liceat 1) statum clericalem vel altiorem gradum assumere, 2) ordines susceptos sacros exercere, 3) beneficium ecclesiasticum accipere. Num vero ipso facto collatio beneficii sit nulla, in utramque partem probabiliter controvertitur.

Caput II.

Irregularitates ex delicto singillatim consideratae.

Delicta, quibus ex jure annexa est irregularitas, hoc versiculo 1191
comprehenduntur:

„Fonte reus, Sacris, censura, crimine, leto“,

i. e. Iteratio baptismi; abusus sacrorum ordinum; violatio censurae; inter crimina infamantia speciatim haeresis, homicidium et mutilatio. De singulis plura notanda sunt.

§ 1.

Sacrilega baptismi iteratio vel susceptio.

1. Irregularis est, qui *scienter suscipit baptismum ab haeretico* extra casum necessitatis: *decret. Grat.* c. 5 dist. 51; c. 3, 4. C. 1. Q. 4.

2. Item, qui scienter sine causa *rebaptizatur*, si collatio iterata sit notoria atque solemniter facta: excipe, a) si id fiat ex metu sine vera intentione; b) si fit conditionate, licet temere sine sufficienti causa.

3. Eodem modo sub iisdem limitibus, qui ita rebaptizat, vel clericus qui in *rebaptizatione ministrando assistit.*

Haec ex rebaptizatione contracta irregularitas probabiliter prohibet solum ascensum ad altiores ordines.

§ 2.

„Sacris reus“ seu ordinum illicita susceptio et usurpatio.

I. Haec illicita susceptio est susceptio *furtiva:* 1192

1. si quis *sine approbatione* et admissione Episcopi ordinatur.
2. si quis sine dispensatione Episcopi *plures ordines* eodem die suscipit, *quorum unus sacer est.*
3. Qui *post matrimonium* (etsi ratum tantum) ordines suscipit sine consensu uxoris; etiam si vivente uxore, quam crassâ negligentiâ putabat defunctam.

1193 II. Ordinum usurpatio a *clerico* minoris gradûs, si est *solemne* exercitium ordinis sacri, aut exercitium propter defectum characteris invalidum. — Ergo: si diaconus sacramentaliter tentat absolvere; si in Sacro solemni subdiaconus cum stola cantat Evangelium, minorista cum manipulo Epistolam; si diaconus non jussus solemniter baptizet vel S. Eucharistiam distribuat sine necessitate.

§ 3.

„Censura reus" seu: violatio censurae per exercitium ordinis sacri.

1194 Ut haec irregularitas incurratur, clericus in sacris constitutus 1. debet similiter, ut in praeced. §, *ordinem sacrum aut solemniter exercere,* aut *eum actum* exercere *ad cujus valorem ordo sacer requiritur;* 2. debuit exercitium illud manere *graviter prohibitum;* 3. prohibitum *quoad substantiam.* Unde toleratus non incurrit hanc irregularitatem, si vel rogatus a fidelibus, vel ad declinandam infamiam etc. agat; neque Episcopus suspensus a Pontificalibus, si pontificaliter celebrat.

Neque censetur irregularitas haec contrahi ab eo, qui censurâ ligatus sacros ordines suscipiat, atque in hac susceptione suum ordinem exercet, v. g. neo-diaconus statim cum Episcopo legens Evangelium, neo-presbyter cum Episcopo consecrans: quia haec pro caerimonia ab ordinatione non distincta habetur.

§ 4.

„Crimine reus", seu: crimina, quae ipso jure irregularitatem inducunt.

(Cf. *decretal.* l. 1. tit. 11 c. 4, lib. 5 tit. 1 c. 21, l. 5 tit. 2 c. 1 et 13 in 6.)

1195 1. Crimina illa certo afferri non possunt, excepto homicidio (etiam abortu) et mutilatione, praeter ea, quae *ratione infamiae* irregularitatem inducunt. Quapropter universim de illis criminibus S. Alph. l. 7 n. 363, Laymann l. c. cap. 4 n. 8, Tambur. l. c. cap. 10 dicunt, ad irregularitatem hanc incurrendam „requiri *notorietatem* facti aut juris", idque dicunt de ipsis illis criminibus, quibus infamia non tantum ferendae sententiae, sed latae sententiae inuritur; sed neque excusat ignorantia poenae.

2. Crimina autem, quae tali infamia notantur, sunt:

1) *Haeresis et apostasia,* vel *fautorem* haereticorum exsistere (l. 5 tit. 2 c. 15 in 6.).

2) *Insecutio hostilis contra Cardinales,* vel *cooperatio* (l. 5 tit. 9 c. 5 in 6.).

3) Crimen *laesae majestatis.*

4) *Raptus mulieris* (Trid. sess. 24 c. 6 *de ref. matr.*).

5) *Duellum,* vel *in duello patrinum* fuisse (Trid. sess. 25 c. 19 *de ref.*).

6) Adjunguntur ea crimina, quae *in jure civili* simili infamia notantur: de quibus cf. infra n. 1212.

3. Notorietas *juris* etiam in his criminibus (nam si de infamia ferendae sententiae agitur, id per se patet) non intelligitur adesse *ex sola lege,* sed interveniente aliqua actione judiciali, de qua n. 1211.

Notorietas *facti* quae sit, per se satis intelligitur.

4. Discrimen inter juris et facti notorietatem propterea imprimis notandum est, quia in priore irregularitate necessaria est semper dispensatio; si vero sola fuit *facti* notorietas, generatim per evidentem emendationem eamque diuturno tempore comprobatam irregularitas tollitur. Cf. S. Alph. l. c. — Tambur. l. c. cap. 10 § 5 n. 3 dicit „per emendationem, quae saltem per triennium duraverit".

5. De criminibus illis, quibus a judice poena infamiae infligenda est, postea, quum de irregularitatibus ex defectu disseremus, iterum sermo erit.

6. Complures scriptores *haeresi* et *apostasiae* ita irregularitatem 1196
adhaerere dicunt, ut, seposita infamia, ex sola haeresi occulta ipso facto irregularitas oriatur. At alii id omnino negant, ut Laymann l. c. n. 12, Tambur., S. Alph. n. 363, contra Suarez, Mazzotta aliosque. — In eo autem haeresis alia crimina vincit, quod si semel propter solam *facti notorietatem* sine ullo judicis interventu irregularitas contracta est, semper *dispensatio* requiratur, non sufficiat emendatio.

Circa acatholicos conversos eorumque descendentes (cf. infra n. 1213) non erat una praxis agendi ante S. ordines in locis haereticorum. Verum S. Off. irregularitatem sustinet atque necessitatem habendae dispensationis per privilegium S. Sedis: ita ad Ep. Harlam. 9. Jul. 1884 et ad Epp. Germaniae 14. Dec. 1890.

§ 5.

„Leto reus", seu: de homicidio et mutilatione.

(Cf. *decretal.* l. 5 tit. 2 c. 7—18 et 24, ibid. tit. 31 c. 10; Clement. l. 5 tit. 4; Trident. sess. 14 cap. 7 *de ref.*)

Circa irregularitatem ex homicidio vel mutilatione oriundam, quae 1197
aliis latius patet, haec principia breviter nota:

1. Quamquam eam habes irregularitatem ex delicto, tamen *ignorantia poenae ab irregularitate tum saltem non excusabit, quando crimen publicum evadere potest.*

2. *Incurritur vero* non solum ab iis, qui ipsi hominem occidunt vel mutilant injuste, sed *etiam a mandantibus, consulentibus, cooperantibus,* etsi solum ad citius vel securius rem peragendam, nisi satis dubius sit influxus cooperationis mediatae.

3. *Ad irregularitatem ex homicidio referenda etiam est irregularitas procurantium abortum post foetum animatum.*

4. *Homicidio aequiparatur mutilatio,* seu „membri abscissio sive obtruncatio", i. e. talis partis humani corporis, quae propriam functionem habet, idque sive *casualis* sive *voluntaria* mutilatio est.

Si quis vero *sibi ipse* manus injicit, ad irregularitatem contrahendam non requiritur *membri* abscissio, sed sufficit abscissio etiam membri partis, ut digiti, vel digiti articuli.

1198 5. *Homicidium* (hîc excipe mutilationem) *sola culpa est, quae etiam in uno quodam casu dubio irregularitatem inducit,* videlicet quando de causa physica mortem ex se causante culpabiliter posita constat atque etiam effectus seu mors secuta est, sed propter concursum plurium dubitatur, num singuli vel quis ex iis vere efficaciter mortem induxerit: v. g. si plures explodunt globulos in hominem, sed nescitur, *cujusnam* globulus ferierit atque hominem occiderit, omnes, qui exploserunt, irregulares sunt, sed sensu restricto, ut videlicet abstineatur a celebratione Missae et quaeratur dispensatio.

1199 6. *Ad intelligendam faciliorem vel difficiliorem dispensationem ab hac irregularitate, distingui debet homicidium (et mutilatio) voluntarium et casuale. Voluntarium est, quod ex directa voluntate oritur; casuale, quod* ex actione culpabili quidem sequitur, et quod facile saltem sequi posse praevideri debuit, *intentum* vero *non est.* A voluntario igitur homicidio, etsi occulto, Episcopi quoad dispensandi facultatem excluduntur; in homicidio casuali autem (et qualibet mutilatione) occultis Episcopi dispensare possunt ex Trid. cap. *‚Liceat'*, imo etiam in publico homicidio casuali relate ad ordines *minores* et beneficium *simplex* tantum.

Casuale homicidium habes: 1) si quis in rixa praeter intentionem aliquem occidit; 2) si quis in exercendis rebus periculosis debitam cautionem negligit et ita causa est, cur aliquis pereat; 3) si medicus ex gravi incuria causa est, cur aegrotus, quem curandum suscepit, decedat; 4) facilius etiam clerici vel religiosi, qui sine necessitate alicui mederi volunt cum incisione vel adustione et ita in causa sunt, cur vitam amittat; 5) si quis adulter praevidens probabilitatem tristis eventûs suo crimine causa est, cur maritus insurgat in uxorem adulteram, vel ipse in maritum pro defensione, atque ita fit occisio.

Caput III.

De irregularitatibus ex defectu singillatim consideratis.

1200 Defectus alii sunt, qui *natura sua* irregularitatem afferunt, i. e. incapacitatem exercendi muneris sacri, alii qui ex natura sua quidem fundamentum praebent indecentiae, sed qui, ut jure excludant a susceptione vel exercitio ordinum, ab ecclesiastico legislatore debuerant pro impedimentis constitui. Omnes hisce versiculis memoriae juvandae causa continentur:

„Natales, animus, libertas, corpus, et aetas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet."

§ 1.

Defectus natalium seu ortus illegitimus.

1. *Illegitimitas, quae a suscipiendis et exercendis ordinibus excludit, est ortus extra legitimum matrimonium,* sive agitur de filiis, qui dicuntur filii *naturales,* sive de iis, qui *spurii* dicuntur. Naturales enim vocantur, qui extra matrimonium quidem nati sunt, sed a parentibus, qui tempore conceptionis aut nativitatis habiles erant ad matrimonium con-

trahendum; spurii vero, qui a parentibus ad matrimonium inter se contrahendum incapacibus ortum ducunt, ut incestuosi, adulterini, ex sacrilegio nati: S. Alph. n. 422 (*Decr.* 1, 17; 1, 11 in 6).

2. *Filii naturales legitimantur per matrimonium subsequens, eoque secuto cessat irregularitas antea exsistens.* Haec per subsequens matrimonium legitimatio sufficit ad omnes dignitates, *Cardinalatu excepto:* pro quo dispensatio S. Pontificis accedere debet.

3. Qui orti sunt ex matrimonio propter occultum impedimentum invalido, sed quod saltem ab alterutro sponsorum pro valido habebatur, *censentur legitimi*, nisi matrimonium contractum sit sine debitis proclamationibus: Trid. sess. 24 cap. 5 *de ref. matr.*

4. *Filii expositi, quorum parentes ignorantur, non censentur illegitimi;* quia defectus natalium non praesumitur, sed probandus est. S. Alph. 432 aliique.

5. *Illegitimi quicunque ab irregularitate solvuntur per professionem* 1201
religiosam, sive sumis stricto sensu professionem votorum solemnium, sive emissionem simplicium votorum in *ordine* religioso stricti nominis: S. Alph. n. 426, Tambur. l. c. cap. 17 § 4. — Attamen, nisi intercedat dispensatio, quam plerumque ex privilegio regulares concedere possunt, ipsa professio reddit aliquem habilem *tantum ad sacros ordines, non ad praelaturam: ibidem,* et *decretal.* l. 1 tit. 7 c. 1.

6. *Alioquin illegitimi sola dispensatione ab irregularitate liberantur:* quae tamen in dispensationibus matrimonialibus consuevit addi. Episcopi ex se, etsi illegitimitas occulta est, sine speciali privilegio sibi dato dispensare nequeunt, nisi relate ad ordines minores[1]. — Id insuper adverte, dispensationem particularem strictae interpretationis esse, ita ut dispensatio *ad ordines* non comprehendat *sacros* ordines, nisi exprimantur, dispensatio *ad sacros ordines* non includat *praelaturam* vel *dignitatem*, dispensatio *ad beneficia* per se nondum dicat *curata* beneficia. Quare haec omnia ut simul intelligi possint, aut exprimi, aut ex contextu vel ex clara dispensantis intentione patere debent.

§ 2.

Defectus animi.

1. *Ex defectu animi* irregulares sunt: 1) *qui sanam mentem non* 1202
habent (ita tum ex rei natura tum ex dispositione decr. Grat. dist. 33. c. 2); 2) *qui debitam scientiam nondum acquisierunt* (v. Trid. sess. 23 cap. 5. 11. 13 *de ref.*); 3) *qui recenter ad fidem conversi sunt* et baptizati (decr. Grat. dist. 57 c. 1).

2. Defectum sanae mentis, aut similem, qui cum illo cohaeret, intelliguntur habere *amentes, semifatui, daemoniaci, epileptici.*

Qui semel talem defectum amentiae passus est, ex habituali causa, seu ex indole et temperamento, perpetuo irregularis est, ita ut, si ordines nondum suscepit, eos suscipere nequeat. Quodsi judicio medicorum periculum recidendi in istum defectum cessat, cum dispensatione

[1] Animadvertit autem d'Annibale l. c. n. 411, „si quis non possit spurium se prodere sine infamia, nulla ei dispensatione opus est".

(S. Pontificis ejusve delegati) ordinari potest: quam dispensationem praelati regulares suis subditis concedere valent. Cf. S. Alphons. n. 355 et 400.

Quoad epilepsim vero, si epilepsis per plures annos perfecte cessavit, accedente medici judicio, Episcopus talem virum ad ordines etiam sacros admittere potest, eoque facilius, quo minor aetas erat, in qua defectus ille candidato acciderat: v. S. Alph. n. 398 et 399. — Si quis post susceptos ordines in illam miseriam labitur, ordines exercere, imo etiam celebrare potest, quando grave periculum irreverentiae non amplius exsistit, atque pro majore securitate, si quid forte acciderit, sacerdos assistens jejunus adhibetur: S. Alph. *ibid.*

3. De debita scientia eaque Superioribus probata vide supra n. 959.

1203 4. Defectus ex *novitate fidei* neo-conversum non reddit absolute irregularem, sed *dum judicio Episcopi sufficienter instructus sit:* cf. Trid. l. c. et S. Alph. n. 402.

5. Addi potest ex defectu fidei non confirmatae irregularitas eorum, qui baptismum suum usque ad mortis periculum distulerunt; quam alii ex delicto esse putant: cf. d'Annibale l. c. n. 415.

§ 3.

Defectus libertatis.

1204 Defectus libertatis quoad ordines intelligitur triplex: 1) *conditio vere servilis:* decretal. l. 1 tit. 18; 2) *status matrimonialis,* ita ut maritus nequeat sacros ordines suscipere, nisi ex consensu uxoris paratae ex sua parte ad votum castitatis vel religionis ingressum (cf. supra n. 973), aut nisi uxor jus conjugale in perpetuum amisit: decret. Grat. C. 27 Q. 2 c. 19—26; 3) *officium* judicis vel tabellionis etc. exercere, aut *iis negotiis implicatum esse, quae obligationem reddendae rationis secum ferunt,* quamdiu rationes nondum redditae sunt: decretal. l. 1 tit. 19.

§ 4.

Defectus corporis.

1205 De corporis defectu qui irregularitatem inducat, agit decretal. l. 1 tit. 20. Summatim haec teneto:

1. Quilibet *defectus corporis, qui aut ineptum facit hominem ad congruum exercitium ordinis, aut qui facit eum valde deformem, ita* ut sine aliorum horrore vel offensione sacra ministeria non possit peragere, irregularitatem inducit.

2. Ejusmodi defectus, si quoad *aliquod* ordinis exercitium adest, irregularitatem *simpliciter* inducit *ante ordinem susceptum; post* susceptum ordinem vero a) difficilius ille clericus ab exercitio ordinis prohibetur, b) atque ab illo tantum exercitio prohibetur, ad quod ineptus evasit.

3. *In dubio de deformitate seu impedimento judicium hîc imprimis committitur Episcopo, relate ad regulares eorum praelato;* attamen etiam relate ad hos Episcopus, cui ordinandus praesentatur, non tenetur semper praelati regularis judicio acquiescere.

4. *Ut aliquis, qui notabili et certo defectu corporis atque inde contracta irregularitate laborat, neque totaliter ineptus est ad omnia sacri ordinis ministeria, ordines nondum susceptos suscipere possit, dispensatio S. Pontificis requiritur,* nisi talis delegata facultas ex privilegio Episcopis sive regularibus praelatis concessa est.

Irregularitate igitur tenentur: 1206

1. Caecus, multum caecutiens, oculo sinistro carens nisi altero oculo satis decenter legere ex Missali possit. (Luscus non censetur irregularis.)

2. Surdus: non ita surdaster. At surditas superveniens a celebratione non impedit.

3. Mutus, multum balbutientes ita ut contemptum vel risum moveant.

4. Qui sine baculo ad altare sistere nequit; ligneo crure utens, nisi hunc defectum — ut nunc facile fit — satis possit tegere.

5. Qui caret manu, vel solo pollice, vel indice, vel eos digitos impeditos habet, vel qui omnibus tribus digitis posterioribus in aliqua manu caret.

6. Demum qui propter enormem gibbum, magnam mutilationem aliumve defectum multum deformes sunt.

§ 5.

Defectus aetatis.

De aetate ejusque defectu, de quo agit Trid. sess. 23 cap. 1 1207 *de ref.,* tractantes de sacramento ordinis satis diximus. Haec *irregularitas* relate ad eum, qui sine dispensatione ante legitimam aetatem ordines susceperit, completa aetate eo ipso cessat. — *Suspensio* vero, quae antea contra eos lata erat, qui, ex defectu aetatis irregulares ordines sacros exercuissent, quum in Constitutione *„Apostolicae Sedis“* non contineatur, abrogata censeri debet.

§ 6.

Defectus sacramenti, seu bigamia.

Bigamia, quae secundum decretal. l. 1 tit. 21 aliaque juris 1208 canon. decreta irregularitatem inducit, non necessario est simultanea, quae sine maximo crimine esse non potest, sed potissimum successiva: nam *bigamia simultanea* insuper irregularitatem *ex crimine infamante* inducit.

Dicitur bigamia *defectus sacramenti,* i. e. significationis conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Accuratius autem distinguitur 1) bigamia *vera,* 2) bigamia *interpretativa,* 3) bigamia *similitudinaria.*

1. Bigamia vera habetur, si quis successive duas uxores legitimas habuit atque cum utraque matrimonium consummavit.

2. Bigamia interpretativa adest, si quis, extra bigamiam veram, aut ipse duas mulieres affectu maritali carnaliter cognoverit, aut mulierem, quae utcunque cum altero carnalem copulam habuit, ipse maritali affectu carnaliter cognovit. — Hinc irregularis est ex

bigamia interpretativa: a) qui duo matrimonia, quorum sive unum sive utrumque invalidum est, contraxit et consummavit; b) qui duxit viduam a priore viro cognitam atque consummavit matrimonium; c) qui duxit puellam corruptam et cum ea matrimonium consummavit; d) qui uxori suae sive adulterae sive vi oppressae postea debitum conjugale reddidit, sive sponte, sive ut obligatus erat: neque videtur ex eo ratio irregularitatis non contrahendae peti, quod vir carnale commercium mulieris cum altero viro habitum ignoraverit, de quo cf. S. Alph. n. 439 sqq.; alii tamen putant, requiri hanc notitiam, atque irregularitatem d) et a) esse ex delicto, de quo cf. d'Annibale l. c. n. 418.

3. Bigamia similitudinaria in eo exsistit, qui post votum solemne castitatis sive in ordine sacro sive in religiosa professione emissum matrimonium contrahere et consummare attentavit: cf. S. Alph. n. 448 sqq.

1209 NB. 1. Ut ex notione data patet, potest aliquis ex bigamia multiplici irregularis esse. Quod si obtinet, quaecunque bigamia, quando dispensatio petitur, declaranda est.

NB. 2. Haec irregularitas ex bigamia, si ante susceptam fidem adfuit, *per baptismum non tollitur, sed etiamtunc dispensatione opus est.*

NB. 3. Dispensatio a bigamia vera et interpretativa per se S. Pontifici reservatur; si solum fuit similitudinaria, ab ea dispensandi facultas Episcopis competit, si modo infamia aut abfuit aut non amplius exsistit: S. Alph. n. 452.

§ 7.

Defectus lenitatis.

1210 1. Defectus lenitatis, cujus irregularitas confundi non debet cum irregularitate ex crimine homicidii, oritur ex homicidio aut mutilatione sive 1) in *judicio justo,* sive 2) in *bello justo offensivo.*

2. *In bello igitur justo offensivo ille solus irregularis est, qui istam actionem sanguinolentam propria manu exercuit;* non ille, qui tantum est exhortatus. *In judicio justo sanguinis omnes illi irregulares sunt, qui proxime et efficaciter ad poenam sanguinis contulerunt,* ut: exsecutor, judex, accusator, testis non coactus, assessores judicis, notarius qui authentice sententiam scribit etc.

3. Actio illa sanguinolenta ejusve cooperatio irregularitatem non inducit, si ab homine nondum baptizato exercetur.

4. Alii omnes casus, in quibus disputant, utrum irregularitas inducatur, necne, aut eam non inducunt, aut si inducunt, illa ex crimine repetenda est.

Ergo *in bello justo defensivo irregularitas non contrahitur,* uti neque in defensione privata contra injustum aggressorem: si modo moderamen inculpatae tutelae servatur.

§ 8.

Defectus famae, seu infamia.

1211 Infamia distinguitur infamia *facti* et *juris.* Cf. decretal. l. 5 tit. 31 c. 11, l. 1 tit. 11 c. 17, *reg. juris* in 6. reg. 87.

1. Infamia facti habetur: a) ex opinione communi seu notoria facti criminis sive vera sive falsa, b) ex perpessione poenae infamantis publica vel publicata, c) ex exercitio artis sive peccaminosae sive adeo vilis, ut communiter despiciantur, qui eam exerceant: quae *facti* infamia etiam aliquando in ipsos filios redundare potest.

2. Infamia juris completa habetur per judicis sententiam a) quae decernat infamiam, b) quae imponat poenam infamantem, c) quae sit criminis infamis condemnatoria, d) quae sit criminis infamis declaratoria (nimirum si crimen aliquod in jure sive canonico sive civili dicitur *ipso facto* inducere infamiam, sufficit sententia *criminis declaratoria;* si vero crimina infamantia quidem dicuntur, sed non *ipso facto,* sententia *condemnatoria* requiritur); e) demum adest infamia juris completa per ipsam confessionem rei in judicio, quando crimen *ipso facto* dicitur infamiam inducere.

3. *Infamia juris completa,* ut jam supra innui n. 1195, si unquam 1212
adfuit sive ob delictum proprium, sive ob delictum parentum, quod juris infamiam in filios transfundit, *semper dispensatione indiget,* ut auferatur, quantumvis *facti* infamia per lapsum temporis aut loci mutationem cessaverit: nisi forte sententia judicis fuerit manifeste injusta, aut postea pro injusta declarata. — *Idem dic de irregularitate ex haeresi propria vel aliena contracta,* etsi juris infamia completa non fuit, sed factum tantum notorium erat.

In aliis autem criminibus, si juris infamia completa non fuit, sed tantummodo *infamia facti: irregularitas sine dispensatione cessat, quando re ipsa infamia facti plene cessavit.*

Ad majorem rerum explicationem distinguere licet infamiam 1) ex delicto proprio, 2) ex delicto alieno, 3) ex arte vili, 4) meri facti.

Relate ad *primum* genus vide delicta ipso facto infamantia supra c. II. § 4. — Quae vero insuper infamantia habentur, sunt ex S. Alphonso n. 363 et Tambur. l. c. cap. 10 § 2 praeter homicidium praecipue haec: Perjurium in judicio, adulterium, sodomia, lenocinium, simonia, proditio, rapina, paratio armorum contra parentes, publicum usurarum exercitium —: videlicet tum ecclesiasticarum, tum civilium legum ratio habetur secundum axioma (decr. Grat. C. 6 Q. 1 c. 2) „omnes infames esse dicuntur, quos leges saeculi infames appellant."

Ad *alterum* genus, eorum sc. qui delicto alieno juris irregularitatem 1213
contrahunt, pertinent sequentes:

1) Filii et nepotes eorum, qui Cardinales hostiliter insecuti sunt, vel in eo crimine cooperatores exstiterunt: ex c. *„Felicis"* l. 5 t. 9 c. 5 in 6.

2) Filii et nepotes ex patre haeretico vel haeresis fautore; ex matre haeretica soli filii irregulares evadunt: ex c. *„Statutum"*, l. 5 t. 2 c. 15 in 6. Sed nota: statui solam irregularitatem quoad beneficia et publica officia; neque comprehendi a) filios, qui ante lapsum parentum erant sui juris, imo secundum S. Alph. n. 363 qui ante lapsum nati erant; b) neque filios, si parentes postea cum Ecclesia reconciliati sunt; c) putant quidam, ne illos quidem comprehendi, qui ab haereticis descendant in iis regionibus, ubi, haeresi impune grassante, crimen haeresis infamiam non inferat, nisi de secta noviter exoritura agatur: at cf. n. 1196.

3) Adduntur a multis ex jure civili: filii eorum, qui damnati sunt ob delictum laesae majestatis; filii nati ex matre meretrice (sc. hi videntur supponi *illegitimi,* et ex hoc capite irregulares exsistere).

1214 Ad *tertium* genus eorum, qui ex arte vili, si minus omnes infames, tamen irregulares sunt: 1) Histriones, qui turpia vel alia graviter illicita exhibent vel exercent; 2) carnifices, lictores aliique id genus homines.

Quorum filii per se non sunt irregulares; attamen dedecet eos ordinari vel ordines sacros exercere in iis locis, ubi parentes tam vilem artem exercent, aut ubi eorum origo publice nota est.

1215 Ad *quartum* genus addi potest: Ut aliquis ex defectu famae irregularis sit, satis est publica perseverantia in quocunque mortali peccato: v. Tamburini l. c. c. 10 § 3. Si vero publice notum est, aliquem peccatum commisisse, non una regula definiri potest, utrum censendus sit publice in eo perseverare, donec publice constet de emendatione, an tum tantum perseverare dici debeat, si peccatum frequentius repetat. Nam recte notat Tambur. l. c., si peccatum non est adeo infame, non ex uno peccato commisso arguitur perseverantia, sed ex peccato pluries repetito; si vero crimen atrox est, ut ille, qui commisit, non dicatur perseverare, requiritur, ut emendationem ostenderit.

Quae irregularitates, sive poenae quaedam, sive defectus sunt, innuunt, quam longe abesse debeat a ministris sacris omnis macula, et quanta tum corporis tum animae munditia eos deceat esse ornatos. Quare quos ad tantum munus Dei gratia vocavit, sibi ipsi multum attendere debent, ut quotidie in omni virtutum genere crescant atque divinis oculis in dies magis accepti reddantur.

Index rerum alphabeticus,

quo indicantur numeri marginales.

A.

Ablutio qualis in baptismo 663. 664. — loci, ubi S. species ceciderit 705. 706.
Abominatio 272.
Abortus quid sit 371. — An liceat directe vel indirecte procurare 372. — Excommunicatio in procurantes 1175. — irregularitas 1197. Abortivi foetus baptizandi 672. — Cura parochi hac in re habenda 994.
Abrogatio legis 90. — Diversi modi 91 sqq.
Absolutio danda vel deneganda 866 sqq. — quando dari possit 869. — num et quando conditionate 790. 867. — absolvere praesumentes a cas. Pap. 1173. Cf. **Poenitentia. Censura.**
Abstinentia a carnibus 609. 610. — diebus jejunii 613 — qui excusentur 611. — abst. a lacticiniis 613. — a promiscuitate piscium et carnium 613.
Acatholicus — ejus reconciliatio cum Ecclesia 811. — confessio in dubio baptismo *ibid.* — quoad matrimonium 1061. — quoad participationem officiorum divin. 1135. — quoad Missae applicationem 732, pro defuncto 731. — an in mortis articulo sensibus destitutus absolvi possit 914. Cf. **Haereticus, Infidelis.**
—— Acath. cultus. Liceatne ei assistere 295. — cooperari 295. 296.
Acceptatio reciproca quomodo requiratur ad contractum 517. — in sponsalibus 1009.
Accessio. Modus acquirendi jus seu proprietatem 421.
Accusare in judicio 348. — Accusatio falsa sollicitationis peccatum R. Pontifici specialiter reservatum 1177 *not.*
Acedia 309. — quando peccatum mortale 309.
Acolythatus. Officium 946. — ritus collat. 949.
Actualiter voluntarium 9.
Actus humanus et hominis 5. — externus et internus 6, quatenus objectum legis hum. 74, — qua objectum confessionis 804. — elicitus et imperatus 6. — heroicus num imperari possit 73.
Adoptio qualis 1067. — inter quos impedimentum matr. dirimens 1068.
Adoratio 152.
Adulteratio rerum venalium 556. — documenti publici 360.
Adulterium. Adulter 397. — duplex 397. — non desinit tale esse ob consensum alterius conjugis *ibid.* — peccata solitaria conjugum hanc malitiam participant 1105. — causa restitutionis 482. 483. — causa divortii perpetui 1027. 1029. — quae probatio necessaria 1029; reus quando possit statum perfectionis eligere 1030. — ut impedimentum matrim. dirimens 1072. 1073.
Adventitia bona filiorum 401.
Advertentia. Quomodo dignoscatur adv. plena 106. — confusa ad peccatum mortale sufficiens quae sit 105. Cf. **Attentio.**
Advocatus. Officia erga clientem 358. — Num reum contra veritatem defendere possit 358. — Si causa fuerit injusta 359.

Aedificatio ex materia vel in fundo alieno 424.
Aequiprobabilismus 52. — si stricte sumitur, impugnatur 61.
Aes alienum an exstinguatur praescriptione 428. Cf. **Debitum.**
Aetas pro obligatione legum hum. 76. — pro confessione 607. — pro prima Communione 711. — pro ordinatione 959. — pro matrimonio 1058. — majorennitatis 401. 1016 *not.*
Affinitas quae sit impedim. matr. dirimens 1069. — ex crimine, quid requiratur et quomodo praesumatur *ibid.* — subsequens privat jure conjugali quo sensu 1070. 1109, — excusat ignorantia 1070.
Aggressor quis occidi possit 367.
Aleatorius contractus 568 sqq.
—— ludus periculis plenus 574. — quo sensu clericis prohibeatur 972.
Aliena ecclesia. Missa ibi dicenda 766.
—— facta inducantne obligationem restitutionis 459.
—— res. Ejus detentio radix restitutionis 443. — in tertium translata 448. 449. 450. — consumpta a possessore bonae fidei 446, — a possessore malae fidei 454.
Alimenta parentes filiis debent 334, — spuriis 581.
Alluvio. Quid juris in ea 421.
Altare fixum et portatile 756. — consecratio quomodo facienda 757. — exsecratio 757. — ejus ornatus pro Missa necessarius 760.
Ambitio 306.
Amens quoad legis obligationem 76. — quoad matrimonii usum 1115. Cf. **Fatuus.**
Amissae res v. **Inventio.**
Amor erga Deum, proximum v. **Caritas, Dilectio.**
Ancilla a clericis adhibita quâ aetate esse debeat 974. — Cf. **Famulus.**
Animalia. Eorum occupatio 412 sqq.
Apostasia a fide 135. — excommunicatio in eam 1157.
—— a statu religioso 859.
Apparitor. Ejus officia et peccata 361. — munera accipere vel extorquere 361. — salarium integrum num a singulis recipere possit *ibid.*
Appellantes a Papa ad Concilium. Poena 1158. 1187.
Approbatio alieni peccati 291. — Appr. pro confessionibus 833, — a quo danda 837, — quibus necessaria ut a jurisdictione distincta 832. 838. — quomodo possit restringi 837.
Aqua naturalis ut materia baptismi 659—661. — consecrata quando sub gravi adhibenda 662.
Artes clericis prohibitae 965—968.
Aspectus impudici. Malitia 385. 386.
Aspersio an modus baptizandi aptus 663.
Assecuratio sitne contractus aleatorius 568. 569. — ejus natura et leges 568. — quid juris, si res jam fuerit destructa 569. — si sufficiens cautio non exsistebat 569. — excessus in taxa annua, 569.
Asylum eccles. 998. — ejus violatio 1168.
Attentio in audienda Missa 240. — in celebrando 636. — in ministrandis sacramentis 636. — in officio div. recitando 982.
Audiens pravos sermones 384. — diffamationem 593.
Auriga. Possitne vehendo ad peccatum cooperari 299.
Aurora pro celebratione quomodo sumatur 751. 752. — anticipatio qualis prohibita sub gravi 752.
Autochiria illicita 251. — num reo jusso liceat 251.
Avaritia an et quando peccatum mortale 308.

B.

Banna quoties publicanda ante matrimonium 1015. — in qua parochia 1016. — minorum 1016. — dispensationis causae 1017. — parochus num dispensare possit 1017.
Baptismus janua Ecclesiae et sacramentorum 657. — gratiae quas conferat 657. — B. Flaminis an et quando suppleat 658. — B. sanguinis 658.
—— caerimoniae earumque obligatio 669.
—— forma 665 sqq.
—— materia 659 sqq.; v. **Aqua, Ablutio.**
—— minister ordinarius parochus vel Episcopus 667, — quo sensu quilibet sacerdos *ibid.* — extraordinarius quo sensu diaconus *ibid.*, — quo sensu quilibet homo 668. — quis ordo retinendus *ibid.*
—— subjectum 672 sqq. — quid qualisque dispositio in eo requiratur 673 sqq. — dilatio peccam. 674. 1203.
—— susceptus cum dubio valore an obliget ad confessionem peccatorum quae postea committantur 811.

Baptismi sacrilega iteratio ut irregularitas 1191.
Bellum. Jus et causae bellandi 374. 375. — modus 376. — injustitiae a quibus reparandae 376.
Beneficium ecclesiasticum secum fert obligationem recitandi officii divini 977. — alias obligationes 989 sqq. — quae salaria gubernii civilis ei aequiparentur 408 *not.* — benef. ut titulus ordinationis 957. 960. — laedentes ejus jura puniuntur 1163.
Bestialitas contra sextum praeceptum 394.
Bigamia simultanea graviss. crimen 1025. — successiva non prohibetur *ibid.* — inducit irregularitatem 1208. — interpretativa et similitudinaria *ibid.* — quis dispenset ab ea irreg. 1209.
Blasphemia quid sit 162. — non admittit materiae parvitatem 162. — exempla 163. 164. — haereticalis 162. 163. — joci causa prolata 163. — in Sanctos num ejusdem sit speciei 163. — consuetudo quomodo exstirpanda 164.
Bona ecclesiastica. Condonationes bon. usurpatorum 510. — exempta sunt per se a potestate laicali 427. 583. 998. — eorum protectio per censuras contra violatores 1163. 1174.
—— B. clericorum filiorumfamilias etc. v. **Clerici, Filii** etc.
Bona fides in praescriptione necessaria 425. 428. — in possessione rei alienae quid juris det 445 sqq. Cf. **Possessor.**
Brephotrophium. An parentes qui filiolum ibi suscipiendum curant, debeant compensationem 483.
Breviarium v. **Officium divinum.**

C.

Caecus vel **Caecutiens** quomodo irregularis 1206.
Caesarea sectio 372. — matre mortua quam primum fieri debet 672.
Calix pro Missa qualis esse debeat 758. — ejus exsecratio 762.
Calumnia quid sit et secum trahat 589. 598.
Campanas pulsare in templo acatholico 295.
Canon in Missa. Aliquid in eo omittere facile peccatum grave 767. — in ordinatione presbyteri recitandus cum Episcopo 953.
—— privilegium canonis pro clericis 998. 1166.
Canonicus. Obligationes 995. — quando excusetur a choro 996. 997.
Cantum dirigere vel juvare in ritu acatholico 295. — in theatro 298.
Capellani militares quoad jurisdictionem 836.
Carcer. E carcere fugere an liceat 354. — eum infringere 354. 355. — custodem decipere 354.
Cardinales quomodo sibi eligere possint confessarium 839. — a quibus censuris eximantur 1127. — eorum insecutio severe punitur 1159; irregularitas 1195. 1213.
Caritas erga Deum quo motivo niti debeat 146. — etiam attributis Dei relativis 147. — num beneficiis div. 147. — diversi actus 144. — vis justificandi 147. — vis merendi 149. necessitas eliciendae caritatis 148.
—— erga proximum quot peccatis laedatur 150. — ad quos actus obliget 258 sqq. Cf. **Proximus.**
Carnes. Abstinentia ab iis 609. 613. — qui excusentur 611. — dispensatio 301. 612. — eas dare diebus vetitis 301.
Castitas. Votum religiosum solemne et simplex 222. — ejus custodia 223. — votum privatum quando R. Pontifici reservatum 198. — imped. dirimens matr. 1060, impediens 1038. — si matrimonio supervenit 192. 193. 1002. 1006. — Peccata contra castitatem v. **Luxuria.** — Castitas conjugalis v. **Conjugale debitum.**
Castrensia bona filiorum 401.
Casualia bona clericorum 407.
Casula quam necessaria pro Missa 759. — ejus materia *ibid.*
Caupo. Ejus cooperatio ad peccata aliena 301.
Causae diversae: proxima et remota, immediata et mediata etc. 12. — libidinosae commotionis graves et leves 380 sqq. — C. a lege excusantes 85. 86. 506. — causa et occasio damni 458. — causa primaria et secundaria 494. 497. — causae dispensandi in impedim. matr. 1089. — motivae et impellentes 1088.
Celebratio v. **Missa.**
Censura ut eccles. poena 1222 sqq. — quale peccatum requiratur 1123. — quae ignorantia excuset *ibid.* — metus *ibid.* num resipiscentia 1124. — quis in quos ferre possit 1127. 1128. — absolutio 1129 sqq., ad reincidentiam 1130. 857a. — possitne fieri per telegraphum? 1129. — petine debeat per

literas 1130 et 857a. Cf. **Excommunicatio, Interdictum, Suspensio.**
Census quid sit, num licitus tum realis tum personalis 544.
Cerei in Missa necessarii 760.
Cessatio legis 90 sqq. — propter finem cessantem 96. — C. a divinis 1154.
Cessio bonorum num liberet a debitis 507. — qualis ordo in solvendo retineri debeat 501 sqq.
Character quibus sacramentis imprimatur 626.
Chartam legere in qua aliquis scripsit sua peccata 883.
Chirographa mutabilis valoris emere ad certum diem 570. — quorum possessio clericis liceat, quorum tamquam negotiatio sit prohibita 966.
Choreas instituere, frequentare 288.
Chorus. Obligatio ad chorum qualis 977. 979. 995.
Ciborium quale debeat esse 698.
Cingulum pro Missa ex qua materia 759. — exsecratio 762.
Circumstantia saepe mutat moralitatem actûs 27. — leviter mala non destruit omnem bonitatem actioni per se insitam 29. — quae accusari debeat in confessione 805. 806.
Civilis lex. R. Pontifex num ei subjaceat 77. — quomodo alii clerici *ibid.* Lex si laedit jura Ecclesiae 1160. — si obstat matrimonio num servari debeat 1041.
Clandestinitas. Cl. matrim. 1076 sqq. — ubi etiamnunc sit validum matr. cland. 1080. 1082. 1084. 1085. — num ubique matr. haeretic. 1081. — num producat publicam honestatem 1071. — quid lex Trid. praescribat 1077 sqq.
Claudus irregularis 1206.
Clausula. Quae cl. soleant esse in dispensationibus matrim. 1094. 1095. — difficultas praecavenda 1097. — claus. codicillaris quid sit et valeat 584.
Clausura religiosa, quomodo a viris religiosis servanda 223. 859. — monialium ejusve violatio 1169.
Clerici quomodo subsint legi civili 77. — eorum bona 407 sqq. — si male impendent reditus 409. 410. — eorum onera 964 sqq. — privilegia 998 sqq. — exemptio in interdicto locali 1148.
Codicillum quid sibi velit in ultimâ voluntate 584.
Coelibatus. Obligatio clericorum S. ordinum ad illum 973. — impedim. matr. dirimens 1060. — an detur unquam dispensatio 973. — votum coelibatûs ut impedimentum matr. imped. 1036. — qui matrimonium nihilominus init. *ibid.*
Coenula diebus jejunii quoad quantitatem et qualitatem 613. — in vigilia Nativitatis D. 614.
Cogitatio prava quae sit quale peccatum 105a sqq. 382.
Cognatio legalis v. **Adoptio**; naturalis v. **Consanguinitas.**
—— spiritualis ex baptismo oriunda: quid requiratur 1065. — impedimentum matr. imped. *ibid.* — an ex baptismo privato 1066. — conditionato *ibid.* — ex confirmatione oriunda 1065.
Collatio vespertina in jejunio 613. 614.
—— bonorum in haereditate adeunda 586.
Color paramentorum pro Missa 759. 766.
Comitia. Suffragantes in eis in causa mala ad quam restitutionem teneantur 488. 489. — quando non-suffragantes 489. Cf. **Deputati.**
Commixtio rerum quid juris efficiat 422. — commixtio res deteriores faciens v. **Adulteratio.**
Commodatum. Notio et obligatio 536. 537.
Commotio venerea. Causam ejus ponere quale peccatum 379 sqq.
Communicatio cum excommunicatis 1133. 1137. 1173. 1187.
Communio frequens. Regulae 716 sqq. — pro indulgentiis requisita 925. — quando commutari possit 925. 935.
—— paschalis plura praecepta continet 608. — non exspirat cum tempore *ibid.*
—— prima puerorum quâ aetate 711 — in periculo mortis maturius urget *ibid.* Cf. **Eucharistiae sumptio.**
Comoedias turpes repraesentare, eis assistere 288. 386. Cf. **Spectacula.**
Compensatio occulta num et quando licita 439. 440.
Complex. Num liceat confessario ejus nomen inquirere 817. 1165. — ejus diffamatio num excuset ab integritate confessionis 816. — complicis absolutio casus papalis specialissime reservatus 1162.
Concionari quomodo tenentur Episcopi 991 — parochi 993. — regularibus quid liceat 1007. 1128.
Concupiscentia. Notio 18. — antecedens et consequens 18. 20. — influxus in voluntarium 19 sqq. — in libertatem et imputabilitatem 19.

Conditio in contractu 529. — suspensiva et resolutiva 526. — turpis vel impossibilis 530.
—— in matrimonio etiam de futuro non obstat essentialiter valori 1020. — turpis quando nullitatem inducat 1021.
— in rel. Sacramentis: annullat conditio de futuro 638. — possibilis est alia *ibid.* — etiam in absolutione 790. — quando conditionate danda 638. 790.
—— in testamento 584.
Condonatio bonorum ecclesiasticorum 510. — injuriae 275.
Conducere v. **Locatio.**
Confessarius. Ejus potestas 831 sqq., — ejus obligationes 860 sqq.
Confessio sacram. Necessitas 784. 801. 803. — quando maxime urgeat 803. — integritas qualis requiratur 802. 804 sqq. — ante S. Communionem necessaria 712. — sacerdoti, qui in necessitate sine ea celebravit, *quam primum* necessaria 714.
—— Conf. annua quos et quando obliget 607.
—— Conf. generalis quando qualis necessaria 821. 822. — quomodo instituenda 823. 824. — quando prohibenda 822. — consulenda *ibid.*
—— Conf. pro indulgentiis lucrandis necessaria 924. — hebdomadaria vel pridie facta sufficit pro indulg. occurrentibus 924. — non ita in jubilaeo *ibid.*
Confirmatio. Sacram. 676. — quam conferat gratiam 676. 677. — forma 680. — materia remota 678. — mat. proxima seu qualis unctio et manûs impositio 679. — minister vi ordinationis Episcopus 681. — ex delegatione R. Pontificis presbyter 682. — presbyter limites suos excedens invalide confirmat 682. — obligatio ministrandi 683. — suscipiendi 685. — ritus observandus 683. — subjectum 684. — dispositio necessaria 685.
Conjuges. Conjugale debitum. Quid liceat 1100 sqq. — quid sub mortali peccato excludatur 1102. 1103. — in dubio impedimento 1106. — in dubio ligamine prioris matrim. 1107. — in casu juris amissi propter incestum 1070. 1109, propter quodvis adulterium 1029. 1109. — in casu voti obstantis 1109. 1115. — Finis duplex 1099. — possitne intentio generandae prolis exsulare? 1100. 1114, 1118, tempus ad hanc ineptum vel minus aptum eligi? 1100. — Obligatio reddendi debitum 1113 sqq. — denegatio quale peccatum 1114. — ebrio vel amenti denegare 1115. — obligatio denegandi vel abstinendi 1110. 1117. — sitne in muliere erga virum onanistam 1118. — Peccata solitaria 1104. 1105; eorum malitia 1105.
Conjugicidium ut impedim. matrim. dirimens 1073. 1074.
Consanguinitas quo gradu impedim. matrim. dirimens 1063. — num lege naturali *ibid.* et 1064.
Conscientia. Definitio et divisio 33. — recta et erronea ut regula actionum 34. — quae erronea excuset a peccato, quae non 34—36. — dubia deponenda ante actionem 38. — quomodo deponi possit 38. 68. — laxa 48. — ejus periculum 48. — ejus remedia 49. — scrupulosa v. **Scrupulus.**
Conscriptio v. **Militia.**
Consensus in contractu 517. — ut causa reparandi damni 488.
Consilium dare ad peccandum num unquam liceat 286. 289. — damnosum causa debitae restitutionis est 486. 487. — quando causa principalis 486.
Conspiratio qualem obligationem restituendi damni inducat 488. 496.
Consuetudinarius qui sit et quomodo tractandus 898.
Consuetudo legem abrogans 92. — ejus conditiones 93 sqq. — legem condens 92.
Contemptus sitne idem ac contumelia 596. 597. — quando graviter peccetur contra parentes 338, supremam auctoritatem 341.
Contractus. Contrahentes. Notio et divisio 512. — quid ad essentiam requiratur 517. — obligatio ejusque interpretatio 522. — qui contrahere possint 515. — irriti et rescindibiles 521. 523. 524. 525. — informes quid valeant 524.
Contritio 791. — ejus necessitas 792 sqq. — an elici debeat ex intentione recipiendi sacramentum poenitentiae 793. — quo sensu debeat esse summa 794, supernaturalis 795, universalis quoad peccata mortalia, non necessario quoad venialia 796.
Contumelia 596. 597. — quando gravis 338. 341. 597. — quae reparatio fieri debeat 601.

Convictores possintne absolvi a regularibus sine Episcopi approbatione 947.
Cooperatio ad peccatum alienum formalis quando adsit 289. — nunquam licita 291. — coop. materialis 290. — aliquando licita 292—294. — sed non semper 291. — coop. ad damnum ad quid obliget 484. sqq.
Copula conjugalis v. **Conjugale debitum.**
—— incestuosa v. **Incestus.**
Corporale qua necessitate ad Missam celebr. requiratur 758. — debet esse lineum 758. — non immundum 761.
Correctio fraterna et judicialis 268. — frat. quando debita sub gravi 269. 270. — quo modo et ordine 269. — paterna per Superiorem longe gravius urget 270. 990. 994.
Corrumpere custodes, medicos etc. non licet 354. 474.
Craniotomia prohibita 372.
Creditor quis cui praeferendus in solutione debitorum 501—503. — creditoris creditori possitne solutio fieri 508.
Crimen. Impedim. criminis ut matrim. dirimens 1072 sqq. — crimina titulus irregularitatis 1195. — ipso facto infamantia *ibid.* 1212. — infamiâ punienda 1211. — criminosum 1173.
Cura corporalis et spiritualis, quam sibi quisque debet 248. — filiis a parentibus debita 334. 335.
Custos agrorum quid praestare debeat 362.
—— carceris quid ei liceat 355. — quid reo contra eum liceat 354.

D.

Damnatas theses tenere non licet 136. — defendere gravius punitur 1165.
Damnificatio radix restitutionis 441. 458 sqq.
Damnum quis ferre debeat in locatione 564. — in re assecurata si excitatum fuerit 569.
—— emergens titulus exigendi foenoris 545.
Dataria in quibus rebus dispenset 1091.
Debita an exstinguantur praescriptione 428. — eorum solutio quo ordine 501 sqq. — incerta cui restituenda 500. Cf. **Restitutio.**
Defectus: morales ut distincti a peccatis 786. — in sacramentis occurrentes sive essentiales sive accidentales 630. — in celebratione 765. 767 sqq. — in confessione audita commissi corrigi debent 888. 889. — D. loquelae, temporis qui excuset ab integritate confessionis 815. — Defectus rerum in venditione manifestandi 555.
Defloratio puellae quam secum trahat obligationem 480. 481.
Degradatio verbalis et realis 1153.
Delectatio v. **Morosa** delectatio. — de re et de modo 107a. — de rei effectu 108a.
—— venerea et sensitiva 378.
Delegata potestas 837 sqq. — quamdiu duret 837 *not.*
Deliberatio de gravi peccato committendo est peccatum grave 107.
Denudatio peccaminosa 288.
Denuntiatio judicialis et paterna 348. — quando fieri debeat vel non debeat 349. — criminis haeresis et similium 350. 351. — coryphaeorum in sectis massonum 351. 1168. — sollicitationis in confess. 1177. — damnificationis 362.
Depositum. Depositarius. Notio et obligatio 538. — minus severa obligatio quam in commodato 538.
Deputati. Eorum munus 343. — ad eorum electionem concurrere *ibid.* Cf. **Comitia.**
Derelicta bona cui cedant 420.
Derogatio legis 90. 91.
Desertor militiae quomodo peccet vel excusetur 474.
Desiderium pravum 113. — ejus malitia specifica 104a. — efficax et inefficax num specie distinctum 113. — conditionatum num auferat malitiam 111a et 112a.
Desperatio quale peccatum 141. — remedia 143.
Desuetudo 92. v. **Consuetudo.**
Detractio v. **Diffamatio.**
Deus. Auctor legis, ad quem reliquae leges omnes aliquo modo reducuntur 71. — colendus cultu interno 151, et externo 200 sqq. — diligendus super omnia 148 sqq.
Diabolus ad luxuriam impellens 395. ad scrupulos 41. — commercium cum eo per superstitionem 158.
Diaconatus. Materia et forma 950. officia 947.
Diaconus ut minister baptismi 667. — ut minister Ss. Euchiae 700. — quando irregularis 1193.
Diffamatio 589. — quaenam gravis 590. 591. — quae causae excusent

a peccato ejusve gravitate 592. — obligatio reparandi 598 sqq.
Diffidentia quale peccatum 143.
Dignior si omittitur in officio 464.
Dilectio Dei. Ejus initium an necessarium ad justificationem 797.
Directe voluntarium 8.
Discipulus. Ejus obligationes erga magistrum 366.
Disparitas cultûs ut impedimentum matr. dirimens 1061. — ut impedimentum impediens 1033.
Dispensatio quid sit 86. — quis possit dispensare 87. 88. — sine vel cum causa *ibid.* — dispensandi causa 87. 1088. — motiva et impulsiva 1088. — dispensationis interpretatio 89. — cessatio 90. — petitio 1090 sqq. Cf. **Clausula.**
Dispositio poenitentis quomodo recognosci a confessario debeat 862. — qua certitudine 362. 867. 869. — signa 863 sqq.
Distillatio peccaminosa et non-peccaminosa 378.
Distinctio peccatorum v. **Specifica, Numerica.**
Distractio in Missa quale peccatum 771. — in confectione sacramentorum 636. — in officio div. recitando 982.
Distribuere officia in minus dignos 464.
Divinatio quale peccatum 158.
Divortium a vinculo matrim. quomodo repugnet 1026. — in qua causa possibile 1026. 1027. — a toro et cohabitatione 1028 sqq. — innocens quando transire possit ad statum perfectionis 1030. — quando reus *ibid.*
Dolus v. **Fraus.**
Domicilium quoad ordines conferendos 956. — quoad banna 1015. 1016. quoad matrimonium contrahendum 1078.
Dominium perfectum et imperfectum, radicale 318. — privatum ejusque origo 412. — qui habeant vel habere possint 319. — quarum rerum sit possibile 320. 321. — clericorum 407 sqq. — filiorum familias 401 — 403. — scriptorum seu auctorum 411. — uxorum 404—406.
Donatio 534. — quando revocabilis 535. — qui incapaces sint 534.
—— creditori facta num exstinguat debitum 504. 508.
—— mortis causa 577.
Dos. Dotalia bona 404.
Dubium quid sit et quotuplex 37. — facti et juris 37. — positivum et negativum 37. — ut distinguatur ab opinione et suspicione 37 *not. 1 et 2.* — dub. quomodo deponendum 38. 68. Cf. **Conscientia.**
Dubium in damno illato quando excuset a restitutione 468. — in diffamatione 600.
—— dubia fides in re acquirenda quid imponat 457. — in re detinenda 455. 456.
—— dub. lex num obliget 52. 55. 58.
—— dubium in sacramentis 631. 633. 844.
Duellum quid sit et num liceat 373. — poenae in duellantes 1167. — sepulturâ eccl. privandi 1155. — causetne obligationem restitutionis 477.

E.

Ebrietas. Ebrius 311. — quando grave peccatum 311. 312. 315. — peccata in ebriet. commissa 14. 314. — ebrietatem alienam causare 301. 313. — ebrius quoad usum matrimonii 1115.
Ecclesia locus proprius celebrandae M. 243. 754. — ejus exsecratio 754. — pollutio 755. — Ejus visitatio ut opus jubilaei 930.
Ecclesiastica lex a quibus feratur 71. qui subjaceant 76. — an haeretici 76.
Educatio filiorum: quam parentes debeant 334. 335.
Effectus peccati sitne accusandus in confessione 804.
Electio statûs vitae quae fieri debeat 256. — deputatorum ex qua obligatione 342.
Eleemosyna. Opera corporalis el. 265. — spiritualis 268. — praeceptum 266. 267.
Emancipatio filiorum 401.
Emphyteusis. Notio 400.
Emptio v. **Venditio.**
Epieikeia 81.
Epilepticus irregularis 1202.
Episcopatus quomodo conferatur 954.
Episcopus. Ejus officia 989 sqq. — potestas et dignitas 948. — privilegia communia 88. 999 sqq. — quoad absolutionem *ibid.* et 853 sqq. — personale privilegium quoad celebrationem 1004. — quoad confessarium eligendum 839. 1004. — Episcopus proprius quoad ordinationem 956. 957.
Erronea conscientia v. **Conscientia.**
Error in contractibus 518. 519. — dans causam contractui 519. — in damno inferendo excusetne a resti-

tutione 467. — errores commissi a confessario quomodo corrigendi 888. 889. — error ut impedim. matrim. dirimens 1046 sqq. — error qualitatis per se non dirimit 1047. — num error in officiis matrim. 1048.

Eucharistia. Ejus excellentia et distinctio a reliquis sacramentis 686.

—— asservatio ubi 696. — modus 698.

—— confectio. Sacerdos minister confectionis 691. — materia panis triticeus et vinum de vite 692. — quâ curâ praeparanda 693. — quomodo praesens esse debeat 694. — quando praesens esse debeat 695. — si relictum extra sacram petram vel corporale, vel oblivioni data 695. — forma consecrationis sola verba Christi 696.

—— distributio cui licita 700. — quis teneatur distribuere 702. 703. — ritus servandus et tempus 704. 705. — defectus occurrentes 705 sqq.

—— effectus quinam sint 689. — quamdiu producantur 688.

—— expositio publica et privata, ejus causa et licentia 699.

—— sumptio sacramentalis, spiritualis, materialis 708. — quomodo necessaria 710. — quâ aetate incipiat obligatio 711. — quae animae dispositio necessaria 712 sqq. — dispositio corporis 720 sqq. — frequens sumptio 716 sqq.

Examen conscientiae confessioni praemittendum 818 sq. — defectus quando gravis 819. — methodus peragendi 820.

—— examen pro cura animarum gratuitum esse debet 172. — ad illud revocari num et quando parochus possit 836.

Excommunicatio quid secum ferat 1134 sqq. — minor nunc sublata est 1133 *not.* — quibus rebus privet 1134 sqq. — quomodo excludat a participatione Ss. Missae 731. 732. 1135. — quando agi possint actus per se prohibiti 1134. — exc^{em} non curans 1139.

Excusatio a legis impletione 85. — a restitutione 506.

Exhaeredari 580.

Exorcista. Munus 946. — ritus ordin. 949.

Expensae in re aliena factae possintne deduci in casu restitutionis 451. — ad alendam prolem expositam an compensandae 483.

Exposita proles obligetne parentes ad compensationem 483. — non censetur illegitima 1200.

Expositio Ss. Eucharistiae 699.

Expressum voluntarium 9.

Exsecratio altaris 757. — ecclesiae 754. — paramentorum 762. — vasorum sacrorum 762.

Exsecutio dispensationis matrim. 1094. 1096.

Externus actus augeatne moralitatem 30. — praecipi potest etsi sit occultus 74. — num debeat accusari in confessione 804.

Extrema Unctio v. **Unctio.**

F.

Falsificatio documenti publici 360. — literarum Apostolicarum 1161. 1175.

Fama quid sit 568. — famae propriae cura habenda 255. 258, — alienae 589 sqq.

Familiares qui absolvi possint a regularibus sine Episcopi approbatione 847, — aliisque sacramentis donari 1172. — qui titulo familiaritatis ordinari possint 957.

Famulus. Ejus obligationes 364. — occultâne compensatione uti possit 440. — cooperatio ad peccatum heri 299. — damnum ab hero non avertens 493.

Fatui. Num et quando ad sacramenta admitti possint vel debeant 673. 893.

Favores ampliandi 67. — Episcoporum 999 sqq. — religiosorum 1005 sqq.

Festa de praecepto 605. 606. — quomodo sanctificanda 229 sqq. — ut tempus ordinationis 962.

Fictio sacramentorum illicita 651. — matrimonii *ibid.* — juramenti 174. voti 181.

Fidejussor. Jura et onera 565.

Fidelitas qualis virtus 533. — erga Deum 180. — erga heros 364. — advocati erga clientem 358.

Fides divina 121. — requirit praeviam notitiam certam de revelatione 121. — quomodo homo ad f. perveniat 122. — motivum fidei 122. — necessitas f. ad salutem 123, — quarum veritatum 124 sqq. — quando necessario elicienda 127 sqq., — quomodo ante quamlibet justificationem 654. 797. — fidem negare nunquam licet 130. — aliquando licet eam occultare 130. 131. — fidei professio 132. 133.

Filius. Officia erga parentes 336 sqq. perpetua et temporanea 337. — eorum laesio quaenam gravis 336 sqq. — defraudans aliquid parentibus 402. 403. — bona filiorum 401 sqq. — furta filiorum quando gravia 434. — emancipatio 401.
Finis fons moralitatis 28. — malus num semper totam bonitatem actûs corrumpat 29. — f. legis num intendi debeat a subdito 83. — si cessat, num eo ipso lex cesset 96.
Foenus pro pecunia mutuo data possitne admitti 545 sqq. 550. — tituli externi pro illo 545. 546. — permissio Ecclesiae 547. — ejus limites 551.
Forma in sacramentis 628 sqq. (vide singula sacram. sub suis nominibus).
Fornicatio. Malitia 389. — quando inducat restitutionem 480. 481.
Fortitudo. Notio et contraria vitia 304.
Forum. Fori privilegium pro clericis 998. 1160.
Fragmenta sacr. specierum quomodo sumere liceat sacerdoti 707.
Fraus addatne ad furtum malitiam 432. — errorem causans in contractu 519.
Fructus rei diversi 444. — in casu restitutionis 443. 447. 451. — in venditione 553. — Fr. Missae v. **Missa.**
Frustulum mane in diebus jejunii 613.
Fuga. Quid reo circa eam liceat 354. — sitne necessaria ad declinandam cruentam defensionem 367.
Fur. Furtum. Notio 432. — materia gravis 433. 434. — furtiva res num praescriptione acquiratur 427. — furtula minuta quando gravia evadant 435. 436. — filiorum famil. 434. — famulorum 434. — ex duplici capite restitutionem inducit 441 et 442. — quando rei alienae ablatio excusetur a furto 437 sqq.
Furtiva ordinum susceptio 1192. — irregularitatem causat *ibid.*

G.

Gaudium de peccato 109a. — quae malitia insit 104a. — quinam in confess. de illo gaudio examinandi 110a.
Gratia prima et secunda 625. Cf. **Sacramentum.**
Gratitudo 324. — ejus laesio quando gravis *ibid.*
Gubernatio. Ad gub. uti notitiâ ex confessione? 886.
Gula quot modis committatur 310. — plerumque veniale pecc. 310.

H.

Haereditas. Haeres. Notio 579. 582. — legales et necessarii 579. — jura et obligationes 582. — qui incapaces 581. — an praescribere possit cum mala fide antecessoris 430.
Haeresis. Haereticus. Malitia 135. — quando committatur 135. — quo ambitu causa divortii 1029. — denuntianda 350. 351. — excommunicatione punitur 1157. — quando Episcopus ab ea absolvat 999. — inducit irregularitatem 1196. 1213. — baptizari ab haeretico 1192, vel ordinari 1184. — exclusio a participatione Missae 731. 732. — h. defunctus quomodo a Missae fructibus excludatur 731, a sepultura 1155. 1176. — subjaceatne legibus comm. Eccl. 76. 1044.
Hasta. Venditio sub hasta 561. Cf. **Licitatio.**
Heroicus actus num et quando lege humana praecipi possit 73.
Herus quid famulo debeat 363. — seductione peccetne nova peccati specie 363. Cf. **Scandalum.**
Homicida quid quibus restituere debeat 475. 476.
Homicidium. Malitia 730. — irregularitas 1197 — in dubio 1198 — ex homicidio casuali 1199.
Honestas publica impedim. matrim. dirimens ex sponsalibus 1071. — ex matrimonio *ibid.* — causae exemptae *ibid.*
Honor ut distinctus a fama 588. — laesio et reparatio 601.
Hypotheca. Apud quem sit rei dominium 567. — quid juris efficiat hypotheca posterior 567. — quomodo oriatur *ibid.*

I, J.

Jactantia de peccato quale peccatum 109a.
Idololatria. Diversae species 159.
Jejunium naturale ante S. Communionem 721 sqq. — quid requiratur ut sit laesum 722. — qui qua ex causa eximantur 723.
— ecclesiasticum 613 sqq. — qui excusentur 615 sqq. — qui dispensare possint 88. 620. 1003. 1005. — praecipua rescripta 620.

Ignorantia juris et facti 15. — vincibilis et invincibilis 15—17. — culpabilis et inculpabilis *ibid.* — supina et affectata 15. — excusetne in incestu a poena amissionis juris conjugalis 1070, — a censura 1123, — ab irregularitate 1189, — a reservatione peccati 851. — ign. officii conjugalis num irritet matrimonium 1048.
Illegitimi irregulares 1200. — quomodo legitimentur *ibid.* — dispensentur 1201.
Imagines Sanctorum colendae quomodo 156.
Impedimentum legi implendae apponere 86.
—— matrimonii impedientia et dirimentia 1031. — Ecclesiae potestas *ibid.* 1043. — subjaceantne haeretici 1044. — dispensatio a quo danda 1086. — in summa necessitate 1002. — quid in petitione servandum. (Quaere singula impedimenta sub suis nominibus.)
Impedire damnum qui negligat 462. 493. — consecutionem boni 464—466.
Impeditus qui vocetur quoad casus reservatos 856. 857.
Impetratio apud Deum 116.
Impleri lex quomodo debeat 83. — an una actione plures leges impleri possint 84.
Impotentia qualis a restitutione excuset 506. — quae sit impedim. matrim. dirimens 1052 sqq. — subsequens quid licitum relinquat 1055. 1100.
Impressio librorum adulterina 411, — pravorum 297, — haereticorum speciatim 1157.
Impuberes 1058. — eorum sponsalia 1010. — inhabiles ad matrimonium 1058. — excusantur a plerisque censuris 1127.
Inadvertentia excusetne a peccato 103, — a voto poenali 190, — a reparando damno 462. 598.
Incapacitas accipiendi ex haereditate 217. 581. — donandi et testandi 217. 516. 583.
Incerta debita quae vocentur et quibus restituenda 500.
Incestus. Notio et specifica malitia 398. — circumstantia non amplius indicanda in petenda dispensatione matrim. 1093.
Inculpabilis actio ut causa reparandi damni 462. 598.
Indifferentes actus num exsistant quoad moralitatem 31. 32. — dantur quoad meritum theol. 32.
Indignus. Ei conferre munera publica 340. 464. — ecclesiastica beneficia 464, — sacramenta 647. 650. — ab indigno sacramenta petere 656. 1134.
Indirecte voluntarium 8. 12 sqq. — quando imputabile 13. 14.
Indulgentia. Notio 919. — status gratiae requisitus 920. — in indulgentiis pro defunctis? *ibid.* — intentio quae necessaria 921. 922. — quae opera praescripta 923 sqq.
Infantes num subjaceant legi naturali 75, — positivae 76. — recenter nati mox baptizandi 674. — acatholicorum parentum? 673. 675.
Infidelis. Infidelitas 134. — positiva et privativa 134. 135. — quomodo participatio in Ss. Missa locum habeat 732. — in loco sacro non sepeliendus 1155.
Informe sacramentum 627. — poenitentiae sacram.? 800.
Infusio aquae qualis in baptismo 663.
Ingratitudo quando mortalis malitia 324.
Ingressus in ordinem religiosum extinguatne debita 213. 509. — quomodo auferat irregularitatem 1201.
Inimicus. Inimicitia 272. — diligendus 275. 276. — eum declinare, non salutare quando peccatum 276. 277.
Injustitia v. **Justitia.**
Inobedientia. Ejus malitia 227. 332. — in religiosis multiplex 227. — formalis 332. — filiorum quando gravis 338.
Inquisitio necessaria in dubia conscientia 38. 68. — si negligitur in rebus justitiae 456. — in dubio matrimonio 1106. 1107.
Integritas confessionis v. **Confessio.**
Intentio in administrandis sacramentis 637. — externa 637. — conditionata 638. — in applicatione Missae 736. — in indulgentiis lucrandis 921. — bona in quotidianis operibus 117. 155. 918.
Interdicti ab ineundis contractibus 516.
Interdictum. Censura ecclesiastica 1146. — generale et particulare, locale et personale *ibid.* — qualis culpa supponatur 1147. — violatio quale peccatum 1150. — „ab ingressu ecclesiae" 1149. — ipso facto statuta 1186 sq.
Intermedius. Restitutio per intermedium an et quando reum liberet 594. — interm. venditor v. **Proxeneta.**

Internus actus num lege humana praecipi possit 74.
Interpretatio legis 80. — authentica 81. — comprehensiva et extensiva 81.
Interpretative voluntarium 9.
Interrogare. Quando confessarius interrogare debeat 860. — interrogatorium in confessione generali 824.
Interrumpere Missam. Quando fieri possit vel debeat 773. 774.
Inventio rerum. Res inventae possintne retineri 418. 419.
Invidia quando committatur 273.
Ira et **Iracundia** 307. — ex ira proferre nomina sacra 163.
Irregularitas ex defectu et ex delicto 1188. 1189. — excusetne ignorantia 1189. — quarum absolutio seu dispensatio concedi possit in jubilaeis 932, — jure communi ab Episcopis 1000, — a regularibus 1005 et 1006.
Irreverentia v. **Reverentia.**
Irritare. Lex irritans 82. — an simul prohibeat actionem 82. — Num ignorantia vel metus aliquando excuset 1050. 1074.
Iteratio sacramentorum debita, illicita, licita 633. 634.
Jubere v. **Mandans.**
Jubilaeum. Distinctio ab aliis indulgentiis 928. — generales regulae 929. — opera quae injungi consueverunt 930 sqq. — eorum commutatio quando saepius fieri possit 935; facienda in confessione 935. — favores annexi 932 sqq.; pro iis solis, qui volunt opera jubilaei implere 934; eorum usus nequit iterari 935.
Judex. Ejus qualitates necessariae 344. — officia 344 sqq. — si leges injustae sunt *ibid.* — tractatio causar. eccles. 1160. — in dubio quid facere debeat 345. 346. — munerum acceptatio 347. — admissio matrimonii civilis 1042. — judicis sententia sitne titulus acquirendi jura 430; num obliget ad restitutionem absente culpa 459.
Judicium temerarium quando peccatum mortale 594.
Juramentum 173. — est actus religionis 175. — quae conditiones necessariae 175. — quae verba et quae intentio necessaria 173. — simplex, promissorium, exsecratorium 173. — fictum quale peccatum 174. — metu extortum 177. — juramenti promissorii obligatio 176 sqq. — dispensatio 179. 199. — jur. promissorium rei malae quale peccatum 179. — jur. contractui additum 531. 532. — quando a quo remitti possit 532.
Jurati (judices) quid possint et debeant quoad reum 345.
Juridica culpa obligetne ad restitutionem 459. — levis quae sit *ibid.*
Jurisdictio non confertur in ipsa ordinatione 831. — ordinaria et delegata 832. 834. — delegata quando exspiret 837 *not.* — ordinariam habet S. Pontifex in totam Ecclesiam 834. — Episcopi et parochi qualem? 834. — Praelati regulares 835. — dubiâ quando uti liceat 842. 844; — probabili 842. 845. — Cf. **Regulares. Moniales. Reservati casus.**
Jus. Notio, diversae species 317. 318. 400.
Justitia. Generalis notio 316. — commutativa, distributiva, legalis, vindicativa 316. — ejus laesio quale peccatum 322. — quaenam secum ferat obligationem restitutionis 323. Cf. **Restitutio.**

L.

Labores serviles qui sint 232. — graviter illiciti diebus festivis 234. — quando causa excusans 235 sqq. — qui in se liciti 233.
Laicus. Num liceat ei deferre S. Eucharistiam 701.
Lapsus temporis num exstinguat obligationem 84. — in sponsalibus 1012. — Lapsus hominis hucusque pietati dediti 909.
Laxitas. Laxa conscientia v. **Conscientia.** — Laxa opinio 52.
Lectoratus. Ordo 949. — munus 946.
Legatarius. Legatum. Quid vocetur 584. — quomodo intelligendum 578. 579. 587.
Legere v. **Libri.**
Legislator quis sit 71. — num legibus suis teneatur 78.
Legitima pars haeredum 579. — eam laedere liceatne 580.
Legitimatio prolis illeg. 1200. 1201.
Lex. Notio et divisio 50. — quaelibet ad Deum reduci debet 71. — essentiales conditiones 50. 72. — dubia num obliget 52 sqq. — quis ferat leges in Ecclesia 71.
Libertas quo sensu intelligatur 10. — ejus exsistentia 11.
Libri. Obscoenos legere 386. — haereticos 1157. — conscribere, impri-

mere *ibid.* 297. — de rebus sacris agentes imprimere sinè licentia 1179.
Licentia qualis excuset religiosum a paupertatis laesione 218. 219.
Licitatio 561. — injustitia quae committi possit ab emptore et a venditore 561. — fictos licitatores submittere *ibid.*
Ligamen impedim. matrim. dirimens 1051. — in dubio ligamine pejor conditio contrahentis, quam in aliis impedimentis dubiis 1107.
Locatio. Ejus leges 563.
Loteria unde licita et illicita 571.
Lotio sacrorum utensilium 763.
Lucrum cessans quo sensu titulus exigendi foenoris 545.
Ludus industrialis, aleatorius, mixtus 574. — quando honestus, quando peccaminosus vel injustus 575. — a lege positiva prohibitus quid juris det victori 575. — qui clericis interdicatur 972. — severius etiam religiosis *ibid.*
Lumen. Necessitas pro Missa 760.
Lunula. Ejus forma et materia 698 (p. 340 *not. 1*).
Luxuria. Notio 378. — directe volita extra matrimonium non admittit materiae parvitatem 308. 379. — imperfecta et consummata 380 sqq. — diversae peccatorum species 389 sqq. — causae ex se influentes 380. — remedia 711. 877.

M.

Machinatio v. **Conjugicidium.**
Magia. Diversae malitiae 158.
Magister quid discipulis debeat 365. — si non impedit damnum quod discipuli causant 459.
Magnetismus qui illicitus 160. 161.
Mala fides impedit praescriptionem 425. — testatoris? 430. — in possessione rei alienae quam gignat restituendi obligationem 451 sqq.
Malum alteri optare quando peccatum 274.
Mandans 540. — principalis damnorum auctor 484. — ad quid teneatur *ibid.* — saepe incurrit excommunicationem 1157. 1159. 1160 etc. 1166. 1176.
Mandatarius ad quid obligetur 541. — qui damnum intulit 484.
Manipulus requiritur ad celebr. M. 759.
Mappa altaris. Quales et quot requirantur ad Missam 760.
Maritus. Ejus potestas in vota uxoris 192 et 193. — ejus officia 1119.
Massonica secta severâ poenâ reprobatur 1168. — occulti coryphaei denuntiandi *ibid.*
Mater. Officia erga prolem 334. 372. 481 sqq. — potestas in vota filiorum 192. Cf. **Caesarea sectio. Parentes.**
Materia et forma in sacramentis 628 sqq. — earum unio 629. — m. remota et proxima 629. — dubiâ an uti liceat 631. (Confer singula sacramenta sub suis nominibus.)
Matrimonium Christianorum sacramentum est 1019. — non distinguitur a contractu *ibid.* — materia et forma ipse consensus externus *ibid.* — legitimum, ratum, consummatum *ibid.* — consensus per procuratorem datus 1020, — conditionatus 1021. 1022. 1046. — indissolubilitas 1026. — ratum tantum quot modis dissolvatur *ibid.* — infidelium in favorem fidei dissolvi potest 1027. — mixtum v. **Mixtum.**
Medica ars quomodo clericis prohibita 967.
Medicus. Ejus obligationes 478. 479. — si nolit aegrotam curare nisi sub promissione matrimonii 1049. — monendus de baptismo in necessitate conferendo 994.
Mendacium 325. — ejus malitia 326. — quando excuset mentalis restrictio 327. Cf. **Restrictio.** — in confessione quando grave peccatum 807. 808.
Mercator v. **Vendere.**
Meritum. Quid requiratur 115. 117. — ut augeatur 118. 918. — quid possimus mereri de congruo 116, — de condigno 115. — distinctio ab impetratione 116. — non minuitur propter adjunctam impetrationis vel satisfactionis rationem 116.
Metus gravis et levis, injustus et justus etc. 22. — ejus influxus in voluntarium et liberum 23. 24. — in contractibus 520; — quos reddat irritos 521. — ut impedim. matrim. dirimens 1049; — in quo casu cesset 1050. — reverentialis sitne pro gravi habendus 22. 1049.
Miles. Militia. Eam fraudulenter evadere quale peccatum 473. 474. — milites quoad confessarium 836. — quoad banna in matrim. 1016. Cf. **Bellum.**
Minas inferenti deneganda sunt sacramenta 650.

Minister sacramentorum 635 sqq. (vide sacram. sub suis nominibus).
Minores qui sint 401. — quid possint in contractibus 515. — quoad banna matrim. 1016.
Miraculum petere quando Dei tentatio 165.
Missa est verum sacrificium 725. — in qua actione *ibid.* — fines diversi 726. 728. 729. — fructuum diversitas 727 sq. — diversus gradus participationis 729.
—— applicatio quando et quomodo fieri debeat 737. — an juberi possit 745. — pro populo quibus incumbat 739 sqq.; ubi celebrari debeat 741. — pro dante stipendio quamdiu differri possit 742.
—— assistere quando praeceptum 240. — quomodo assisti debeat 240. 241. — ubi 241. 243. — integrae Missae; quae omissio gravis 242. — causae excusantes 244 sqq.
—— celebratio quoties praescripta 738. — licita 746 sqq. — bis celebrare 749. 750. — quâ horâ 751. 752. — quo loco 754 sqq. — Missae qualitas num obliget 743. — in aliena ecclesia quae dicenda 766. — neo-presbyteris imposita 953. — minister serviens quam necessarius 772.
—— defectus occurrentes 767 sqq. 772. — per omissionem 767—769. — per additionem 770.
—— fructus specialis, generalis, specialissimus 728. 729. — generalis quibus prosit 729. — propitiatorius et satisfactorius 730. — qui excludantur a fructibus Missae totaliter 733. — qui ab Ecclesia prohibeantur 731. — an multis tantopere prosit, quantum singulis 735. — valor sitne finitus an indefinitus 734 sq. — Cf. **Stipendium.**
Mixtum matrimonium per se illicitum 1033. — conditiones sub quibus liceat *ibid.* — caerimoniae permissae 1024. — ubi validum etsi clandestinum 1081.
Moderamen inculpatae tutelae 367.
Modus contractui additus 528.
Molitor. Fraudes, quae facilius occurrere possint 556.
Monere eum, qui legem violat, quae obligatio 271. — praecipue in confessario 873—875.
Moniales. Earum directio spiritualis 911. 912. — confessarius speciali approbatione indiget 848. — conf. extraordinarius concedendus 849.
Moralis theologia. Objectum 1. 4. — collatio cum disciplinis cognatis 1. — ejus necessitas 2. 775. 871 sq.
Moralitas quid sit 1. 25 sqq. — unde pendeat in singulis actibus 26 sqq.
Moribundus postquam sacramentis munitus est, non est derelinquendus 994. — quousque liceat in absolutione procedere 913. 914. — a censuris reservatis absolvi potest 845. — aliquando cum onere 1130. — sensibus destitutus quam probabiliter vel improbabiliter absolutione juvetur 915. — ratione utens quomodo copiosius juvandus 916 sqq. — contra tentationes et pericula praemuniendus 917. — acatholicus quomodo tractandus 914. — liceatne ad eum ministrum acatholicum advocare 295.
Morosa delectatio 113 et 104[a]. — quae sint in illa distinguenda 105[a]. 113[a]. — apud viduos 112[a].
Mors. Eam sibi optare 253. — periculum subire 252. — eam sibi inferre 251. — alteri optare 274, — filiis 333, — parentibus 338.
Mortale peccatum essentialiter distinguitur a veniali 102. — quid requiratur 104, cujus rei advertentia 105 *ibid.*, eaque plena 106 *ibid.* — deliberare de pecc. mortali committendo 107. — sola mortalia velle vitare 309.
Mortuus civiliter quoad contractus 516.
Motivum v. **Causa. Intentio.**
Motus primo-primi, secundo-primi qui vocentur et quam culpam habere possint 21. — pravorum causam ponere 379. — in iis negative se habere 20.
Mulier. Cohabitatio cum mul. quae clericis prohibeatur 974.
Munera accipi a judice 347. — ab apparitore 361. — pro re spirituali 168 sqq. — pro examine ecclesiastico 172. — deferri ad amasiam 299.
Mustum materia consecrationis non semper licita 692.
Mutilatio sui ipsius 251. — irregularitas 1197. 1206. — M. alterius v. **Homicidium.**
Mutuum. Ejus objectum et natura 543; cf. **Foenus, Usura.**
Mysteria necessario credenda 125.

N.

Nativitas. Festum D. N., in ea ter celebrare licet 747, idque pro stipendio 749. — in ejus vigilia jejunium gaudiosum 614.

Navigantes quoad confessionem seu absolutionem 839.
Necessitas diversi generis et gradûs 262. — in quâ succurrere debeamus proximo 263. 266. 267. — quae excuset a furto rei alienae ablationem 437. 438. — Necessaria pro proprio statu 265.
—— in necessitate quae sacramenta ministrari debeant 646. — a quibus 644. 645. — quae confessio sufficiat 785. 815. 915. — n. medii et solius praecepti 124. 626.
Negatio fidei 130. — specialis statûs in christianismo *ibid.* — criminis ex parte rei 352.
Negativa cooperatio quando ad restitutionem obliget 489. 493.
Negotiatio clericis prohibita 965 sqq. sub speciali poenâ missionariis 1178.
Negotiorum gestio. Notio 542. — possitne restitutio per virum intermedium sic considerari 504.
Neo-conversi. Eorum confessio integra 811.
Neophyti. Quamdiu irregulares 1203.
Notarius. Ejus officia 360. — in testamentis 583. — in contractibus 360.
Novitiatus. Novitius. Qualis novtus ad professionem religiosum praerequiratur 205. — novii admissio 206. — confessio et absolutio 847. — sacrorum ordinum susceptio 956.
Numerica distinctio peccatorum 109—112.
Nundinae quomodo diebus Dom. et fest. prohibitae 230.
Nuntius. Salarium, si plura negotia una vice perficit 514. — cooperans peccaturo 295. 299.

O.

Obedientia. Notio virtutis 332. — quae debeatur parentibus 337. 338. — hero a famulo 364. — magistro a discipulo 366. — auctoritati civili 341. — quomodo laedatur ob. in quolibet peccato 101. — votum in ordine religioso solemne et simplex 225. — quibus titulis obed. religiosa obliget 226. — quae sub eam cadant 225. — quando graviter laedatur 227.
Objectum fons moralitatis 26. — legis v. **Lex** et ita similia.
Obligatio legis quotuplex distinguatur 79. — quando finiatur 85 sqq. — dubia 58.
Oblivio. Peccata oblivione non accusata 812. 813.
Observantia qualis virtus 331. — vana quale peccatum 158.
Obstetrix instruenda de collatione baptismi 994. — num semper fidem mereatur 634.
Occasio peccandi 895. — quae distinguatur 895. — proxima, si libera est, relinqui debet, necessaria in remotam converti 896. — non idem plane de occasione venialiter peccandi 897. — occasionarii quomodo in confessione tractandi 900. 903. — Occasionem peccandi alteri ex consulto non auferre 285. — eam alteri apponere 285. — occas. damni ponere quam secum ferat restituendi obligationem 469.
Occisio aggressoris 367. — si actu nondum est aggressor 353. — si inferiora bona invadit 367. — innocentis directa occisio nunquam licita 370. — indirecta quando 370. — rei in poenam 368. 369. — banniti 369.
Occupatio, acquirendi modus 412 sqq. Cf. **Animalia, Inventio, Thesaurus.**
Odiosa restringenda 67.
Odium. Notio et malitia 272. 273. — abominationis et inimicitiae 272. — contra Deum 150. — parentum in filios 333. — filiorum in parentes 388. — in od. religionis legem laedere 85. — Cf. **Inimicitia.**
Officium divinum. Qui obligentur 977. 986. — ad quid sit obligatio 978. — legitima forma 976. — in dubio de facta recitatione 979. — restitutio propter neglectum officium 987 sqq. 995. 997. — quis ordo servandus 979. 981. — mutare officium liceatne 976. 979. — recitatio qualis requiratur 980 sqq. — attentio necessaria 982. — causae a recitatione excusantes 984. 985.
Onanismus 1103. 1118. — quid liceat mulieri agere 1118.
Operarii quoad compensationem occultam 440. — fraudes a quibus praecipue cavere debeant 556. — cooperatio in exstruendis aedibus ad prav. finem 296.
Opinio quae a confessario eligenda 70. — probabiles contrariae num adhiberi possint 69. Cf. **Probabilitas.**
Opus bonum debeatne omitti propter alienum scandalum 284. — praeceptum *ibid.* — servile v. **Labores.**
Orare. Oratio. Quid sit 153. — conditiones necessariae 153. — necessitas 153. 155. — efficacia 153. — quid orare debeamus 154. — diu non orare speciale peccatum 155.

Oratorium in quo satisfieri possit praecepto aud. Missae 243. — domesticum Episcopis conceditur 1004. — regularibus 1007. — homini privato sensu longe restrictiore 243.
Ordo in juvando proximo servandus 263. 264. — in correctione fraterna 269.
—— in restitutione vel solutione debitorum 495 sqq. 501 sqq.
—— sacramentum. Sitne *unum* sacramentum 944. — minores ordines non sunt sacramentum 944. — certo sunt diaconatus, presbyt., Episcopatus *ibid.* — potestas quae confertur 946—948. — ritus ordinationis essentiales 949 sqq. — in ord. minoribus et subdiaconatu facilius sufficit servasse probabilem opinionem 949. — dubia in presbyteratu 952. — defectus graves accidentales 953. — preces ab ordinante injunctae qualiter obligent 953. — ordinum administer 955 sqq. — subjectum ejusq. requisita 958 sqq.
Organa pulsare in templo acatholico 295.
Origo. Titulus ordinationis 956. 960.
Ornatus lascivus 288. 299.
Ostiariatus. Ordo 949. — munus 946.

P.

Palla quo sensu necessaria in Missa 758.
Palpo ut cooperans in damno 490.
Paramenta sacra ex qua materia conficienda 758. 759. — color 759. 766. benedictio a quo 762. — immunda vel lacera non adhibenda 761. — exsecrata 762.
Paraphernalia bona 404.
Parcimonialia bona clerici 407.
Parentes quid debeant filiis 333. — quomodo contra sua officia peccent 333 sqq. — quoad damna a filiis illata 459.
Parochus possitne dispensare in legibus eccles. 88. — num et quando ad examen jurisdictionis revocari possit 836. — ejus officia 992 sqq. — proprius pro matrimonio contrahendo 1077. 1078. — quomodo assistere matrimonio debeat 1079.
Participans in re aliena 492. — in damno inferendo *ibid.*
Particulae consecrandae num afferri possint incepto canone 695. — recentes esse debent 698 (p. 341 *not.* 1 et 2).
Paschale tempus, praeceptum Comm. 608.
Paterna potestas 337. 401.
Paternitas dubia inducatne obligationem restitutionis 483.
Patrimonialia bona clerici 407.
Patrinus baptismi. Necessitas et conditiones 670. — ejus officia 671. — — quinam excludantur ab officio patrini 671. — num in baptismo haereticorum liceat patrinum agere 671. — P. confirmationis 683. Cf. **Cognatio.**
Pauperes. Obligatio eis succurrendi 263. 266. 267. — quando in eos restitutio fieri possit 498. — possintne in solutione aliis creditoribus praeferri 502.
Paupertas religiosa solemnis et simplex 217. — peccata contra eam 220. 221. — quae licentia excuset 218. 219.
Peccator publicus et occultus 647. — priori deneganda sunt sacramenta 648, quamdiu 649 — occulto sacramenta quando non deneganda 648.
Peccatum. Notio et divisio 100. — malitiae generales 101. — quid ad illud contrahendum requiratur 103. — distinctio venialis et mortalis 102—107. — mortalia sunt materia necessaria sacram. poenit. 784. — quae materia libera? 785. — dubia pecc. quo sensu materia necessaria vel libera 809 sqq. — oblivione aliâve ex causa omissa 812. 813.
Peculatus sitne species furti diversa 432.
Pecunia ex se sterilis 544. 548. — maneatne in quibuslibet circumstantiis omnino sterilis 548. 549. — Cf. **Mutuum. Foenus.**
Percussio clerici excommunicatione late patente punitur 1127. 1133. 1166. — Episcopi vel Cardinalis 1159. 1213.
Peregrini quibus legibus teneantur 77. — quibus frui possint dispensationibus *ibid.* — a quo possint absolvi 839. — quoad matrimonium 1078—1080.
Perfectio. Obligatio religiosi ad eam tendendi 216. Cf. **Status.**
Periculum quale excuset ab integritate confessionis 815. — p° peccandi se exponere 106ª. 896. — mortis v. **Moribundus, Mors.** — sortis quo sensu permittat foenus 545. — in venditione quis subeat 553.
Perplexitas. Quid in ea faciendum 39.
Petitio dispensationis matrim. 1090 sqq. — quid exponi debeat 1092.
Pharmacopola a quibus peccatis praecipue cavere debeat 556.
Pia causa. Dispositiones testamentariae in ejus favorem sustinendae contra leges civiles 578. 581.

Pietas qualis virtus 330 — quando laedatur *ibid.* 333. 336. 339.
Pignus quid sit 566. — num et quando a creditore vendi possit *ibid.*
Pii poenitentes quomodo dirigendi 908. — quibus praemuniendi 909. — si misere lapsi fuerint 909. — si extraordinaria Dei dona prae se ferunt vel praetendunt 910.
Pingere sitne opus servile 233. — res lascivas pingere, quale peccatum 298.
Piscatio et jus ex ea 415.
Plantatio in fundo alieno 424.
Poena conventionalis an licita in mutuo dato 545. — in sponsalibus 1011. — p. a confessario imponenda v. **Satisfactio.**
Poenitentia qualis virtus 776. — ejus necessitas 776. 792. — sacramentum a Ch. institutum 777 sqq. — necessario suscipiendum 780. — materia necessaria quae sit quo sensu 784. — sufficiens 785. — insufficiens 786. — materia proxima 781 sqq. 786. — forma 788. — in praesentia poenitentis pronuntianda 789. — conditionata non repugnat 790. — quando sic proferri debeat 790.
Poenitentiaria. S. Ejus potestas dispensandi 856. 1086. 1091.
Pollutio voluntaria peccatum mortale 390. — involuntaria unde possit evadere peccaminosa 392. — ejus causam ponere 391. — in feminis etiam ut talis accusanda 390. — in conjugibus gravius peccatum quam in solutis 1105.
—— ecclesiae quibus peccatis fiat 755.
Polygamia jam nullibi legitima 1025.
Pontifex S. Ejus suprema potestas in Ecclesia 71. 834. — civili potestati non subjacet 77, — neque censuris eccles. 1127. Cf. **Dispensatio. Votum** etc.
Populus. Obligatio erga Principes 341. — concurrendi ad gubernandum 342.
Possessio. Possessor in dubio praeferri in juribus debet 63. — bonae fidei in causa restitutionis 446 sqq. — malae fidei 451 sqq. — dubiae fidei 455 sqq.
Praeco in licitatione a qua fraude cavere debeat 561.
Praedicare verbum divinum quomodo obligentur Episcopi 991 — parochi 993. — quid liceat regularibus 1007. 1128.
Praelati regulares in quibus dispensent 88. 1005.
Praemium annuum in assecuratione unde pendeat quoad justitiam 569.
—— legale num justam reddat usuram 546.
—— apud Deum v. **Meritum.**
Praescriptio modus acquirendi legalis 425. — conditiones necessariae 425 sqq. — ordinaria et extraordinaria *ibid.* — prem dormire, non procedere, interrumpi 429. — liberativa 428.
Praesumptio quale peccatum et quot modis committatur 142.
—— juris. In dubio secundum eam judicandum 65.
Praesumptum voluntarium 9.
Precarium quomodo differat a commodato 536.
Preces ante et post Missam num obligatoriae 765. — fundendae pro indulgentiis 927, indultum pro surdomutis *ibid.* — matutinae et vespertinae 155.
Presbyteratus. Materia et forma 951. — dubia collatio 952.
Pretium legale quomodo servandum 557. — vulgare quam habeat latitudinem 558. — si injuste deprimitur vel augetur 558. 559. — conventionale num ubique permitti possit 560.
Princeps saecularis. Ejus officia specialia 340. — solis Papalibus censuris subjacet 1127.
Privilegium. Notio et divisio 97. — interpretatio 98, lata et stricta *ibid.* — cessatio 99. — usus sitne praeceptus 99. — privia clericorum 998. — Episcoporum 999 sqq. — religiosorum 1005 sqq.
Probabilismus. Probabiliorismus. Notio 52. 55. 56. — patiaturne exceptiones 56. — probabilismi veritas internis argumentis probatur 58. 59. ex auctoritate Ecclesiae 57. — ab objectionibus vindicatur 60—62. — subsidiariae regulae 63—67. — monita practica 68. Cf. **Opinio.**
Probabilitas juris et facti 54. — speculativa et practica 54. — interna et externa *ibid.*
Profectitia bona filiorum 401.
Professio fidei 132. 133.
—— religiosa *tacita* pro viris abrogata 208. — votorum simplicium 207.
Promissio quando et ad quid valeat 533.
Promulgatio legis quae necessaria 50. 58. 72.
Pronuntiari quomodo debeant verba consecrationis in Missa 771. — generatim forma sacramentorum *ibid.* — officium divinum 980.

Propositum non peccandi necessarium ad justificationem 798. 799. — quale debeat esse 799. — ejus universalitas 796. 798.
Proprietas v. **Dominium.**
Proprius Episcopus quoad ordinationem 956. 957.
Proxeneta quis vocetur et quae sint obligationes et jura 562.
Proximus diligendus actu interno 258. quo ordine 260. — quando speciali actu 259. — actu externo adjuvandus 261 sqq. v. **Eleemosyna. Necessitas.**
Prudentia. Virtus, actus, contraria vitia 303. — confessarii 872.
Pubertas v. **Impuberes.**
Pueri quomodo tractandi in confessione 890. — quando ad confessionem admittendi 607. — ad primam S. Communionem 711. — quoad lucrandas indulgentias quae commutatio danda 935.
Purificatorium quâ lege necessarium in Missa 758.

R.

Rapina 432.
Raptus impedim. matrim. dirimens 1075. — excommunicatio 1179.
Ratum habentes quando mandanti aequiparentur 1159.
Realis praesentia Ch. in Ss. Eucharistia 687. — quamdiu 688.
Rebellare non licet 341.
Recens peccatum accusare ut antiquum, qualis malitia 807.
Receptans restitutioni obnoxius 491.
Recidivus sensu theologico 901. 902. — quam probationem afferre debeat, ut possit absolvi 902—904.
Recitare v. **Pronuntiare.**
Reconciliatio v. **Venia.**
Recordari. Num confessarius recordari debeat peccatorum in absolutione 861.
Recursus. Rum praebens furibus 491. — R. habere pro compensatione ad causam damni primariam 497. — ad potestatem laicam in rebus eccles. punitur censurâ 1160.
Regulares quoad jurisdictionem 846. — privilegia fere communia 1005 sqq. — facultates erga suos 1005. — erga saeculares 1006. Cf. **Praelatus. Religio.**
Relapsus quomodo praecaveri debeat 876. Cf. **Recidivus.**
Relatio mercatoria. Pericula peccandi 570.
Religio. Virtus a theologicis distincta 151.
—— status perfectionis. Religiosus 201 sqq. — ejus obligationes 216 sqq. — oblig. tendendi ad perfectionem 216. — vocatio (v. hoc verbum) 209. — ingressus in religionem an a solutione debitorum liberet 213. 509. — religiosus ejectus perpetuo suspensus est 1183; an excusetur a recitando officio divino 986.
Reliquiae colendae quomodo 156. — earum furtum ex catacumbis Rom. 1172.
Remedia dubia possintne a medico adhiberi 478.
—— contra peccata 876. 877. 907.
Repetere sacramenta 633. 634. — ex scrupulo 633.
Requies festiva qualis praecepta sit 229 sqq.
Reservatio casuum afficiatne poenitentem an confessarium 840. — necessariae conditiones 850. — quis possit reservare 851. — quis absolvere 853 sqq. 857a. — impeditos 855. 856: eos nunc S. Off. vult recurrere per literas 857a. — in jubilaeo 932. 934. — abs. indirecta 855. — in articulo mortis 854. — R. apud regulares 858. 859. Cf. **Censura.**
Residentia. Obligatio Episcoporum 989 — paroch. 992 — canonic. 995.
Resignatio beneficiorum quae simoniae reatum habeat 170. 171.
Resistentia quae reo liceat 354. — contra tentationes 20. 21. 905 sqq.
Restitutio qualis sit necessaria 441. — causae restit. 443 sqq. — modus faciendae 504. — propter neglectum breviarium 987 sqq. — propter neglectam residentiam 989. 992. 995.
—— in integrum quid operetur contra praescriptionem 429.
Restrictio mentalis quae quando licita 327—329. — cum ea jurare 328.
Retractatio impediatne obligationem restitutionis 463. — in mandante 485. — in consulente 487. 489. — impediatne censuram 1124. — qualis fieri debeat a diffamatore 598 sqq.
Reus. Quid ei liceat ad sui defensionem 352 sqq.
Revalidatio matrimonii ordinaria 1096. 1097. — per sanationem in radice 1098.
Revelatio divina cognosci debet ante fidem ut certa 121.
—— impedimentorum matrim. quos obliget 1018. — qui excusentur *ibid.*

Reverentia parentibus debita 338. — quae laesio gravis *ibid.* — famulorum erga herum 364. — subditorum erga Principem 341.
Reviviscentia sacramentorum 655. — in quibus locum habeat 627. 655.
Rituale. Ritus. Conforme esse debet R. Rom. 639. — S. R. Congris decreta quomodo obligent 764. — Ritus in celebratione Missae 767 sqq. (Cf. singula sacramenta sub suis nominibus.)
Rubricae. Obligatio diversa 764 sqq. — quae causa ab eis observandis excuset 772.
Rudis poenitens quomodo tractandus 787. 891. 892.

S.

Sacellum privatum 755. Cf. **Oratorium.**
Sacramentalia 623. — ea in statu peccati exercere 642.
Sacramentum quid sit 622. — quid efficiat *ibid.* — numerus 624. — distinctio 625. 626. 627. — ministratio 635 sqq. — quo ritû 639. — qua voluntate 637. — in statu gratiae facienda 640 sqq. — ministrandi obligatio 644 sqq. — obl. denegandi 647 sqq.
—— susceptio ut sit valida 652. 653. — intentio requisita 653. — fructuosa quam requirat dispositionem 654. — indigna quale peccatum 654. — infructuosa inculpabilis 655. — informis 655.
Sacrilegium. Notio 166. — mortale ex genere suo non toto 167. — reale, locale, personale 167. — in celebranda Missa quotuplex malitia 643. — in furto quando adsit 167. 432. — in luxuria 399.
Sanatio matrimonii in radice 1098.
Satisfactio sacramentalis. Obligatio imponendi 825 sqq. — etiam in jubilaeo 934. — excusatio a proportionata satisfactione 827. — obligatio acceptandi 827. — implendi 828. — si poenitens non recordetur 829. — potestas petendi commutationem 829. — elargiendi commutationem 829. — catalogus poenitentiarum 830.
Scandalum 279. — ejus malitia 280. — num semper gravis 282. — directum in confessione speciatim indicari debet 280. — causae ob quas scandalum passivum sine peccato activi scandali adsit 283. 284. — scand. passivum pharisaicum debeatne evitari 284. — scand. distingui debet a sola admiratione 282. — scand. parentum in filios *speciale* peccatum 335. — eorum qui curam spirit. aliorum habent 363.
Schisma. Schismatici quomodo a participatione fructuum Missae excludantur 731. 732. — Excommunicatio 1158.
Scholae. Filios mittere in scholas acatholicas 335.
Scientia confessario necessaria 871. — relativa ad poenitentes 872. — in dubio de sufficienti doctrina cui fidere possit 872. — examen de sufficienti scientia 833. 836. — pro ordinando 959.
Scriptor v. **Dominium, Libri.**
Scrupulus. Conscientia scrup. quot modis dicatur 40. — origo naturalis et diabolica 41. — signa 42. 44. — regulae et remedia 45 sqq. — reg. generales pro confessario 46. — pro scrupuloso ipso 47.
Secretum quotuplex distinguatur 602. — causae illud violandi 603. — sacramentale 604. Cf. **Sigillum** sacramentale.
Secundaria causa damni quando immunis evadat a restitutione 497.
Senes quoad jejunium 615. — quoad matrimonium 1059.
Sensualitas in cibo et potu v. **Gula** — in re lubrica 378.
Sententia judicis. Falsa *per se* non obligat 344. 354, potest obligare *per accidens* 354. — ob culpam juridicam recte fertur 459. — condemnatoria et declaratoria quae sit et quid efficiat in infamia 1211.
Sepultura ecclesiastica quibus deneganda 1149. 1155, quibus non 1156. — quae locum sacrum polluat 755. 1136 — notorio haeretico vel schismatico, vel nominatim excommunicato concessa cui poenae subjaceat 1176. 1187.
Sequestrum species depositi 539. — imponere in bona eccles. 1163. 1174.
Sermones turpes miscere 282. 383. — audire 384.
Servitus hominum num repugnet juri naturali 321. — rerum quotuplex 400. — quomodo exstinguatur 428.
Sigillum altaris si laeditur, altare exsecratum est 757.
—— sacramentale seu confessionis ex quâ lege obliget 878.

— num admittat parvitatem materiae 878. — ejus periculum a lege integre confitendi eximit 815. — laesio directa et indirecta 884. — exempla 885. — ex confessione sacramentali late sumpta oritur 879. — ejus objectum 880. 881. — qui ad sigillum teneantur 882. 883. — solus poenitens liberrime consentiens sigillum solvere potest 887.

Signa dispositionis vel indispositionis poenitentium 863 sqq.

Simonia 168. — exempla simoniae commissae 168. 171, et non commissae 169. 171. — confidentialis 170. — realis 170. — poenae 172. 1170.

Simulatio v. **Fictio.**

Societas. Soc^{tis} contractus 544.

Socius debeatne adhiberi in recitando breviario 986. — S. itineris a quo religiosus absolvi possit 846.

Sodomia 393. — perfecta et imperfecta *ibid.* — cautio in interrogationibus *ibid.* — ne confundatur cum leviori conjugum peccato 1103.

Solemnitas voti v. **Votum.**

Solemnizare matrimonium *quando* non liceat 1034. — quibus sub qua poena prohibeatur 1185.

Solidum. Restitutio in solidum quando debeatur 496.

Sollicitatio ex parte confessarii denuntiari debet 1177. — falsa denuntiatio crimen est specialiter reservatum 1177 *not.*

Solutio incerta num exstinguat obligationem 64. 457.

Specifica distinctio peccatorum. Generales regulae 108. — peccatorum internorum 113 sqq.

Specificatio rerum. Notio et jura 423.

Spectacula exhibere, frequentare, adjuvare unde peccaminosum 288. 298. 386. — num clericis liceat 970.

Spes. Definitio 137. — conditiones 139. — objecta 138. — motivum 139. — necessitas et praeceptum actûs spei 140. — quomodo ante justificationem et absolutionem 654. 797.

Spiritismus. Ejus malitia 161.

Spiritualia cum temporalibus commutare simonia 168. — spirit. bonis sese privare ad juvandum proximum num liceat 254.

Sponsalia. Quid requiratur 1009. — ad quid obligent 1011. — quando ipso facto nulla 1012. — quando ipso facto rescindantur *ibid.* — ex una parte rescindibilia 1010. 1013. — impedim. imped. alius matrimonii 1035. — inducunt impedim. dirim. publicae honestatis 1071.

Sponsio. Leges et regulae sponsionis, ut injustitia absit 572. — circa alienum peccatum modo licita, modo illicita 573. — a lege positiva quaedam sponsiones prohiberi et irritae fieri possunt 573.

Spurius ab haereditate paterna excluditur 581. De cetero cf. **Illegitimi.**

Status. Electio statûs quae fieri debeat 256.

—— perfectionis in genere qui sit 201.

—— religiosus quo sensu divinae institutionis 202. — num necessaria sint vota solemnia 203. 208. — vocatio ad eam 209. — obstacula 212—215. — meritum 228. — obligationes assumptae 216 sqq.

Stipendium Missae quod accipi, quod exigi possit 742. — ad quid quâ gravitate obliget 742. 743. — aliquid detrahere a stipendio 744. — mercimonium cum iis facere *ibid.* 1170. — differre Missam ex stipendio celebrandam 742. — pro secunda Missa in binatione generatim prohibetur 750.

Stola necessaria pro Missa 759. — in admin. Sacramentis 639.

Stuprum sensu civili et theologico 396. — violentum *ibid.*

Suadere peccatum liceatne unquam 286. — minus grave prae graviore 286. — minus malum prae majore 487.

Subdiaconatus. Materia et forma 950. — munus 947.

Subditi. Eorum obligatio 341.

Subjectio populi quae sit debita 341.

Sublocatio permittaturne in locatione 563.

Substitutio haeredis quotuplex distinguatur 584.

Successio haereditaria 576 sqq.

Suffragantes v. **Comitia.**

Superior v. **Dispensatio, Obedientia, Praelatus.**

Superstitio 157. — quibus signis dignoscatur 160. — distinctio cultûs falsi et superflui 157. — varia genera num per se *moraliter* distinguantur 158. — ex quâ ratione veniale peccatum possit evadere *ibid.* — ex se peccatum gravissimum *ibid.*

Supplere Ecclesiam, quid sit 841. — quando locum habeat 843.

Supplices literae. Quid in iis observandum 1090 sqq.

Surdi-muti quomodo tractandi quoad confessionem 815. 894.
Suspectum esse de haeresi 350. 1139. — debeatne denuntiari 351.
Suspensio censura eccles. 1140. — quando non sit censura 1142. — divisio 1141. — ejus laesio quale peccatum 1144. — ab informata conscientia 1141. — catalogus susp^{um} latae sententiae 1180 sqq.
Suspicio temeraria possitne evadere mortalis 595.
Sustentatio honesta pro clericis quae reputetur 405. 408.

T.

Taberna. Eas frequentare, quale peccatum sit clericis 971.
Tabernaculum quale debeat esse et quomodo ornatum 698.
Tabularum rotatio genus superstitionis 161.
Tacitum voluntarium 9.
Tactus luxuriosus 387. — etiam incestûs etc. malitiam induere potest 398. — eum permittere quale peccatum 388. — cum bestia sitne bestialitas 394.
Tangi sacra vasa a laico 763. — Ss. Eucharistiam in statu peccati 642.
Telephonium. Valeatne ope tel. absolutio sacramentalis 789. — a censuris 1129.
Temerarium. Temeritas. In subeundis periculis 165. 253. — in judicio de aliis 594, vel suspicione 595.
Temperantia. Notio, partes, contraria vitia 305.
Templum acatholicorum adire 295. — aedificare 296. — pecuniam ad hoc conferre *ibid.*
Tempus pro ordinatione ex jure communi 962. — ex privilegio *ibid.* — clausum pro solemnizatione matrimonii 1034.
Tentatio quid sit 905. — quomodo resistendum 20. 907. — homo tentatus quomodo tractandus a confessario 906. — quibus remediis armandus 876. 907.
—— Tentatio Dei in quo consistat 165.
Testamentum quid sit 577. — diversae formae 583. — informe 578. — delatio et acceptatio 582. — sub beneficio inventarii *ibid.* — test^{um} repudiare num excludat ab omni haereditate *ibid.* — test^{i} destitutio, ruptio, revocatio, irritatio 585. — ejus dispositiones ad pias causas num legi civili subjiciantur 578. — quomodo exsecutioni dandae 586.587.
Testis in judicio contra reum — ejus obligationes 356. 357. — qui verum non est fassus 356. — qui dixit falsum 357.
—— in matrimonio quot et qualiter necessarii sint 1077.
—— in testamento 583.
Theatrum v. **Spectacula.**
Theologia moralis v. **Moralis theol.**
Thesaurus quid sit 416. — cui sit 416. 417.
Theses damnatae v. **Damnatae theses.**
Titulus in ordinatione 956 sqq. — mensae 960. — in praescriptione 425. — coloratus *ibid.* et 843. — ex qua jurisdictio suppleatur 843.
Toleratus in censuris quis sit 1132. — quid ei concedatur *ibid.*
Tonsura 964.
Transactio quid sit et efficiat 508.
Transsubstantiatio in Ss. Eucharistia 687.
Tributa. Eorum defraudatio quale peccatum 470—472.
Trinitas Ss. Invocatio distincta personarum in forma baptismi necessaria 665. — an etiam in confirmatione 680. — Ss. Tr. mysterii fides explicita sitne necessaria necessitate medii ad salutem 125.
Trinus contractus 544.
Tristitia de bono quale peccatum 109^{a}. — quando mortale *ibid.* — de bono proximi 273. — de bonis spiritualibus 309.
Turpia cogitare, loqui, facere 382 sqq. Cf. **Luxuria.**
Tutior pars sequenda quando 67.
Tutiorismus 52. — ab Ecclesia reprobatus *ibid.*

U.

Ultima voluntas quid vocetur 577.
Unctio extrema sacramentum vivorum 936. — sed per accidens sacram. mortuorum 937. — fideli sensibus destituto maxime necessaria, imo forte christiano acatholico salutaris 937. — materia et forma 938. — quot et quorum sensuum unctiones necessariae 938. 940. — modus in summa necessitate abbreviatus 940. — quale mortis periculum ad eam requiratur 941. — quae necessaria dispositio 942. — obligatio administrandi saepe gra-

vior, quam suscipiendi 943. — prohibetur extra casum necessitatis administratio sine parochi licentia 941, idque maxime religiosis 1172.
Usura. Ejus notio et malitia 543. — Cf. **Foenus.**
Usurpatio jurisdictionis illicita est 844. — bonorum ecclesiastic. diversâ excomm. punitur 1163. 1174.
Usus. Ususfructus. Quid sit et quid juris concedat 400.
Uxor. Ejus bona et jura 404 sqq. — Occulte sibi quaedam assumens 405. — quoad contractus 516. — denegans debitum conjugale quomodo peccet 1114. — se ipsam excitans 1105. 1118. — agendi ratio cum marito onanista 1118. — in quibus paris conditionis sit ac maritus, in quibus ei subjecta 1119. — quoad votorum irritationem 192 et 193.

V.

Vacantia bona 420.
Vagi 77. — quibus legibus teneantur 77. — privilegiis et dispensationibus quibus fruantur *ibid.* — a quo possint absolvi 839. — eorum matrimonium 1080. — banna 1016.
Vana gloria 306. — ex vana gloria opera facere corrumpatne totam actionem 29.
Vasa sacra. Materia ex quâ conficienda 758. 698. — exsecratio 762. — honor et cultus debitus 156. 167. — quibus ea tangere vel lavare liceat 763.
Vectigalia. Sintne leges circa ea mere poenales 472. — eorum defraudatio peccaminosa 472.
Venatio lege prohibita quo sensu 414. contra justitiam 415. — quae clericis prohibita 969.
Venditio 552. — quas secum ferat obligationes 554. — rei alienae quid efficiat 449. 450. — iis qui re abusuri esse praevidentur 300.
Venerea delectatio. Eam deliberate quaerere vel admittere peccatum mortale 379.
Veniae petitio quando necessaria 275 *not.* 601. — veniam dare 275. — non necessario includit remissionem juris laesi 275.
Veniale peccatum. Distinctio a mortali 102. 103. — quid sufficiat *ibid.* — an obligationem restitutionis pariat 460. 461.
Veracitas 325.
Vestis. Clericalis v. quae sit obligatio 964. — Vestes lascivas conficere liceatne 299.
Vetitum Ecclesiae ut impedim. matr. impediens 1031. 1032.
Vicarius generalis, qua polleat facultate 834. 1077. 1127.
—— **capitularis** 995. — ejus intrusio 1164.
Vidua. Viduus. Quoad cogitationes periculosas 112a.
Virginitas. Ejus votum a voto castitatis distinctum 1036. — impedimentum matr. imped. 1037.
Virtualiter voluntarium 9.
Virtus. Notio generalis et divisio 119. 120. — moralis et theologica 302. — naturalis et supernaturalis 120. 302.
Visitatio aegrotorum parocho summopere incumbit 994.
—— **dioecesis** ab Episcopo facienda 990. — **liminum Apost.** 991.
—— **ecclesiae** pro indulgentiis lucrandis 926. 930
Vitam propriam servare obligatio est 249. — eam periculo exponere quando liceat 252. 253. — abbreviare quomodo 250.
Vitandi (in censuris eccles.) qui sint 1133. — si se ingerunt in liturgiam 1135. — quoad sepulturam 1136. — qui cum iis communicant 1137. 1173. 1187. — possintne ab iis suscipi sacramenta in articulo mortis 656. 1134. — *debeantne* ipsi aliquando sacramenta ministrare *ibid.* — celebrare? 773.
Vitia moralia manifestare v. **Diffamatio.** — Quoad aliquam civitatem vel gentem de vitiis loqui 590, sitne sigilli sacramentalis laesio 885.
—— rerum venalium quomodo declarari debeant 555.
Vocatio ad statum perfectionis. Eam non sequi 210. — sine ea st. perf. assumere 211. — ad statum religiosum quibus signis dignoscatur 209. — ad statum clericalem saecularem 963.
Voluntarium. Definitio 7. — distinctio multiplex 8. 9.
Votum. **Notio et distinctio.** Quid sit et quid requiratur 180. — fictum 181. — ex metu factum 182. — error in voto 182. — conditionatum ad quid obliget 183. 190. — disjunctivum 190. — poenale 183. 190. — de re inutili 185. — non peccandi quomodo obliget 186. — parentum num obliget filios 184. 186. — privatum et solemne 203.

Votum. Materia et obligatio quae gravis 187. 188. — quando coalescat 188.
—— solutio: per commutationem 197. — possitne ipse vovens 197. — in jubilaeis quae concedi soleat 933; quae causa alias requiratur 197. — per dispensationem 194, quae causa necessaria 195. 196. — in votis reservatis 198. 199. — per irritationem: duplicis generis 192. 193; haec ex parte latius patet quam dispensatio 193; quae valida sit sine causâ 193.

Votum ut impedimentum matrim. Quae vota impedim. imped. 1036 sqq. votum solemne sive religionis sive ordinis sacri impedim. dirimens 1060. — an votum simplex? *ibid.* — attentatio matrimonii contra votum solemne castitatis 1175.

Vox quomodo moderari debeat in Missa et quod sit peccatum altius vel submissius pronuntiare 771.

Z.

Zelus animarum quo ardere debeat confessarius 870.

A. M. D. G.

Addenda.

Ad n. 911 adde haec, quibus magis declaratur, quid discriminis sit inter munus Confessarii et munus Superiorissae vel etiam Superioris in ordine laicorum:

Decretum S. C. Episcoporum et Regularium
de aperitione conscientiae Superioribus haud exigenda, deque juribus confessarii quoad moniales et instituta virorum laicorum.

„Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint: ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur: imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

„Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent: e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut sacramentalis confessio in hujusmodi Communitatibus fieret respectivis confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut hujusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum, et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae jam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interjectae evidentissime comprobant.

„Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII., pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congrega-

tionis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decima quarta Decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

„I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam ajunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis, ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

„II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cujuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad hujusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant: et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

„III. Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

„IV. Praeterea, firmo remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in *Sess. 25, Cap. 10 de Regul.*, et a *S. M. Benedicti XIV.* statuitur in Constitutione quae incipit „Pastoralis curae“: Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.

„V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, eadem Sanctitas Sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae Sacramentum denuo accesserit.

„VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties

ob fervorem et spiritualem alicujus profectum confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi Communiones, eas confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit.

„VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque hujus Decreti dispositiones observent, sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

„VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque domo, sive in publica mensa, sive in capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

„Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

„Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17. Decembris 1890.

I. Card. Verga, Praefectus.

Fr. Aloysius Episc. Callinicen., Secret.“

Ad n. 1061 nota: S. Officium d. 18. Sept. 1890 Rmo Archiep. Monacensi et Fris. haec decreta communicavit:

„1. Proposito dubio: An Calvinistae et Lutherani, quorum baptismum dubium et suspectum est infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? — Fer. IV. d. 17. Nov. 1830 resp.: Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, examinari debet casus particularis; quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum esse baptisma [i. e. in ordine ad valorem matrimonii mixti, non quod in casu conversionis jam excludatur semper conditionata baptismi repetitio. N. Ed.]. Quodsi dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii; si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

„2. Proposito dubio, utrum, si dubium de valore baptismi remaneat, et non visum sit opportunum solvere dubium de his, qui sic dubie baptizati sunt, in rebus, quae ad matrimonium spectant, habendi sint ac si vere et valide baptizati fuerint? — Fer. IV. d. 9. Sept. 1868 resp.: Censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.“

Sumptibus ac typis **B. HERDER**, Typographi editoris pontificii, **FRIBURGI BRISGOVIAE**, prodiit:

THEOLOGIA MORALIS

AUCTORE

AUGUSTINO LEHMKUHL S. J.

EDITIO SEXTA AB AUCTORE RECOGNITA.

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.

2 tomi in 8°. (XXXVI et 1684 p.) Pretium: *M.* 16 = *Fr.* 20; dorsum corio religatum *M.* 20 = *Fr.* 25.

Volumen I. Continens theologiam moralem generalem et ex speciali theologia morali tractatus de virtutibus et officiis vitae christianae. 8°. (XIX et 816 p.)

Volumen II. Continens theologiae moralis specialis partem secundam seu tractatus de subsidiis vitae christianae cum duplici appendice. 8°. (XVI et 868 p.)

Ut huic operi etiam ad scholas facilior pateat aditus, hujus novae editionis pretium deminutum est.

„La méthode de l'auteur est de tout point excellente pour un manuel à l'usage du clergé engagé dans le saint ministère. Le P. Lehmkuhl a su éviter les deux extrêmes dans lesquels sont tombés presque tous ceux qui ont composé des *Compendium* de morale; les uns, en développant outre mesure les principes, ont négligé les détails et les cas particuliers; les autres ont donné trop de place à la casuistique au détriment de la théorie. Notre auteur a pris le juste milieu; il a si bien résolu la difficulté que, ne le cédant en rien à Gury, si même il ne le dépasse, pour l'abondance de la casuistique, il l'emporte sans conteste sur son confrère par la solidité des raisons qu'il allègue dans les cas de conscience et surtout par l'enchaînement et l'exposition des principes d'où il fait découler les solutions des cas particuliers. Dans les opinions controversées il s'attache de préférence à St. Thomas et à St. Alphonse de Liguori. Quant aux questions nouvelles qu'a fait naître p. ex. le socialisme, il les traite avec force d'arguments, en même temps qu'il dit des choses fort remarquables sur d'anciennes questions telles que le Probabilisme, la Coopération, le Prêt et l'Usure. Inutile d'ajouter que l'auteur a su tenir compte, comme son point de vue l'exigeait, des questions de pastorale et de droit canon intimement liées avec la théologie morale.

„Quant aux détails d'exécution et de forme, ils sont soignés avec un esprit de méthode et d'analyse presque raffiné, ce qui rend l'étude et la consultation de notre manuel d'un usage extrêmement profitable et facile. Aussi bien nous l'affirmons, sans crainte d'être démenti: l'ouvrage du P. Lehmkuhl ne demande qu'à être *connu* pour avoir droit de cité dans les Grands-Séminaires ainsi que dans les presbytères." (Le Moniteur de Rome. 1884, Nr. 48.)

Appendix ad I.—V. editionem Theologiae Moralis, exhibens additiones et mutationes in ed. II. usque ad VI. incl. factas. Cum approbatione archiep. Friburg. et Super. ordinis. 8°. (30 p.) *M.* —.40 = *Fr.* —.50.

Sumptibus ac typis **B. HERDER,** Typographi editoris pontificii, **FRIBURGI BRISGOVIAE,** prodiit:

ORBIS TERRARUM CATHOLICUS

SIVE

TOTIUS ECCLESIAE CATHOLICAE

ET OCCIDENTIS ET ORIENTIS

CONSPECTUS GEOGRAPHICUS ET STATISTICUS

ELUCUBRATUS PER

O. WERNER S. J.

EX RELATIONIBUS AD SACRAS CONGREGATIONES ROMANAS MISSIS ET ALIIS NOTITIIS OBSERVATIONIBUSQUE FIDE DIGNIS.

4°. (VIII et 266 p.) Pretium: *M.* 10 = *Fr.* 12.50; linteo relig. *M.* 11 = *Fr.* 13.75.

„En trente et un chapitres, le R. P. Werner passe en revue l'univers entier; il nous dit, pour chaque nation, combien elle compte de provinces ecclésiastiques, combien chaque province contient de diocèses, et lesquels; quels sont l'étendue de chacun, le nombre des habitants, celui des catholiques, celui des paroisses. J'oubliais d'ajouter le nom de la ville épiscopale, la date au moins approximative de l'érection, et, très souvent, le nom du Pape, et les premiers mots de la Bulle d'érection. Les abbayes unies à certains évêchés, les abbayes *Nullius*, et, pour le pays de missions, les Vicariats apostoliques sont mentionnés, avec tout l'ensemble des renseignements analogues. . . .

. . . En un mot, l'ouvrage est très intéressant et rendra sans aucun doute de très précieux services. Est-il exact? Nous pouvons dire qu'il présente les plus sérieuses garanties d'exactitude, et il était difficile de prendre plus de précautions. L'auteur a fait le voyage de Rome; il y a consulté les hommes les plus compétents; il a puisé des renseignements dans les relations que tous les Évêques du monde sont obligés, à certaines époques, d'envoyer au Saint-Siège sur l'état de leurs diocèses ou de leurs Vicariats. Nous ne voyons pas ce qu'on peut demander de plus. . . ."

(Nouvelle Revue Théol. Tournay 1890. Pag. 549.)

239.02
L 528
29842

AUTHOR LEHMKUHL, AUGUSTINO, S. J.

TITLE Compendium Theologiae Moralis (ed. 3)

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Keenan
24	STORAGE - CBPL
	OCT 1 5 1975

29842